


VITAE PATRVM,

PER ROMANAM EANDEMQVE CATHOLICAM ECCLESIAM, IN DIVORVM RELAtorum numerum, ex fide dignissimorum scriptorum monumentis summa cum diligentia congestę, cuius pio, comprimis uerò diuini uerbi concionatoribus non incommodæ, iam denuò ab ipso recognitæ authore atque locupletatæ. Per

GEORG. VVICEL.

HVIC ACCESSIT AEDITIONI.

Præconium gloriosiss. uirginis. D. Mariæ, per eundem Georg. VVicel.

ADDITO INDICE.

Cum Imp. Maiest. gratia & priuilegio.

MOGVNTIAE.

Impensis honesti ciuis ac Bibliographi Colonien. D. Petri Quentelij Excudebat ad D. Victorem Franciscus Behem, Anno

M. D. XLVI.

VITAE PATRVM,

PER ROMANAM EANDEMQVE CATHOLICAM ECCLESIAM, IN DIVORVM RELAtorum numerum, ex fide dignissimorum scriptorum monumentis summa cum diligentia congestę, cuiuis pio, comprimis uero *diuini uerbi concionatoribus* non incommodæ, iam denuo ab *ipso recognitæ* authore atque locupletatæ. Per GEORG. VVICEL.

HVIC ACCESSIT AEDITIONI.

Præconium gloriosiss. uirginis. D. Mariæ, per eundem Georg. VVicel.

ADDITO INDICE.

Cum Imp. Maiest. gratia & priuilegio.

MOGVNTIAE.

Impensis honesti ciuis ac Bibliographi Colonien. D. Petri Quentelij Excudebat ad D. Victorem Franciscus Behem, Anno M. D. XLVI.

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI, ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI AC Domino D. Alberto, S. R. E. Tituli S. Petri ad Vincula Presbytero, Cardinali, ac Legato nato, sanctæ sedis Moguntinæ & Magdeburgeñ. Ecclesiæ Archiepiscopo, Principi Electori sacri Romani Imperij, per Germaniã Archicancellario & Primati, Administratori Halberstateñ. Marchioni Brandenburgeñ. &c. Domino suo & Mecœnati clementißimo simul ac benignißi,

S. P. D.



ETSI NON FVI NESCIVS, OMNIVM CLARISS. PRINceps, quid plurimi, ex eruditorum etiam cœtu, quum primum aggrederer opus isthuc, secũ animo reputarint, adeoq; sine dissimulatione affirmarint, quippe me moliri non minus arduum, q̃ audax facinus, à quo nimirum tentato, periculoq; intellecto abhorruissent doctissimi quiq;, nec quid huic nostræ tempestati rerum eiusmodi gloriosæ cõtemptrici, minus conuenire: attamen in eo quod mecum semel destinaram, immotus perstiti, hucq; nunc cœpta qualiacunq; perduxisse confido, ut omniũ tàm beneuolorum, q̃ æmulorum cogitationes facile uincam. Certe multis eripuero, quod metuebant cœptis, idq; animo neutiq; inimico, præterq̃ quòd tot Orhodoxorum atq; Ecclesiasticorum hominum undiquaq; gratissimum fecero. Equidem nullo alio consilio ad id operis initio animũ adpuli, nisi ut Ecclesiam Patrum, quam amare ac mirari uehementiss. cœperam, honore aliquo prosequerer simul, & illam unam me communionem Sanctorum, fide minime ficta credere publicitus contestarer. Putaui decere Christianũ, ut synchristianos, quocunq; tandem id fiat modo, ueneraretur. Antiquioris Ecclesiæ cum prædicationem, tum obseruationem, quod quidem potui, & quantum licuit, fratribus per Germaniam nostram dilectissimis patefeci: Reliquum erat, ut eiusdem Ecclesiæ præclarissima gesta cõmendarentur pijs mentibus: Nec unq̃ me ut pœniteat, fore spero, quod amicis & domesticis Dei, hoc est, Sanctis Ecclesiæ hunc proprium laborem dedi. Vidi pariter ac dolui, è nostrorum hominum memoria indignissimis modis eiectos, & ceu sepultos delitescere, per quos diuina Maiestas primum, tàm ab orbe condito, q̃ redempto, sui notitiã atq; uoluntatem manifestauit mortalibus, per quos ędidit innumerabilia miracula, omnipotẽtię suæ propalàm declarandæ, per quos pereuntis mũdi tenebras illuminauit, per quos mentium morbos sanauit, per quos miserabiliter errantes populos in uiã reduxit: per quos deniq; omnem prioris Adæ calamitatem imminuit. Pròh pie Iesu, inquam, siáne obliuione tàm profunda damnati sunt homines Christiani inter Christianos? Nulláne illorum ratio, qui diuinitus electi, nos eò præcesserunt, quò nemo non tendit? Archæologiam, & gentilium nomina semper in ore tántum habebimus, nunquám ne diuorum etiam nostrorum? Leguntur cupidissime uitæ Plutarchi, uitæ Suetonij, uitæ Laërtij: ita enim uocant historias, quas authores illi in paganitatis gloriam descripserunt. Vix quisquam hodie ignorat Herodotum de Homero, Q. Curtium de Alexandro, Xenophontem de Cyro, & nescio quẽ historiographum de Phrygio fabulatore: solos sanctos Dei in crassiss. ignorantiæ caligine sopitos esse sinimus, non secus ac si illorum memoria nihil ad nos pertineret, & essemus, qui quondam fuimus, ethnici. Habet suos paganitas Thucydides, habet Theopompos, habet Trogos, habet Philostratos, habet Pausanias, habet Dionysios Halycarnaseos, habet Polybios, habet Ascanios, & quos Laërtius ante se uitas scripsisse cõmemorat, Hermippos, Demetrios, Idumeneos, Polycritos, Lycophrones, Apollodoros, Phauorinos, Dicæarchos, Theophrastos, Stra-

tones Lamsacenos: habet præterea Iustinos, habet Floros & Valerios, habet Iulios & Hircios, habet Liuios & Salustios, habet Lampridios & Eutropios, præter eos, quorum supra mentionem feci: Atqui Christianismus noster, turpe dictu sit, si habeat suis de uiris illustribus nihil, atq; solus eo careat, quo tument superbæ gentes. Tametsi præoptarim, ut extaret rerum Ecclesiæ gestarum syncerissimus pronunciator, sicut de Thucydide Cicero scribit: & quē unum pro millibus obijcere Antagijs liceat. Certè tradunt Fabianum episcop. Rhom. septem notarios, cum uiueret, ordinasse, qui gesta S. Martyrum cōscriberent. Atque idem Antherum præcessorem huius factitasse, Barptolomæus Platina testatur. Præter hos ipsi etiam sanctissimi doctissimiq; Episcopi uitas Patrū descripserunt. Nam Athanasius Anthonium nobis dedit, teste etiam Nazanzeno, Leontius Cyprus Eleemosynarium illum Iohannem, Amphilogius Basilium, quem tamen Syncerius depictum continet Monodia illa celebratissima. Euagrius item patres aliquot cecinit, & Gregorius Magnus Benedictum, Paulinum Nolanum, Sabinū Camisinum, Casium Narniensem, Frigidianum, Cerbonium, & complures alios scripto suo dignatus est. Reperi in codice peruetusto, quendam item Abdiam episcopum de Apostolis scripsisse: uerba mihi reperta subiungam: Scripsit aūt gesta S. Apostolorum Abdias episcopus Babyloniē, qui ab ipsis apostolis ordinatus, sermone Hebrēo, quæ omnia à discipulo eiusdem Abdiē, cui nomen Eutropius, in Græcum translata sunt, quæ uniuersa nihilominus ab Aphricano decem libris descripta, &c. Verum scripsit, præter alios Ecclesiasticos historiographos, Eusebius etiam noster librum, cui titulum fecerat, De antiquis martyribus: & Egesippus, præter alia, uitam Iacobi fratris Domini connotauit: quam eandem Clemens Alexandr. exarasse legitur. Adeoq; lego citari Egesippum, ut qui scripserit historiam Ecclesiasticorum actuum à passione Domini, usq; ad sua tempora. Iam uerò ut huiusmodi nostris sæculis desyderare cogimur, ita scriptas scimus, nec habemus Epistolas Viennensium atq; Lugdunensium ad Asiaticos & Phrygas de gestis martyrum. Et Dionysij epistolam ad Flauianum, de Alexandrinis martyribus. Nicephorus palàm fatetur Christianam historiam triginta sex libris descriptam fuisse à Philippo presbytero, ut nullus memorem de sanctis quoq; complures historias texuisse quatuor illos ex Latinis Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, & Gregorium. His adiunge Seuerum Sulpitium, Paulum Diaconū, Gennadium, Bedam, & horum consimiles. Nam inter ueteres cōnumeremne, an uerò secus Heraclidem, Arabianum, Virardum, Adonium, seu Adonem, planè dubito. Raphaël Volaterranus subinde allegat Eunapium quendam, è quo excerpserit nonnihil in Anthropologiæ suæ libris. Sigibertum ac Vsuardum, à quibusdam multoties citatum, esse neotericū, uel è nominibus liquere arbitror. Quo fit, ut non ita magni momenti apud nos Gelasij esse possit opinio, qua negat certa nomina eorum sciri, qui scripserint Sanctorū historias. Illud haud inficior, nempe sæculis proximis segniores æquo in celebrandis Sanctorum actis fuisse maiores nostros, Id quod & Albertus Krantz Hamburgensis cōqueritur. Nam Martyrologia manuscripta, quæ in Canonicis templis quotidiana lectione uersantur, antiquitatem præ se ferunt, tàm historiæ fide, q̄ uenustate styli. Circumfertur quidem martyrologium formulis nuper excusum, sed à manuscriptis mire diuersum. Extra hæc, quod ego sciam esse uetustū in hoc argumenti genere, codices illi Fuldensis Bibliothecæ sunt, è quibus sex ingentia uolumina composuit Ruggerus, pietate atq; doctrina prēstantissimus monachus mōtis S. Mariē, sub abbate Marquardo, Anno humanæ salutis restitutæ 1156. Vix credam ullibi talem latere thesaurum meliorum ac uetustiorum codicum: Et propè adducor, ut quod A. Gellius de Fabij annalibus, Libri, inquit, bonæ atq; syncerē uetustatis, id ego de libris Bonifacianæ bibliothecæ dicam. Continentur hic uaria Sanctorum Passionalia,

& insi-

& insigne quoddam Martyrologium, hirto intectum corio, quo libro nihil augustius. Ante Ruggerum hunc diligentiss. scriptorem, sudarat in eodem lucubrandi stadio Aruodulphus cœnobita facundissimus, ijsdem ferè temporibus, aut non ita multo pòst existimo scripta fuisse de Sanctis duo illa uolumina Moguntiæ in monte S. Iacobi, qui mons olim, Speciosus, appellatus est, haud procul à uetustissima atq; famosiss. pyramide, uulgo dicta Eigelstein, idq; non à glande, sed ab Eigel principe gentili, cuius cõbusti cineres asseruabantur in hac columna. Pòst, ut ad recentiores descendam, extitit Iacobus Voraginis præsul Genuensis, qui uixit Anno 1290. Verum quid is præstiterit, uel cæco perspicuum sit. Longè melius Voragine de Ecclesia meritus est Petrus Lombardus, qui post Voraginẽ scriptitauit, multa mutuatus ad uerbum ex membranis ueterum: id quod conferenti inter se libros facile adparet. Mythologiæ ille impensius indulget, quam ob rem in tantũ contemptũ abijt apud omnes cordatos. Hac profecto Lombardica hactenus nimiũ usæ, seu abusæ potius cathedræ sunt, contemptis interim, aut certè neglectis sanctorũ actis, quæ nobis Ecclesiastica historia, Eusebio Pamphilo authore, offerebat in *Christi gregem diuulganda*. Nec uulgares passim bibliothecæ in monasterijs *continent historicũ quid de Sanctis*, præter hanc unam Lombardicam, quam cur auream uocent, demiror. Sub eosdem annos, ni fallor, consarcinauit Vincentius Beluacensis Speculum illud suum, qui ipse quoq; compilator Voragini præferri meretur. Anno 1494. scripsit Iacobus Philippus Pergamensis uitas sanctarum, seu clararum feminarum. Nec is quidem attulit aliud, q̃ quod ante se dictum ab alijs fuit. Tersiore stylo retexit historias quasdam, & rem fauorabilem facere satagit Beatrici Aragoniæ reginæ: huic enim nuncupauit librum. His omniũ nouissimus accessit, inter recentiores diligentior agiologus, Petrus de Natalibus præsul Equlinus, & ante hunc Petrus Calo Venetus. Pergratæ breuitati studuit Equilinus, & q̃ minimum intexuit mythologiæ, quo cõmendatior eius apud nos fama est, diuorum ille non chiliades, sed myriades enumerat: quod quidem de nullo huc usq; compertũ esse arbitror. Baptista Mantuanus obsequiũ, si quisquã alius inter neotericos, maximum Ecclesiæ præstare poterat, nisi aliò inclinatus, id argumenti neglexisset. Sic enim promiserat in lib. 2. Calamitatum:

Si tranquilla quies, & tristibus ocia curis
Libera me sinerent sanctos inuisere fontes,
Et totos Helicona dies consumere circum,
Prima salutiferi repetens exordia Christi,
Ad suprema meum uenisset tempora carmen,
Actaq; tentassem maiori singula uersu
Texere, & annales melioribus ędere chartis.

Et cum contra poëtas impudice loquentes intonans, ad hanc materiã istos hortatur, his quidẽ uerbis: Collige diuorum mores, & fortia facta
Inclyta martyrij bella rubentis habes.

Porrò qui ex Breuiariorum Choralium turbatissimis lacunis sanctorũ mores cognoscere cogũtur, næ isti bis miseri sunt. Excussi ego uiginti plus minusue Breuiaria diuersæ diœceseos, aliudq; cum alio contuli, sed difficile credas mihi, quanta in nonnullis Cenagoria, ut de dictionis barbarie nihil attingam, nihilq; de librariorum mendis, quibus undiq; scatent Ecclesiasticæ cantiones. Bona Breuiariorum pars, quod quidẽ ad Lectiones matutinas attinet, ex Lombardica desumpta est, licet interdum uerbis paululum immutatis, & diuersa de sanctis nonnunq̃ ingerunt nobis diuersa Breuiaria. Vnde non imprudenter fecit, mea quidem sententia, Clemens pontifex Rom. adiutus opera Francisci Quingnonij, q; historiolas aliquot Sanctorum utriusq; sexus cum Christo in Paradiso conregnantium, succinctè iuxta & eruditè describi, inq; Romanũ Breuiarium inseri curarit, omnẽ ca-

calumniatoribus ansam amputans, qui fabulas, nõ historias, in tẽplis recitari clamitabant. Ipse quidẽ carptim degustatis plerisq; scriptis, quotquot uidelicet è multis bibliothecis nancisci potui, ea congessi tantum, inq; hanc redegi farraginem, quæ neq; historiæ fidem excedant, neque Euangelij uigorem lędant. Suetonius Tranquillus scribit in Claudij uita, se aliquid magis ne prætermitteret referre, q̃ quia uerũ esse, aut uerisimile putaret. Atqui ego, quæ hic collegi, nisi maxima ex parte uera & uerisimilia putarem esse, non referrem, uel repente dispeream. Non nitor Lombardica, nõ Scholastica, sed Ecclesiastica historia, Hoc est, quam uelutí per manus traditam acceperũt à ueteribus recentiores. Indubitatiss. enim fuerit, posteros istos qualescunq;, neq; confinxisse Sanctos, qui nõ extiterint olim in uita, neq; de ijs historias, quarum cognitio ad ipsos à maioribus non peruenerit. Priscorum libris historialibus, quos ętatem nostram desiderare supra dixi, procul dubio probè usi sunt, qui uiciniores illorum temporibus uixerunt. Et non uulgare historicæ ueritatis argumentum est, q; passim membranei codices, uetustate propè modum detriti, in locis diuersis, nec ijsdem manuscripti sæculis, usq; adeo inter se cõsentiunt. Atq; utinam antea mihi uidere Vaticanam bibliothecam contigisset, aut si qua alia uetustior & locupletior Vaticana est. Spęro tamen me hoc ausu Italos extimulaturum, ut quod ipse, librorum eam ad rem necessariorum indigens non infelicissime cœpi, illi copia sua consumment. Poterant idem felicissime perficere Beatus Rhenanus & Ioannes Sichardus, uiri absolutiss. & uenerandæ antiquitatis studiosissimi, rerumq; sacrarũ exactissimi æstimatores. Nemo alius me, fateor, ad id operis exigendum minus aptus est, uerum igneus quidam amor, quo erga ecclesiam, seu omnium sanctorum panegyrin iampridem ardeo, animũ meũ quiescere minime siuit: impulit uerò magis magisq; ad audendum, & tandẽ præualuit. Fidem profectò libet hic ostendere, si minus eruditionẽ licet ostentare. Accedat alius, qui me ostensa etiam fide superet, et perlibens cessero locum. Neq; enim glorię certamen cum ullo homine subibo, quippe qui Ecclesię gloriã suam uindico, sectæ detractam: ut interim non cõminiscar à Catholicis, hac tempestate nostra grauiter afflictis, opus huiuscemodi à paruitate mea crebris hortatibus extortum esse, quibus negare rem tam piam sanè difficillimũ fuit, nec nimis honestũ. Equidem præstare non queo, si qua è Patrum uitis, à ueritate esse alieniora uidebuntur: aut si occurret aliquid, quod in speciem appareat dissidere à cõmuni doctrina. Ei certè, qui manum domini haud quaq̃ abbreuiatam esse credit, & qui dictum illud domini uerissimum esse iudicat: Illi uero egressi prædicarunt ubiq;, domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: non is reclamabit huic nostro Hagiologio. An ideo fictum est, quod tota ubiq; ecclesia piè credit, quia tu mendax es sectarie, ac ore mendaci cõspurcare laboras cõmunionem Sanctorũ? Aut forsan ideo falsum esse putas, quia his temporibus nõ usuueniũt similia? Credere nõ uis in sanctis dei, nisi quæ sub humanũ sensum cadunt, & quæ coràm cernas in sanctis istis tuis scilicet. Quo errore grauissimo, immodica ipse tuæ professioni ignominiã paris. Finge existere iam Ecclesiã, seu Christianismon, qualis olim erat: finge in terris Sanctos uiuere, quales aliquot retro sæculis uixerunt: finge eo pacto feruere in templis ueram religionem, adeoq; ardere in omniũ pectoribus synceram pietatem, quemadmodum primis Ecclesiæ temporibus, & aperte insanias, si ademeris miracula nobis, ac tàm insignem omnis supplicij atq; mortis contemptũ. Nos atri tuo iudicio, quæ prisci authores super stupendis miraculis, per sanctos Christi testes potenter exhibitis, tradiderunt, non credimus solum, uerumetiam reueremur, ac proni adoramus in his præsentem Domini manum, factricem uidelicet talium uirtutum. Nicephorus monachus Græcus multa simul & insigniter admiranda miracula Sanctorum Ecclesiæ nostræ in libro historiæ suæ recenset, quæ cur rejcias, irridiasue, nullam afferre rationem poteris,

nisi q;

nisi φ sunt eiusmodi prædicatu ridicula, creditu absurda, humanum deniq; intellectum respuentia, quasi uerò quicq̃ sit coram Deo uel difficile, uel impossibile, qui uirtutẽ altissimã suam exerere in membris suis solitus, glorificari inter gentes uoluit. Nec ego in ea sententia sum, ut mox ab Apostolorũ ætate, uirtutes ac miracula desijsse in Ecclesia Sanctorum existimem. Nam isthuc qui asseuerant, uniuersam semel Ecclesiam pudefaciunt. Cæterum de pœnarum atrocitate quid obsecro dicturi sumus Antagie? Crederes opinor, si istiusmodi in paganorum literis lectitares: At de Sanctis, hoc est, confratribus tuis propter baptisma & dominicam cœnam, credere non potes eam, quam animi fortitudinem descripserunt sancti. Nihil addubitas de Græcorum atq; Rhomanorum historijs, quantũlibet sæpenumero incredibilibus: Verum eam gloriã Christo, triumphanti per corpora Sanctorum mortalia, dare diffidis, nimirum ut fide dignum esse tibi persuadeas, per testacea Sanctorum uasa sæpissime contritum fuisse Satanam. Noli quęso sanctos Ecclesiæ primeuæ à nostro ingenio & moribus æstimare. Tanta nostra est ignauia, tanta timiditas, quanta illorum uiguit cum strenuitate fortitudo. Ohe nostri cum illis similitudinem: sic, scilicet, canibus catuli similes: sic matribus hœdi. Illi cœlestia tantum expetere, uerum hodie præter terrestria quæritari nihil plane comperio. Per calcatas ibant illi opes, nesciebãt delitias, ridebant glorias: Illud uerò contendebant unicè in omni uita, ut Iesu Christo, cui nomen dederant, & cui erant obstricti sacramẽto, fortissime militarent, eiq; in tantũ placerent, ut sanctissimos homines ob nullam aliam causam uel natos, uel renatos fuisse, asserere possis. Eos igitur orthodoxos nõ emori dolore nimio mirũ est, qui facta diuorũ maxima atq; summa, cũ nostræ ætatis illaudatissima cõuersatione uel leuiter cõparare parent. Heu nobis: Egressus est à filia Zion omnis decor eius. Sed ad querimoniã & lachrymas Hieremianas nolens digredior. Ergo nõ pium modo, uerum etiam utile est, sibi quenq̃ Christianorum persuasum habere, Ecclesiam seruatoris nostri Opt. Max. temporibus multiplicis atq; sæuissimæ persecutionis, tàm omnigenis miraculis, q̃ incomparabili magnanimitate mirabiliter claruisse. Facit ea persuasio ad confirmandos ac stabiliendos credentium animos, præterq̃ φ iucunditatem nobis, Ecclesiæ filijs, parit, & gloriandi materiã præbet aduersum antecclesiasticos quosuis. Iactitent isti suos, si quos habent, Sanctos, suaq; debuccinent egregia gesta: nos nostros, seu nostræ Ecclesiæ (quæ ut una, ita sola est) sanctos decet quotidianis extollere laudibus, uoce styloq; plurimi facere, ceu uiuendi regulam proponere, adq; horum castissimos mores, nostræ uitæ corrigere uitia. Nostri Sancti ij sunt, quos prædicare è suggesto citra ruborem queas. Nostri sancti ij sunt, quibus à speciosissima uictoria, quam de inferorũ oppresso regno reportarunt, triumphus magnificentissimus debeatur. Nostri sancti ij sunt, in quos solos Apostolica lectio competat: Sancti per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, assequuti sunt promissiones, occluserunt ora leonum, extinxerunt uim ignis, effugerunt acies gladij, ualidi facti sunt ex imbecillitate, effecti sunt robusti in bello, incursiones auerterũt exterorum. Mulieres acceperunt ex resurrectione mortuos suos. Alij uerò distenti sunt, aspernati redemptionem, ut potiorem sortirentur resurrectionem. Alij rursus ludibrijs & flagris explorati sunt, insuper & uinculis & carcere, lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occisione gladij occubuerunt: oberrarunt in ouillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus: in desertis errantes & montibus, ac speluncis et cauernis terræ. Atq; omnes hi testimonium promeriti per fidem, non acceperant promissionem, φ deus de nobis melius quiddam prouiderat, ne sine nobis cõsummarentur. Proinde nos quoq;, cum tanta septi simus nube testium, deposito onere omni, & tenaciter inhærente peccato, per tolerantiam curramus in proposito nobis certamine, respicientes ad fidei ducem & cõsummatorem Iesum, qui pro pro-

 posito

posito sibi gaudio, pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dexteram throni dei consedit. Hactenus Paulina retulimus. Excellentissimus concionator Gregorius Nazanzenus illud perq; familiare habet, ut in sermonibus suis nostros Sanctos q; potest maximis ferat praeconijs: & cum laudat S. Athanasium, ait se uirtutem laudare. Porrò uirtutem laudans, se Deum ipsum laudare affirmat. Verum ipsius Gregorij uerba haec sunt: Ἀθανάσιον ἐπαινῶν, ἀρετὴν ἐπαινέσομαι. ταὐτὸν γὰρ ἐκεῖνόν τε εἰπεῖν καὶ ἀρετὴν ἐπαινέσαι. ὅτι πᾶσαν ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν εἶχε τὴν ἀρετήν, ἤτοι γε ἀληθέστερον εἰπεῖν ἔχει. θεῷ γὰρ ζῶσι πάντες οἱ κατὰ θεὸν ζήσαντες. Mox in hunc modum: ἀρετὴν δὲ ἐπαινῶν, θεὸν ἐπαινέσομαι, παρ᾽ οὗ τοῖς ἀνθρώποις ἡ ἀρετή. Praeterea Ecclesiastes hic eximius, hoc quod in reliqua Sermonis huius parte de S. Athanasio encomiastice scribit, ad omnium Sanctorum laudem non pertinere non potest. Qui Athanasium defunctum ob merita (dei dona) in corpore mortis huius declarata ita praedicat, nae is alios quoq; Sanctos ob eadem, aut his proxima praedicaturus fuerat, si uel omnes aeque nouisset, uel omnium attigisset aetatem. Quin igitur laudes huius sancti, aut potius sanctorum omnium laudes in hoc Sancto, ipso sermocinante Gregorio patienter audimus. Aduocat principio cunctos omnis aetatis, conditionis, ordinis & sexus homines, & hortatur ad laudandum Athanasiũ, quem omnibus omnia facit argutissime: ὁ μὲν ἐπαινείτω τὸν ἐν νηστείαις καὶ προσευχαῖς ὡς ἀσώματόν τε καὶ ἄϋλον. ὁ δὲ τὸν ἐν ἀγρυπνίαις τε καὶ ψαλμῳδίαις εὔτονόν τε καὶ ἀήττητον. ἄλλος τὸν ἐν προστασίᾳ τῶν δεομένων. ἄλλος τὴν πρὸς τὸ ὑπερέχον ἀντίτυπίαν, ἢ πρὸς τὸ ταπεινὸν συγκατάβασιν. αἱ παρθένοι τὸν νυμφαγωγόν. αἱ ὑπὸ ζυγὸν τὸν σωφρονιστήν. οἱ τῆς ἐρημίας τὸν πτερωτήν. οἱ τῆς ἐπιμιξίας τὸν νομοθέτην. οἱ τῆς ἁπλότητος τὸν ὁδηγόν. οἱ τῆς θεωρίας τὸν θεολόγον. οἱ ἐν εὐθυμίαις τὸν χαλινόν, οἱ ἐν συμφοραῖς τὴν παράκλησιν. τὴν βακτηρίαν ἡ πολιά. τὴν παιδαγωγίαν ἡ νεότης: ἡ πενία τὸν ποριστήν: ἡ εὐπορία τὸν οἰκονόμον: δοκοῦσί μοι καὶ χῆραι τὸν προστάτην ἐπαινέσεσθαι, καὶ ὀρφανοὶ τὸν πατέρα, καὶ πτωχοὶ τὸν φιλόπτωχον, καὶ τὸν φιλόξενον οἱ ξένοι καὶ ἀδελφοὶ τὸν φιλάδελφον, οἱ νοσοῦντες τὸν ἰατρόν, οἱ ὑγιαίνοντες τὸν φύλακα τῆς ὑγείας, &c. Magna quidẽ laus haec Sanctorum: sed hac longe maiorem meretur Christi spiritussanctus, qui ex sese effecit, ut homines isti non solum essent sancti, uerũetiam ut sanctam uitam in nõ sancto mundo ducerent. Proinde uel spiritussancti nomine laudandi sancti homines sunt, horumq; memoria solenni ritu colenda. Nazanzenus in Orat. de S. Cypriano inquit, se oblectari martyrum honoribus, & agonizantium exultare sanguine: deniq; eorundem memoria releuari. Quem pietatis affectum reor, quotquot amici Euangelio sunt, perpetuò habere. Solebant olim celebrari Sancti in Christo mortui Christiani inter ipsas exequias, partim ut sanctissimis illorum factis honos haberetur, partim ut qui è fraternitate Christiana superstites erant, incenderentur ad consimilẽ uiuendi formam, atque iuxta anhelarent ad consumationem illam perbeatam. Sic enim tradit Dionysius Areopagita in libro Ecclesiasticae Hierarchiae: εἶτα τῶν λειτουργῶν ὁ πρῶτος ἀπολύει τοὺς κατηχουμένους, καὶ ἀνακηρύττει τοὺς ἤδη κεκοιμημένους ἁγίους, μεθ᾽ ὧν ἀξιοῖ τὸν ἄρτι τελειωθέντα τῆς ὁμοταγοῦς ἀναρρήσεως, καὶ προτρέπεται πάντας αἰτῆσαι τὴν ἐν Χριστῷ μακαρίαν τελείωσιν. Quid? Nunquid gentilitas laudare uiros egregios, & iactare solebat? Praeter alia multa eius rei testimonia suffecerit Portij Rho. in declamat. contra seditiosum ciuem, cuius haec est sententia: Nihil statuimus animo dignius, nec authoritate maiorum, nec opinione populari, quàm in eo genere uersari forensis exercitationis, quae canere laudes egregias summorum hominum posset, atq; animos inflare nostrae ciuitatis ad imitandum. Haec quidem ille. Cupimus autem omnes nos eò uenire, quò Sancti atq; adeo summi illi homines peruenerunt: at non omnes aeque uia eadem delectat. Bonorum operum labores delicatulos nos potissimum absterrent à summi boni fruitione. Qua maior inter mortales insania haud quaq̃ esse potest. Oblatam felicitatem refugimus, propter paucula facta, quae à fidelibus seruis suis redemptor iure suo requirit. Volumus in coelum repente ab obitu rapi: sed interea uoluntatẽ patris, qui est in coelis, facere detrectamus

trectamus, sufficere putantes: Domine, domine: credo, credo. Quin igitur, dum tempus est, dumque sapientia fores nostras pulsat, resipiscimus, & primum perspecto archetypo Christo seruatore, oculos uertimus ad exemplaria gregis, hoc est, sanctos episcopos ac martyres, qui nobiscum Christi eiusdem seruatoris uiuum, aeternumque corpus sunt. Laudemus uiros illos gloriosos, ac decantemus ipsorum opera bona, ut per ea is glorificetur demum, quo authore facta sunt omnia opera bona. Verum à laude statim progrediamur ad laudatorũ uirorum imitationem, ne in nos quoque quadrare posse uideatur, quod de Demosthene Plutarchus scripsit, Nimirum illum maiorum facta laudare potuisse, sed nequaquam imitari. Legamus uitas Sanctorum tàm publice, quàm domestice, sed lectis etiam utamur, utpote cuius rei gratia, & descripta omnia istiusmodi sunt, & à nobis congesta. Dices: da mihi quàm breuissime depictas diuorum omnium uitas. Nam & Suetonius uitas suorum Caesarum in calce breuiter perstringere solet: & Plinius Nouocomensis sui auunculi uitam in epistolis ad Marcum & Tacitum suum paucis comprehendit. Marcus item Cicero suam ipsius conuersationem, seu diurna gesta, ad Papyrium deliniat: Haec, inquiens, uita nostra: Mane salutamus domi & bonos uiros multos, sed tristes & hos laetos uictores, qui me quidẽ perofficiosę & peramanter obseruant. Vbi salutatio defluxit, literis me inuoluo, aut scribo, aut lego: ueniũt etiam, qui me audiunt, quasi doctum hominem, quia paulò sum, quàm ipsi doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi iam & grauius et diutius, quàm illa mater unicum filium. Et Valerius Martialis suam quoque uitam hisce adumbrat uersibus:

Rure morans quid agam, respondeo pauca rogatus.
Luce deos oro, famulos post arua reuiso.
Partibus atque meis iustos indico labores.
Inde lego, Phoebumque cio, Musamque lacesso.
Hinc oleo corpus frico, mollique palestra
Stringo libens, animo gaudens, ac foenore liber.
Pondero, poto, cano, ludo, lauo, coeno, quiesco,
Dum paruus lychnus modicum consumit oliui,
Haec dat nocturnis nox lucubrata Camoenis.

Verum heus pie uir, quod tempestiue petis, praestare non grauabor. Accipe ergo hunc diuorũ typum uerbis quàm paucissimis: Sancti, iam beati homines ex hoc saeculo nequam per Euangelium erepti, inque regnum coelorum per gratiam collocati, spiritu dei induti, nouos in homines transformati, per regenerationem filij Dei facti, tanquam luminaria in mundi tenebris luxerunt. Fuerunt illi uero per omnem uitam pauperes tàm spiritu, quàm carne, lugentes, mites, esurientes sitientesque iustitiam, misericordes, mundo corde, pacifici, patientes, Math. v. Nec non uigilantes, sobrij, modesti, hospitales; non uinolenti, non percussores, non turpis lucri cupidi, nõ iracundi, nõ praefracti, sed ęqui, alieni à pugnis, alieni ab auaritia, bonarum rerũ studiosi, iusti, pij, euangelicae doctrinae tenaces, Timot. ij. Tit. j. Praeterea pleni fide, spe, charitate, gaudio spiritus, pace, benignitate, bonitate, temperantia, Galat. v. ijs semper intenti, quaecunque honesta sunt, quaecunque iusta, quęcunque pura, quaecũque accõmoda, quęcunque boni nominis, si qua uirtus, si qua laus. Philip. 4 En habes uitas Sanctorum. Gentiles uitam, suo iudicio, beatam sic describunt:

Vitam quae faciunt beatiorem,
Iucundissime Martialis haec sunt:
Res non parta labore, sed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis.
Lis nunquàm, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuae, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Conuictus facilis, sine arte mensa,
Nox non ebria, sed soluta curis,
Non tristis thorus, attamen pudicus,
Somnus, qui faciat breues tenebras,
Quod sis, esse uelis, nihilque malis,
Summum nec metuas diem, nec optes.

Nos

Nos uerò, qui non deos, sed deum cognouimus, qui Christum unigenitũ audimus, qui doctore spiritu cœlestia discimus, tam beatum hominem, q̃ beatam eiusdem uitam sic prædicamus: Beati omnes, qui timent dominum, qui immaculati ambulant in uijs eius, non in consilio impiorum, nec stant in uia peccatorum, nec in cathedra derisorum sedent: in lege uerò domini beneplacitũ eorum, in qua meditantur die ac nocte. Ingrediũtur irreprehensi, & operantur iustitiam. Nec id solum, uerumetiam loquũtur ueritatem è corde suo: Non agunt dolum in lingua sua: Non faciunt proximo suo malum: Non opprobrant, negligunt improbos: dominum uerò timentes colunt: tenent id alteri, quod promittunt, pecuniã suam ad usuram non dant, Nec munus contra innocentem accipiunt, dispergunt, dant pauperibus, intelligunt super egenũ, cõmouentur super contritione Ioseph, uxorem proximi sui non uiolant, neminem contristant, pignus domi non retinent, nudum operiunt uestimento, à pauperis iniuria manum auertunt, dimittunt eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpũt, tremunt sermones dei, &c̃. Quandoquidem uerò ille nuncupandorum librorum mos (qui si pietati tribuatur, in nullam reprehensionẽ cadere potest) passim apud omnes nunc inoleuit, & mihi potissimũ deligendus erat patronus authoritate ac amplitudine cõspicuus, nullus uspiam succurrit animo illustrissime princeps, qui tua reuerendissima Celsitudine ulla in re pręstaret. Proinde sumpta fiducia, supplex nũcupo, atq; nominatim dedico T.R.C. opus hoc peregrinationi nostræ, Ecclesiæ uidelicet Christianæ paratum, ut tuis auspicijs feliciter in Catholicorũ manus prodeat, quippe gratius futurum uniuersis, ubi constiterit, tanto dicatum principi, Electori Imperij Rhom. qui non principem modo locum in republica, sed in Ecclesia etiam obtinet, à deo nimirũ excellentiore illa potestate tradita. Non ego plebeio cuipiam, sed tali principi nuncupo nostrum Hagiologium, qui non minus eloquentia q̃ sapientia pręmineat. Alij aliud in eo præsule admirentur, ipse hanc uiri uirtutem maximam iactandam duco, q; his perturbatissimis temporibus rectum facit iudicium de tot controuersis dogmatis, q; irrefragabili ac solidæ doctrinæ patrocinatur, eamq; pr̨edicatam cupit, q; quæ ulterius Ecclesia neq; excusare, neq; tolerare potest, improbat, q; toties tentatam inter dissidentes partes concordiã non præpedierit, imò potius & suaserit & concupierit sartam, q; pijs bonisq; literis Mecœnas eximius cõtigit, q; nouas bibliothecas instruit ingẽti sumptu: q; erga calamitosos adficitur, q; in omnes perbenignus, in omnes comis, in omnes humanus est, q; pacis amans, áq; tumultu bellorum alienissimus, rerum tranquillitati perpetuo consulit, q; deniq; tam patienter tot ac tantas aduersariorũ contumelias suffert. In ista enim insectatione plus q̃ tragica, mendacijs oneratus & exaturatus conuitijs immanissimis silescit, propriæ conscientiæ testimonio ac integrorũ hominum iudicio semet solans. Quæ pleraq; in confesso in tantum sunt, ut hic ne inuidia quidem ipsa calumniandi locum habeat. Iam rectè isthuc fieri, nemo ibit inficias, quoniam Ecclesiastico Ecclesiasticos, catholico catholicos, religioso deniq; religiosos diuos mitto. Noui, q̃ sedulo T.R.C. complusculis ante annis tale quid ab Hollando illo magno expetierit, tantus uidelicet sanctorum animorum amator: sed quibus de causis ille, quod piè petebatur, darè supersederit, non me solum latere reor. Vtinã aũt hoc ipsum, quod ipse dedi, tàm sit acceptum T.R.C. q̃ longe infra illud fuerit, quod Hollandus allaturus, si libuisset, erat. Daui nos, non Oedipi sumus: discipuli, non præceptores: filij, non patres. Ille afferre preciosissima quæq; poterat: nos ad reædificandam domum Dei heu nimis collapsam, è nostra paupertatula, cum arena calcem adportamus, in spem erecti, nostram hanc operam non superuacaneã omnino fore. Exorsi sumus librũ ab orbe condito, & desinimus in consummatum, quo absolutior exeat. Neq; uero dissimulo, diuorũ aliquot Noui Testamenti desyderari in hoc albo: uerum istud neq; incuriæ, neq; fastidio uelim imputari

putari, sed uel uariorum codicum penuriæ, uel immodicæ typographorum festinationi. Curabimus autem, Domino bene propitio, ut quotquot desyderantur in hac æditione prima, mox suo quenq; loco insertos habeant Agiophili, simulatq; fœtura hæc refingetur: quod idem præstabimus in opere Homiliatico, breui recudendo. Vsus Moguntiæ sum non uno tantum scriba, seu notario, dum hæc collectanea in unum libri corpusculum compingerem: ijs non est sua laus defutura. Nec uno eodemq; tempore hoc opus exegi: Lipsiæ enim ante biennium, & Berlini cœptũ, hic ad tumbã S. Bonifacij in manus resumpsi. T. nunc R. C. pro sua in Deum diuosq; singulari dilectione, hunc laborem meum, ut maxime calumnijs obuium, attamen minime impium, pacato animo, uultuq; sereno accipiat obseruandiss. Mecœnas, & me plurimis iactatum casibus, ac diutino tentatum pariter ac probatum exilio commiseretur, defendat, iuuet. Experta est omnis Ecclesia iam inde à decennio, quanta ego sedulitate rebus in nostra natione afflictissimis mederi studuerim. Nec alicui obscurum est, qualia passus sim in isto agone. Mentem meam, sicut hactenus, Christo inspectori probabo. Is uere nouit, nihil uspiam me quærere, præter Ecclesiæ catartismon. Atq; huic studio immori, per omnia decretum est. Bene diuq; ualeat T. R. C. in Christo Iesu Domino & seruatore nostro, in cuius conspectum ascendunt perpetuo gemitus nostri. Ex sylua Fagea, Mense Iulio.

AN. M. D. XLI.

T. R. C.

Famulus

Georg. Vuicelius.

PINACIDION

ORTHODOXIAE, PER GEORG. VVIC.

EXeat affectus, præsto sit spiritus ille,
Quo primum structa est urbs tua Christe uetus.
Nullius inuidia uerum rectumq; negetur,
Iustitiæ regnum floreat ô utinam.
Incorrupta fides Patrum nunc una triumphet,
Huic cedant soli schismata cuncta procul.
Dogma nec est aliud, quàm quod tenuêre priores:
Rectum Euangelium non latuit ueteres.
Quin etiam duret, qui quondam, publicus ordo,
Quo populi probitas tempore magna fuit.

CATA.

CATALOGVS AVTHORVM, TAM VETERVM, QVAM RECENTIORVM,

quorum luculentis testimonijs usi in hoc opere sumus.

Biblia utriusque Testamenti.
Eusebius Pamphilus Cæsarie.
Historia Tripart.
Egesippus.
Irenæus.
Vitæ patrum.
Cecilius Cyprianus.
Basilius Magnus.
Gregorius Nazanz.
Ioannes Chrysostomus.
Aurelius Prudentius.
Iuuencus Hispanus.
Sedulius poëta Christianus.
Sept. Tertullianus.
Arator Diaconus.
Hieronymus Stridoneñ.
Ambrosius Mediolaneñ.
Augustinus Hipponeñ.
Gregorius Romanus.
Beda Anglosaxo.
Nicephorus Græcus, item Cyrus.
Maximus Taurinensis.
Alcimus poëta Christianus.
Lactantius Firmianus.
Eucharius Lugdunensis
Seuerus Sulpitius.
Paulus Orosius.
Paulus diaconus.
Paulinus presbyter.
Fortunatus presbyter.
Ioannes Damascenus.
Chronicon Hermanni Contracti & aliorum.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Picus Mirandulanus.
Franciscus Quignonius.
Anthonius Sabellicus.
Ruffus asterius.
Erasmus Roterodamus.
Robertus Ganguinus.
Ambrosius Chamaldulensis.
Adam Victorinus.
Ioannes Aretinus.
Martyrologia manuscripta.
Bibliotheca Fuldensis.
Bibliotheca Moguntinensis.
Bibliotheca Berlinensis apud Minores.
Baptista Mantuanus.
Ioannes Pontanus.
Raphaël Volaterranus.
Barptolomæus Platina.
Ianus à Suola,
Thomas Morus.
Petrus Equilinus.
Petrus Lombardi.
Leonardus Iustinianus Venetus.
Maphæus.

Author incertus, qui diui Caroli I. uitam descripsit, adiunctam in calce uitis Plutarchi.

GENE-

GENETHLIACON MVNDI, IANO A' SVOLA EQVITE AC IVRECONSVLTO, AVTHORE.


PRincipio causas rerum, fatumq́ue renascens,
Et mundi, quod cernis opus, æuiq́ue recursus
Si iuuat, & fluxas sæclorum prendere sortes,
Nosce Patrem, arbitrioq́ue Patris congesta putato
Cuncta Dei, ac nostris quicquid uariabile rebus
Ne dubita auspicijs VERBI constare potentis.
Hos etenim Genitor mundum fabrefecit in usus
Vt uentura pares (tantum sub imagine prima)
Monstrarent formas rerum, similesq́ue figuras
Sæcula: sic dictata olim per mystica Moses
Longæuum deduxit opus, sex ille dierum
Ab numero, præsaga dabat cum signa per orbem
Totaq́ue formaci statuebat munia Verbo.
Vtq́ue idem haud ueros orsus fabulosaq́ue princeps
Ludicra, & ingentis construxerat omina sæcli,
Sic duplici totum constat discrimine Verbum,
Legifero & Mose & uatum conscripta per ipsa
Qualia iam nostro quod restituenda sub æuo
Admonuit magni Christus mens alma parentis,
Nempe supergressos uatum legisq́ue disertæ
Euentus, primum quo sese littera pacto
Cerne petat flecti uetus, & mutetur ab ipsa
Fine caput repetens tantum, & quæ prima reducens.
Huc priscas Cabalæq́ue notas linguasq́ue latentis
Flecte proin, qualis cœlo delapsa facultas
Noscitur, humanoq́ue ualet comprendier haustu,
Cuncta uolubilibus complectens uera figuris.
En triplicem ternos mundum deducit in orbes
Atque eadem duplicis præfert discrimina linguæ
Ense potens gemino sacratæ pagina uocis.
Indicio siquidem rerum simulacra pererrans
Mox noua de prisco præsumit munia facto.
Mens angusta uiri, quisquis pote talia fœlix
Noscere, perq́ue notas eadem distincta referre.
Nomine ab arcano & magni Tetragrammate patris.
Deniq́ue in humanis quicquid uariabile rebus

A ii Seu

Seu belli pacisq; uices, seu noscere leges
Mirariue libet populos, mutarier urbes
Cædere regna locis, & religiosa parentum
Transferri iura acritus cessare priores.
Est uerbi uertentis opus, iussuq; laborat
Ipse potens mundi Genius iussuq; recumbit
Noscere quo magni libeat genitoris honores.
Hinc mundi haud uno fatum disquirere pacto
Natalemq; animis licuit haud segnibus illum.
Nanq; quod agrestum sęclorum ab origine prima
Testatum confluxit opus, totiesq; redire
Inde datum sub sermonis exordia primi
Est operi immenso, dum se lux septima tandem
Inferat, & magno succedat Sabbata ritu
Atq; malis positura modum sæcla aurea surgent.
Quo magis & certis discamus talia signis
Sęclorum in primis cursus metitus & annos
Digere, neu casso relege hinc momenta relapsu.
Nomina quin etiam rebus quæ prodita quondam
Concreuere nouis, ueteri deducta figura
Hebræo fonte atq; arcanis erue chartis
Obscuris miram lucem quæ inferre parabunt
Iuncta notis, nil non usquam hinc imitabile nobis
Antiquæ ut dudum debentur talia famæ
Mirari ni iam cœlo demissa pigebit
Omni, & hinc magni secreta reuoluere cœli
Aemula degeneri quæ reddit imagine tellus.
Deinde hominum solers quod finxit cura laborq;
Fama uetus cumulat geminę molimine prolis
Quam primus genuisse parens monstratur, ab inde
In populos licet ire duos, plebemq; piorum
Vexatam, cœtu tantum superare malorum
Seraq; posteritas nil non monstrare nepotum
In stirpes defluxa ualet, semperq; redibant.
Ad præscripta pares animi, nil interit usquam
Nil perit, æterno succedunt omnia uerbo
Iam studia & mores terræq; sub ultima metas
Dissidia & paces quasq; usus inuenit artes
Obicit interdum scripti non discolor ordo
Hoc dilapsa licet, licet & præsentia nosse
Ordine, & occultas causarum expromere uires.
Quid quod ad hæc etiam duplicis dictamine linguæ
Talia

Talia per populos mittuntur signa prophanos,
Estq; haud uana olim in gentes sapientia latè
Dedita, quo proprij tollant uernacula signi
Commoda, & hunc hominum successit cura piorum
Mature, at ritus quo detestentur auitos.
Fabula sublimes quæ uis dabat inclyta sensus
Siue hanc Phœnices memorant Athlantis ab axe,
Seu Macedum aut Graia fluxit deducta moneta,
Aut qua Barbaricas, tunc hinc celebrata per oras
Non obscura manet, simili noscenda figura
Dogmate nec fallax uacuo nec prodita ductu
Quamuis uana Deos commenta est usq; nocentes
Hinc iam cura hominum, Phrygia sic uenit ab Ida
Ausa Deos, propriumq; exponere pagina sacrum,
Hæserat arcani sic Memphis ad orgia ritus,
Qualia sacrilegæ spreuit ludibria gentis
Fatidicus Moses, parilesq; subintulit orsus
Doctior, hinc sacris phas nos inolescere signis.
Quicquid in arcanas quondam sapientia chartas
Contulerat, magni quod uel Danielis & Esdræ
Hauserat arcanum pectus, iam prodita tandem
Per simulacra licet propius dignoscere, ni tu
Quæ longinqua recens quæq; obtulit abicis ætas.
Sunt etiam terræq; plagæ pelagiq; recessus
Hinc spacijs distincta suis, sermo inclytus ille
Nil uel inaccessum siquidem uel liquit inausum.
Sic format Genitor Verbo uelut omnia nosces.
Et uocet hinc Gentes, perdatq; hinc sæpe uocatas.
Ventorum neq; non flatus rabiemq; ferarum
Vtq; suis cognata locis animantia inhærent.
Longius & uastæ surgentia compita terræ,
Ad rectum & puri normam subducito ueri.
Est mundus, sacer ille Ioui, sacer ille Plutoni
Tartara & hinc cœlum ac medius subit ordo Deorum
Atq; duplex rerum facies subit hoc generantum.
Sunt elementa Dei, mundi sunt altera, cerni
Quæ licet, occulto nascuntur & altera facto
Litera quæ diuina uocat, nascentia & inde
Omnia diuersos eadem subducit ad usus.
Hæcq; uides magni miracula maxima Verbi.
Vt mundum propria circuntulit ipse figura
Factus homo, & partes mundi Deus induit omnes

Sic genus ipse hominum quod uel circunq; citraq;
Conciliet natus Genitori,& pascat inanes
Hinc animas Verbo,& per mystica munera donet
Corporibusq; alimenta hominũ frugesq; merumq;
Non uana aut facti specie,uel imagine falsa,
Munia sic magni depromens inclyta Verbi
Sic nunc apta animis,esca est uelut artubus illa
Nanq; fouent elementa pios,elementa malignos
Illa Deo, hæc panibus tantum prognata gigantum.
Naturamq; sub hęc dictam nil esse memento.
Sed uacuum magno tantum cum numine inane
Misceri,rerum hanc naturam noscere phas est.
Mens magna ut latum,atq; ipsum demensa profundũ
Iamq; super medijs recto consumat in alta
Ordine,& hinc pendet surrectæ prodita carnis
Gloria,quæ cœlo omnis post animata recumbat.
Mira fides,in lippo lumine cernimus ista,
Quadrupedumq; genus, prepetem piscemq; repẽsq;
Imbuet ipse anima Genitor,cœloq; creata
Inseret,& simili constabant corpore Gentes.
Ergo & amicitias nascentum ex ordine rerum
Aut inimicitias opus est cognoscere,si quem
Diuinas audire iuuat,uel discere uoces.
Nam duplices conferre notas elementa probantur
Et gemina constare opera,has iam dicere læuas
Et dextras licet usq; notas,sic noxius ignis
Exhaurit totas quamuis cum ciuibus urbes
Depopulatus humum,& uestigia fœda relinquit
Est tamen ætheræ decus,& sua gloria flammæ.
Tellus ab infami sic sæuit inhospita partu
Nubigenum, atq; hominum generi sua toxica portet
Ipsa salutiferis eadem subit inclyta succis.
Vndarum quis non etiam pelagiq; furores
Doctior agnouit,detesteturq; ruinas
Ingentes,per aperta mari grassante pericla
Perq; pios hominum cœtus operumq; labores.
Est paccata quies pelagi uitreoq; relucens
Intuitu,est undis honor,& diuersa ferebant
Aërei tractus duplicis conamina cœpti
Nanq; auras hominum uitales carpere nulli
Contigerat,uitæ ni sedit cura beatæ
Morbidaq; inde lues etiam terrisq; perosa

Ingruit,

Ingruit,atq; truces Phœbi fluxēre sagittæ
Ventorumq; abeunt uires atq; acria bella.
Per populos,populosq; ea monstrant signa per orbem.
  Hoc quoq; diuinum licet internoscere fatum
Vt nusquam peruicta malis pietasq; fidesq;
Nanq; orbis uindex iustorum est maximus,ipse
Impia supplicijs adigit mansuescere corda
Dum petit occasus,dumq; idem fortius instat.
Postq; etenim uictusq; malo fessusq; refertur
Impetus,& mundi lex aduersata resedit.
Hinc noua cœlesti surgunt elementa fauore
Non urunt mites flammæ,est animantibus aër
Purior adflatu,undarum pelagiq; procella
Subsedit,nostris non iam contraria rebus,
Terra nec ingratos gignit pertæsa priorum
Titanas,hominumq; parens innoxia surgit,
Reptantum genus,atq; atri genus omne colubri
Vertit,& obsequijs cogit parēre piorum.
  Deinde puta cœli ad normam legesq; supremi
In terris constare modum,septem ne uagantûm
Sydera,in arcanos quisquam neget indita sensus
Spiritum ut totidem redeunt miracula,& illinc
Septeni, decursa patres quos colligit ætas,
Quodq; inter senos Phœbi meat ignea lampas
Egregiam cœlo lucem quod sumit ex imis
Apta ministerijs fulget,quicquam ne putetur
Aptius hoc magno adscribi per munia Christo.
Sic Plato sic docuit, quondam ter maximus heros,
Mystica sacratæ effatur sic pagina linguæ.
Occulto hinc fratris radio ceu fœta relucet,
Et fratris etiam radio Latonia tantum
Luna potens,abdit quia se tandemq; refertur
Telluri,& magni totiens commertia cœli
Experta, simili nuptæ exaugescit honore
Fatidico, hæc nocti luci satus ille regendæ.
  Nec minus occultas astrorum noscere uires
Admonita licuit,nusquam uacat ætheris almi
Inter nos ratio, gignunt ea singula formas
Corpora per [illegible] confluxu materiëi.
Seu bis sena meant dici quæ signa meretur,
Seu quæ sparsa micant cœlo cognomina: siue has
Pleiadas,Hyadas,liceat aut dixisse Triones,

Erigonenue, Helicenue, udi aut decus Orionis.
Ista quidem instinctu educunt, motuq; feruntur,
Obuerso motu; ac mundum nascentibus implet
Hinc uolucrum, pecudumq; genus, formæq; natantum,
Arboreæq; fluunt stirpis discrimina, & inde
Ad similes abeunt elementa in cuncta figuræ.
Inter eos homini mortali in corpore uis est
Indyta, flammiferaq; animus defluxit ab æthra.
Sic iussit pater ipse Deum, sic facta reponit,
Quæ minime fiunt, sed sunt, uelut Ethnica uatis.
Verba canunt: tardi motus tardissima secum
Sed stata fata ferunt mundo, rapidiq; citato
Erumpunt cursu, atq; homini inseruire putantur,
Totum agitant tardi, atq; agili mox singula lapsu
Instar agunt rapidi: hinc partes, totumq; pererrans
Æterni pietas maturat cuncta parentis.
Nam flammæ uelut atq; gelu, cum iuncta resultant
Corporaq; educunt nusquam Chaos illud iniquum,
Quo stupuisse ferunt, longo sic prodita in æuo,
Mundus cuncta tulit: primum iuuenescere suetus,
Delapsuq; perit, tantumq; renascitur ortu
Legibus æternis, ceu prouida sanxerat olim
Maiestas, proprijs cogens consuescere cuncta
Officijs, accepta refert ea fœdera cœlo.
Hoc stant fata modo, sunt hæc decreta Tonantis.
Hinc præscripta meant, Verbosi uera potentis
Nosse aliquo ueras sit phas interprete uoces,
Et non ambiguis metiri talia signis.
Pauca dein monuisse sat est, duplices animantum
Esse notas, bellíq; etiam constare cruenti
Vsq; modos, hominum produnt iam talia mentes
Exempla, hinc pietas animi sunt inde ferarum,
Seu cognata etenim mortalia pectora cœlo,
Siue aduersa Deo subit, ac peritura potestas
Res subiecta feret, nec se improba cælet origo.
Hinc refugi pisces pelagi quos semita cælat
Inuia, quiq; natant captiui ad littora sponte
Esca prijs facti piscantum gratior hamis,
Quadrupedum, uolucrumq; genus hoc noscere pacto est,
En pecudes arbosq; innoxia gramina prati,
Et quæ lætiferos eadem damnata per usus,
Cuncta notis quæ adscripta suis per signa patescunt,

Serpentumq;

Serpentumq́ proin linguæ, rabiesq́ ferarum
Natiuum ponunt subito incantata uenenum,
Verbo uicta dei, solers industria domat
Ista hominum, sortemq́ dabat penetrare beatam.
Subijcit ac nato genitor, frangitq́ furorem
Omnipotens, rebus pacem largitus amicam.
Cætera signorum quid persequar? An ne metalla
Non referunt solidos firmę uice uocis honores,
Atq; uacant isthoc sensu non semina terræ,
Non gemmæ omniparæ quæ surgunt ludicra matris,
Et magnæ tantum mentis dictata susurrant?
Nil mutum pater esse dedit, sese esse fatetur
Sydera perq́ fretum peruisilis omnia mundi.
Hocq́ etiam partes rerum digressus in omnes
Prouidus, æternę profert simulachra figuræ.
Nam superi q; facta ineunt de semine mundi
Omnia per terras, iussit pater ipse deorum
Archetypa cœli metitus imagine terras,
Vt speculi obtutu refertur imagine uera
Effigies excussa uiri, sed fluxa propago.
Hæcq́ eadem uastæ quæcunq; insignia moli
Incumbunt homini, nostriq́ imitamine mundus
Constitit, & Verbi in sortem sublectus uterq;
Conditur ad uerum, atq; Dei simulachra recenset.
Hæc VERBVM & mundi facies denunciat ingens.

DE MVNDI CREATIONE
AD ANTONIVM PANTHORMITAM, IO. PONTANI.

HOc cœlum, quæq́ obliquo distincta meatu,
Sed certa ferri sydera lege uides,
Telluremq́ suo libratam pondere, circum
Quam cingit rapidis Ennosigæus aquis,
Spiranteisq́ auium tractus, fusumq́ superne
Qui cuncta ætherio temperat orbe Iouem,
Antoni, Deus è nihilo, Deus omnia fecit,
Et formam rebus iussit adesse suam.
Ipse sua uoluit cœlum splendescere luce,
Et terras cæcæ noctis habere uicem.
Accendiq́ diem claro de lumine solis,
Solis & auratum manè redire inbar:
Alternisq́ atræ lucem concedere nocti,

Temporaq; hinc spacijs ire coacta suis.
Bissenisq; uagum compleuit mensibus annum,
Vt tamen in parteis quatuor omnis eat.
Nanq; ubi sol nostro languens sese eripit orbi,
Frigidaq; hybernis terra madescit aquis,
Sæuit hyems incana gelu, riget horrida bruma,
Tum tellus fœtu concipit aucta suo.
Ast ubi uicinos sol ipse recurrit ad ortus,
Excursu & parili noxq; diesq; ruunt,
Terra suas ostentat opes, & diuite gemma
Vestit pampineas uitis opaca comas.
Ludit & in pratis uarium uer, ludit & æstas
Torrida, & ipsa suas sedula curat opes.
Hæc frumenta manu legit, hæc & in horrea condit,
Quæ mox uersa rotis parca colona terat.
Hinc cedente die, longè & crescentibus umbris,
Autumnus pleno fert sua poma sinu,
Ac Bacchum plenis docet expumare lacunis,
Sordida dum celeri sub pede musta fluunt.
Sic statuit pater ipse hominum, rerumq; creator,
Annua perpetuas munera obire uices.
Quinetiam spirare suis de partibus orbis
Ventos, & patrijs nomen habere locis.
Nanq; ab Hyperboreis Aquilo uolat impiger antris,
Excitat oppositas humidus Auster aquas.
Eöos ciet Eurus equos : ac mitis ab orbe
Hesperio Zephyrus lenia flabra mouet.
Idem etiam occultos alta ad conuexa uapores
Sustulit, ac terræ uertit in auxilium.
Vnde cadunt imbres, & matutina pruina,
Et grato sitiens rore madescit humus.
An non & summo decurrunt uertice riui,
Et caua muscosis fontibus antra sonant?
Vnde sitim pecudesq;, feræq;, armentaq; sedent,
Temperet & riguum cœrula lympha solum.
Quando aër quoq; nimbosis inclusus in antris
Cogitur in laticem frigore, & inde fluit.
Ne qua igitur mundi regio uacet, implet & undas
Piscibus : hi campo liberiore natant,
Ac gregibus uarijs ingentia regna frequentant,
Nullaq; squamigera gente lacuna caret.
Alitibusq; auras celebrat, quibus indit & alas,

Et corpus

Et corpus penna uersicolore tegit.
Induit & uirides frondenti gramine colles,
Et nemora arboreis uelat opaca comis.
Communem & statuit uictum è felicibus agris,
Pomaq; frugiferis ducit ab arboribus.
Quò uarios usus homini, pecoriq;, auibusq;
Præstent, ac uitæ munera certa ferant.
Et iam quadrupedes fœtus, obnoxia morti
Corpora, plumosos ædideratq; greges:
Tum Deus humanos effingere molliter artus,
Membraq; de tenui ducere cœpit humo.
Cunctaq; formarat studio perfecta magistro,
Quæq; artem referant, artificemq; suum.
Mox auram ætherio de fomite fundit in illum:
Viue, ait, & proprio membra labore foue.
Arcanæ mox partem animæ de mente profunda
Libat, & erecti spirat in ora uiri.
Dux, ait, hæc hominum generi sit, & ipsa magistra,
Et sua constituant hac duce, seq; regant.
Hac ualidas ponant urbes, hac iura notarint,
Hac cœtus pariter, iustitiamq; colant.
Coniugium ac thalamos discant ratione magistra
Seruare, & casta relligione focos,
Atq; artes tractare bonas, & munera cœlo
Digna, & qui factis nomen ad astra ferant.
At postquam immemores recti cœlestia dona
Vertêre in facinus, perniciemq; suam,
Immemoresq; boni, spreta pietate fideq;,
Admorunt proprias in sua fata manus:
Grassati & patrium in iugulum, cædesq; suorum,
Miscuerunt stygio pocula tincta lacu:
Inq; uirum sæuit coniunx, in pignora mater,
Prò scelus, ac miscet fasq; nefasq; furor.
Hæc pater ut celsa miserans prospexit ab arce,
Sisteret ut sceleri, criminibusq; modum,
Progeniem in terras summo demisit olympo,
Quæq; hominis gereret munia, quæq; Dei.
Hæc cœli secreta, & inenarrabile patris
Consilium explicuit, quæ bona, quæue mala,
Quæ uitanda homini, quæ uitæ forma sequenda,
Quæq; bonos maneant præmia, quæq; malos.
Deniq; mortem obijt, uitæ dum consulit ipsi,

Atq; suo in cœlum sanguine fecit iter.
Quo magis admiranda Dei clementia summa est,
Cui fumet quicquid terra Sabæa ferat,
Quicquid Arabs: date thura focis, costumq; cremate,
Et date cum multa thurea dona prece.

DE CHRISTO FILIO DEI.

Georg. Vuicelius.

HIESVS CHRISTVS FILIVS DEI ET HOMINIS, SERVATOR MVNDI, REX COELI ET TERræ, non tantum Rex Israël & Zion, Lux mundi, Dominus dominantium, Deus deorum, Princeps pacis, Vnigenitus filius Dei uiui, Primogenitus omnium creaturarũ, per quem creata sunt omnia, & sine quo factum est nihil quod factum est, Imago idem est & splendor cœlestis patris sui, cui consubstantialis existit per omnia, Heres uniuersorum, Verbum in principio apud Deum, in quo uita, Deus uerus de deo uero, In ipso plenitudo diuinitatis, Vnus cum patre, Mediator Dei & hominum, Caput Ecclesiæ, Corona sanctorũ omnium, Summus Pontifex, fons sapientiæ, Typus sanctimoniæ, Magister ueritatis, Petra iustitiæ, Via, Veritas, Iustitia, Redemptio, Resurrectio, Agnus dei, Pastor bonus, Propheta magnus, ac potens idem in sermone et opere, Reparator æternæ salutis, Propiciatio pro peccatis, Porta cœli, Monarcha uisibilium pariter & inuisibilium omnium, quem adorant Angeli, tremunt diaboli, Archiatrus utriusq; hominis, Archithaumaturgus solus, Mors mortis, Domitor Inferni, Victor Satanæ, Interfector Antichristi, Antiquator Iudaismi, destructor Ethnicismi, Iudex tam uiuorũ q; mortuorũ, Lapis angularis, Supremus apex sacri ędificij, cardo uirtutũ, pulchritudo rerũ, Speciosus forma præ filijs hominũ, in cuius uultũ desiderant angeli ꝓspicere, Refrigeriũ animarũ nostrarum, Consolatio, gaudiũ & uoluptas nostra, Legifer noster, doctor noster. Generationẽ eius quis enarrabit? Laus omniũ sanctorũ huius Iesu Christi laus est. Neq; eñ non laudatur & prædicatur, quoties laudamus ac prædicamus membra capitis huius Iesu Christi, amicos dei, ciues cœli. Iesus Christus laudatur atq; canitur in Sanctis suis, & Sancti laudantur per Christum suũ. Iesum Christum laudo ꝓpter semetipsum, Sanctos uerò propter ipsum Christum. Iesum Christum igitur principem Sanctorum omnium, alpha & ω, principio pono, citra quem nemo sanctus fuit, est, eritq;. Verum expectas historiã Iesu Christi? Lege Moysen & Prophetas, Relege libros Euangelistarum ac Apostolorum. Ibi depicta est utraq; natiuitas Iesu Christi, quippe filij dei & Adæ: deinde incomparabilia eiusdem unici, ueri, nostriq; Messiæ facta dictaq;, omnia plus quàm angelica, omnia plus q; prophetica, omnia plus q; regia. Postremo mors huius nostri ducis ignominiosa quidẽ, sed quam mox

subsequuta

subsequuta est Reuiuiscentia gloriosissima. Totus terrarũ orbis libros non caperet, qui de Iesu Christo sancto Sanctorum, diuo diuorũ, iusto iustorum, doctore doctorũ conscribendi fuerant. Hunc uero Iesum Christum nouit, credit, diligit, colit, & sequitur Ecclesia Dei ab initio, per uniuersum orbem diffusa, quæ est communio Sanctorum Dei, felicissime persuasa, se Deum Opt. Max. Deũ unum, Deum uiuum nosse, credere, diligere, colere ac sequi, quum hunc Iesum Christum, cornu salutis nostræ, duce uerbo ipsius, in ueritate nouit, credit, diligit, colit, & sequitur.

¶ DEVS igitur machinator constitutorq́ rerum (sicuti in secundo libro diximus) antequàm præclarum hoc opus adoriretur, sanctum, & incorruptibilem, & incomprehensibilem spiritum genuit, quẽ filium nuncuparunt. Et quamuis alios postea innumerabiles per ipsum creauisset, quos angelos dicimus, hunc tamen solum primogenitum diuini nominis appellatione dignatus est, patria scilicet uirtute ac maiestate pollentem. Esse autem summi Dei filium, qui sit potestate maxima præditus, non tantum congruentes in unum Prophetarum uoces, sed etiam Trismegisti prædicatio & Sibyllarũ uaticinia demonstrant. Hermes in eo libro, qui ὁ λόγος τέλειος inscribitur, his usus est uerbis: Dominus & omnium creator, quem deum uocare censemus, quia secundum Deum fecit uisibilem & sensibilem. Sensibilem autem animo non ideo, quia ipse sentit: Hoc enim non est, utrum ipse sentiat: sed quia ipse in sensum mittit & mentem: Quoniam hunc fecit primum & unum solum. Bonus autem ei uisus est, & plenissimus omnium bonorum, oblectatus est, & ualde amauit quasi ꝓpriũ filiũ. Sibylla Erythræa in carminis sui principio, quod à summo Deo exorsa est, filium Dei ducem & imperatorem omnium his uersibus prædicat: Omnium nutritorem creatoremq́, qui dulcem spiritũ omnibus apposuit, ac principẽ omniũ deorũ fecit. Et rursus in fine eiusdem carminis: Eum dedit deus fidelibus uiris honorare. Et alia Sibylla præcipit hunc oportere cognosci: Ipsum tuũ cognosce Deum, qui dei filius est. ¶ Videlicet & ipse est dei filius, qui per Salomonem sapientissimum regem diuino spiritu plenum locutus est ea, quæ subiecimus: Deus condidit me in initio suarum uiarum in opera sua ante sæcula. Fundauit me in principio, antequàm terram faceret, antequàm abyssos constitueret, prius quàm prodirent fontes aquarum, ante omnes colles genuit me dominus: fecit regiones & terras inhabitabiles sub coelo. Cum pararet coelos, aderant illi, & cum secerneret suam sedem, cum super uentos faceret ualidas nubes, & cum confirmatos poneret montes sub coelo, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum disponens. Ego eram, cui aggaudebat: quotidie autem iucundabar ante faciem eius, cum lætaretur orbe perfecto. ¶ Idcirco autem Trismegistus δημιουργὸν τοῦ θεοῦ, id est, opificem dei, dixit: & Si-

Ex Lactantio Firmi.

bylla σύμβουλον, id est, consiliarium, appellat: qui tanta sapientia sit instructus à deo patre, ut consilio & manibus uteretur in fabricatione mundi.

Fortasse quærat aliquis hoc loco, quis sit iste tam potens, tam Deo charus, & quod nomē habet, cuius prima natiuitas nō modo antecesserit mundum, uerum etiam prudentia disposuerit, uirtute construxerit. Primum nos scire conuenit, nomē eius ne angelis quidem notum esse, qui morantur in coelo, sed ipsi soli, ac Deo patri. Nec ante id publicabitur (ut est sanctis literis traditum) ꝙ dispensatio Dei fuerit impleta. Deinde nec enunciari posse hominis ore, sicut docet Hermes, hæc dicens: Causa autem huius causæ diuini & increati boni uoluntas quæ deum protulit, cuius nomen nō potest humano ore dici. Et paulò post ad filium: Est enim fili secretus quidam sermo sapientiæ sanctus de solo domino omnium. Et dei qui ante mente capitur, quem dicere, supra hominem est. ¶ Sed quamuis nomen eius, quod ei à principio pater summus imposuit, nullus alius præter ipsum sciat, habet tamen & inter angelos aliud uocabulum, & inter homines aliud. Iesus quippe inter homines nominatur. Nam Christus non proprium nomē est, sed nuncupatio potestatis & regni. Sed exponenda huius nominis ratio est propter ignorantium errorem, qui cum mutata litera χρέσον solent dicere. Erat Iudæis ante præceptum, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent hi, qui uocabantur ad sacerdotium, uel ad regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis assumptæ, sic illis unctio sacri unguenti nomen ac potestatem regiam conferebat. Verum quoniam Græci ueteres χρίεσαι dicebant ungi, q̃d nunc ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homericus uersus ille, quo propitiabant, unxerunt oleo: τοὺς δὲ δμωαὶ λοῦσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ: Id est, Hunc autē famulæ lauerunt & unxerunt oleo. Ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est unctū, qui Hebraice Messias dicitur. Vnde in quibusdā Græcis scripturis, quæ male de Hebraicis interpretatæ sunt, ἠλίμενος, id est, ungendo creatus, scriptum inuenitur, ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι, id est, ab ungendo creari. Sed tamen utrolibet nomine rex significatur: non ꝙ ille regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cuius capiendi nondum tempus aduenit: sed quod coeleste ac sempiternum est. De quo disseremus in ultimo libro: nunc uerò de prima eius natiuitate dicamus.

In primis em̄ testificabimur illum bis esse natum: Primum in spiritu, postea in carne. Vnde apud Hieremiam ita dicitur: Prius ꝙ te formarem in utero noui te. Et item apud ipsum: Beatus qui erat anteꝙ nasceretur. Quod nulli aliij contigit, præter Christum: qui cum esset à principio filius Dei, regeneratus est denuo secundum carnem.

Pio

PIO LECTORI.



Voniam ferè nostris temporibus desunt, qui, ut admonet sanctus Petrus, τύποι gregis Christiani sint, quosq; tutò sequi possis, placuit ueterum, & eorundem optimorum exempla, ceu ἁγιολόγιον quoddam, in usum proponere. Quæ tametsi in ipsis suis Biblijs melius leguntur, attamen non paulò iucundius est, suo in choro & collectos solosq; intueri sanctos illos homines, amicos, domesticosq; dei, ita ut in promptu habeas, quid de quo Patriarcha, Rege, aut Propheta tradiderint sacra Biblia. Atq; illi omnino digni sunt, qui multorum etiam literis celebrentur, atq; adeo gaudent ad imitationem exponi, uelut honore eximio. Fuere illi templa uasaq; spiritus sancti. Ad huiusmodi nos ipsos exigamus, qui esse eadem & nobis uidemur. Horum conciues nos Apostolus uocat, alicubi fratres. Et sunt ijdem non doctores modo, sed & factores. Nec indicarunt solum uiam dei, uerumetiam ipsi calcarunt. Concedamus interim sua Romanis, sua item Græcis exempla: nos priscos illos exuscitatos contemplemur, nosq; in illis suspirantes & clamantes, donec, si non pares, saltem proximos illis faciat ac formet nos suo spiritu Deus. Cui uni laus. In Saxonia. Anno, M. D. XXX.

Philip. 3.
Coimitatores mei estote fratres, & consyderate eos, qui sic ambulant, quemadmodum formam habetis nos.

DIVORVM VETERIS TESTAMENTI HYPODEIGMATA, AVTHORE GEORG. VVICELIO.

ADAM.



Gene. 1. DAM E PARADISO VOLVPTATIS EMITTITVR, ut in sudore operetur terram, de qua sumptus est. Igitur Paradisus hac in terra Adamiæ posteritati interdicta est: opus uerò manuũ præceptũ. Paradisum in futuro sæculo expectamus, De qua Dominus Lucæ xxiij. Hodie mecum eris in Paradiso. Hic euntes imus, & in lachrymis seminamus, in exultatione messuri, Psalm. cxxv. Porrò quisque sibi contra superbiam sæpe occinat illud: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Aut si malis cũ Abrahamo: *Anochi aphar ueaphar.* Aduersus pleonexiam utere: Nudus uenisti, nudus abibis. Atq; hic demũ habes, quale sis τὸ πλάσμα, inuicte Polypheme unà cum Ennacim socijs. Lutulentum genus est, quod iactatis: aut si poëtis mauultis cerdere, lapideum.

Id est, q sum puluis & cinis.

HEVA.

Gene. 3. Perfert multiplices pressuras mater, idq; non tam pregnans, q̃ pariens. Virum suum appetit, atq; ad hunc sese uertit, qui ipsi præsit. Afflictionem carnis habent huiusmodi. j. Corint. vij. Saluatur tamen uxor puerpera, si manserit in fide ac dilectione, & sanctificatione cum castitate. j. Timoth. ij. Recole Christiane, Tempus breue est: Qui habet uxorem, sit tanquam non habeat.

1. Cor. 7

ABEL.

Gene. 4. Vberrimam hostiam obtulit Deo Abel, fide, factisq; iustus, & ore dominico celebratus. Vnde inuidiam sibi conflans, cruce glorificatus est. Sed heus tu quoq; fidelis offer. At quid offeras? Dicam equidem: Primum temet, quantus es: mox cor contritum, deinde fructum labiorum: postremo substantiam in fratres dispersam: quæ res odorem præbebit bonæ fragrantiæ. Hoc facto, para collum. Tunc etenim gladio præbenda est candida ceruix. Subinde memoria repete: Vox sanguinis fratris tui, &c. Hoc est: Non impune occidisti te meliorem fratricida. In auribus Domini Zebaoth istud, crede mihi, est.

Ibid.

ENOS.

Gen. 4. Huius tempore palàm cœpit inuocari nomen Domini, tu hunc sequere, credendo, prædicando, laudando, amando, ut sis ueri Adę filius, cuius priscus ille transgressor typum gerit. Non nescis? Omnis qui inuocauerit nomen Domini, is saluus erit.

Ioel. 2.

Enoch

ENOCH.

Enoch ambulauit cum Deo. O uocem sacram, quę augustius quidam in sua lingua sonat. Vera sanctitas & iustitia hominis eo schemate significatur, adeoq; quicquid est, quod pietatem, siue religionem, item alicubi timorē dei scriptura appellat. Necesse est igitur, uitę huius commodis parcissime usum, & futuram, toto pectore, citra intermissionem, gemebundum exoptasse. Vnde sublatus è peccatrice generatione, quā grauiter ferebat, gaudio inenarrabili in Paradiso ueræ uoluptatis in sempiternum fruitur. Gene. 5

NOAH.

In terra hac maledicta consolator siue recreator Nōe est, sed eorum qui laboribus & oneribus prēmuntur, Matth. xj. Qui contendunt per strictum iter in hæreditatē promissam. Qui quotidie baiulant sibi crucem, gementes domicilio, quod è cœlo est, superindui. Cæteri diluuiō ac igne æterno perdentur. Noah uir iustus est, & Thamim. Gen. vj. Nam & ipse ambulauit cum deo. Vide textum. Item iustus erat in generatione sua. cap. vij. Et ædificauit altare domino, & sacrificauit. cap. viij. Iustus idem cum iustis numeratur, Ezech. xiiij. Fuit & iustitiæ prēco, non iustus tantum, ij. Petri. ij. Nisi ex animo & constanter credidisset, non apparasset arcam rebus adhuc secundis. Hebr. xj. Habes pietatem Noe erga Deum, nunc communem uitam accipe. Cœpit, ait textus, Noe esse uir agricola, & plantauit uineam, Cap. ix. Labores enim manuum suarum comedit, Psalm. cxxvij. Tu quoq; incumbas, ut quietus sis, & agas res proprias, & operere manibus ꝓprijs, j. Thes. iiij. Lege ij. Thess. iij. Et tibi, non Monachis tantū, dictum puta. Pudor ingenuus duorum filiorum huius, pędagogiæ studium declarat. Cataclysmi subitam irruptionem de subito aduentu iudicis orbis expositam in Euangelio meditare. Gen. 6 Id est, perfectus.

ABRAHAM.

Huius uiri fides, pietas, obedientia, fortitudo, dilectio nunquam satis commendabitur. Quin textum audimus: Ædificauit Abraham altare domino, & inuocauit ibi nomen eius. Ecce cultus dei. Mox cap. xv. Credidit Abraham, &c. Ecce fidelem ac iustum corde, ore, opere. Accipit idem in mandatis à domino: Ambula coram me, & esto perfectus: quod Græci τέλειος. Tale tibi præcipitur quoq; Deutero. xviij. Perfectus, id est, absq; macula, cum deo tuo eris. Item Math. v. Hæc hominis religio. Priuatam conuersationem, hoc est, ueræ religionis testimoniū, ornat relicta patria, perpetua peregrinatio, tribulatio, apud ignotos tentatio, quam heroica fide uicit, philoxenia, precatio pro sterili regina, precatio fortis pro Sodomorum salute, libertas arguendi regem. Iam attinet & hoc ad rem, quod laborat, plantans nemus. Nec sordidus est, utpote qui à rege Sodomorum nec calciamenti corrigiam Gen. xii.

accipere

accipere uelit. Emit liberaliter sicut & Dauid ab Areuna, honorat alios, &c. Propheta idem dicitur, Cap. xx, Patriarcha, Hebr. vij. Homo, cuius nemo similis inueniatur, Eccle. xliiij. Typus est omnium credentium & peregrinantium in Ecclesia. Ea propter ad hunc respicere in Isaia iubemur, Cap. lib. Quod ni, spiritu operante, feceris, sinu huius nunquam colligere. Si filius huius esse uis, ingredere uestigijs fidei huius, Rom. iiij. Et declara fidem, ut Zacchæus Luc. xix. Breuiter, filius Abrahæ, opera patris peragit, Ioan. viij.

SARA.

Gene. 19. Saram allegat D. Petrus contra mundũ muliebrem, & ponit eandem in exemplum Christianis mulieribus, spei in deo, subiectionis & obedientiæ erga maritos. Quemadmodũ Sara, inquit, obediuit Abrahæ, dominum illum appellans: Comes peregrinationis sui uiri ac tribulationis omnis socia, fide profecto non caruit.

LOT.

Lot Abrahæ nepos, Abrahę fidem, obedientiam ac hospitalitatem imitatur, nobis imitandus. Compellit intrare ad se hospites, Dei angelos, ut eos lauet, cibet, reficiatq́, adeoq́ quos aduersus uiolentiam uel filiarum suarum prostitutione, tueatur. Adq́ illorum imperiũ, relictis omnibus fugit: is antea oppressus à nefarijs per libidinosam conuersationem. Et quoniam oculis & auribus iustus habitaret inter illos, quotidie animam iustam iniquis suis factis excruciabant, ij. Pet. ij. Ridetur hodie, qui ob malefacta Christianorum torquetur, cum ferè superent Sodomitas in superbia, crapula, abundantia, ocio, immisericordia, Ezech. xviij. Nec temere queritur Ieremias: Maior effecta est, inquit, iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum. ἀρσενοκοῖται Itali Sodomitæ soli non sunt, qui quotquot sunt, grauius iudiciũ expectent oportet, Matth. xj. Cæterum subuersio ista ciuitatum ὑπόδειγμα est illorum, qui impiè forent acturi, sicut S. Petrus exponit. Idem dominus in Euangelistis ad nostri νουθεσίαν trahit: Sicut, ait, accidit in diebus Lot: edebant, bibebant, &c. Vt nimirum in sanctis conuersationibus ac pietatibus expectemus aduentum diei Dei: utq́ immaculati & incontaminati ab illo in pace reperiamur. Sic enim docet S. Petrus.

VXOR LOTH.

Memores estote uxoris Lot, dicit Dominus, Mat. xvj. Nemo qui manu sua admota aratro, respexerit à tergo, aptus est regno cœlorum, Lu. xj. Exemplũ S. Pauli hoc loco substituendũ, lege Philip. iij. Atq́ illud imitari nos uult, ut ibidem legis. Obliuiscere patriæ tuę, & dic patri ac matri: Nescio uos: & fratribus: Ignoro uos, Deut. ult. Ægypto ac Babyloni, hoc est, mundo huic ualedicamus, nec illuc redeamus, ne cum eo damnemur, & pereamus.

Abrahæ

ABRAHAE SERVVS.

Forma piorum seruorum, si quibus datum est. Homo ille religiose precatur, credit, gratias agit. In heri sui negocio solicitus, prudens ac fidus est, postponens officio patinas. Obserua item, quod sit idem in orando apud Syros illos diligens & disertus, quod uerax, quod simplex. Ablegatus reditum maturat. Vere dixit Salomon: Sapiens seruus regis beneplacitum est. Et Syrach: Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua. *Gen.24.*

ISAAC.

Benedicti seminis typus, in quo benedicendæ erant omnes familiæ gentium: Filius promissionis uerius quam carnis, genitus ex deo, &c. Quæ generatio risum facit filijs generationis huius adulteræ. Puellus Isaac patri obediens fuit usque ad mortem etiam, quæ sibi intentabatur. Patitur Ismaëlem derisorem, siue, ut Paulus dicit, persequentem. Patitur Palæstinorum simultates. Nec ulli dubium, quin sanctus pater filium tenellum ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ domini educarit, iuxta illud: Scio, ait Dominus, quòd Abraham præcepit filijs suis, & domui suæ post se, ut custodiant uiam domini. Tandem illi uxor à deo prudens datur, Prouer. xix. Morem præterea peculiarem habuisse existimandus est, nimirum, quod rus deambulauit ad meditandum, siue orandum, Cap. xxiiij. Cuiusmodi Dauid in Ogdoade sua sæpe dicit: Meditabor siue exercebor in statutis tuis. Et sanctus Paulus præcipit: Hæc meditare, in his esto. Signum est hoc inhabitatoris spiritus, qui sensus ac corda ad sese suaque rapit. Orat Isaac contra sterilitatem uxoris, & impetrat, paterno uidelicet exemplo edoctus. Vides ubique in patriarchis pietatē & honestatem. j. Timot. ij. *Gen. 22* *Id est, in disciplina & admonitione*

Illud semel dictum sufficiat: Nempe in somnis illo tempore reuelasse populo suam uoluntatem Deum, nunc uero idem facere in scripturis sanctis per doctorem spiritum.

Item illud: Nimirum naturam in sanctis nō tacere scripturas. Abraham ridet grauidam anum, mortuam deflet. Isaaco adimit dolorem nouæ nuptæ amor, ludens nugatur cum uxore, uterque timore adactus simulat. Iaacob puellam iuniorem mire amat, reifamiliari studet, natu minorem filium præ cæteris tenerè senex adamat, cuius etiam insomnio iritatur, ueste sanguine respersa luditur, mox uehementer luget οὐκ ἀδακρυτί. Rebecca uiuere renuit, ni ex sententia succedat. Rahel inuidet sorori fœcunditatem, & deludit patrem. Iosepho commouentur uiscera super fratribus, &c. In rege Dauide multi affectus. Quis enim huiusmodi omnes enumeret? *Id est, non absque lachrymis.*

Aliud: Noah, & post Iosephi ebrietas, Loti, & post Iudæ incestus, Abrahæ cruenta manus, Iacobi in parando uictu calliditas (Si tamen hæc duo in peccatis numerari debent) Mosi, & post Dauidis homicidium, Aharonis murmur, Ionæ inobedientia, Iiobi maledicentia, Dauidis recensio, scortationes Samsonis, Ruth nocturni concubitus ca-

ptatio, & si qua alia flagitia sanctorum hominum sunt, pijs incaute labetibus medicina esse debent. Impij cõtrà peccatores eiusmodi respuũt.

REBECCA.

Vna ex mulieribus quas S. Petrus sanctas ac sperantes in deo uocat. *Gene. 23.* Reperitur ea uirgo in labore. Quęrit lanam & linum, &c. Proue. xxxj. Et perquàm comes ac benigna: Bibe, ait ignoto Abrahæ œconomo, domine mi. Hospitalis quoq; est, inuitãs uirum. Parentibus assentit nuptura, & uolens tam patriam quàm parentes derelinquit, ut marito suo adhæreat. Vide quàm genuinus uirgunculæ pudor, quando se pallio obtegit. Vide pietatem mulieris, quando dominũ consuleret, non pythonicos, aut augures, Isa. viij. An non populus apud deum suum quęrat? Peregrinatur cum marito suo in fide dei. Summa: Mulier est, qualem describit Apostolus, j. Timo. ij.

IAACOB.

Iacob uir integer, à fratre odio habitus, consilio matris solum uertit, ut uitam tueretur. *Gene. 27.* Duriter peregrinans uixit, sed interim audit à domino: *Gene. 28.* Ero custos tuus. Mire pius adolescens, quod uel ex Cap. xxviij. liquet. Nam erecto Bethel, orat, uouet, & deum præsentem sibi propitiumq; & credit & habet: ualde idem affabilis ac humanus erga populum orientalem. Seruit liberaliter uni hero xx. annos: diu noctuq; æstu ac gelu affligitur, uigilat, damnum hero sarcit, seruus qualem nimirum exigit Apostolus Ephe. vj. Colo. iij. Tandem una atque altera uxore ducta, τεκνογονίᾳ studet. *Id est, filiorũ procreationi* Tale enim ad multiplicandam Abrahamianam sobolem attinebat. Nuptiale conuiuium Isaaci, præter hoc in Aram factum, non legimus: ubi & Iacobo pro more gentis celebratum conuiuium legis: sicut & Simsoni apud Philistæos. Non ibi legis germanicas nuptias, hoc est, diabolicas comessationes, compotationes, pompas, insanias, choreas, & plane dedecorosum Christiano nomini strepitum. Nota item, quàm non sit amarulentus erga uxorem Iacob, Coloss. iij. *Gene. 30.* Sed ut Petrus admonet, secundum scientiam eam tractat, cum potuisset eius importunitatẽ sæuis uerbis retundere: Nunquid, ait, pro deo ego sum? Nec illud arbitror contemnendum, quanta uidelicet sedulitate infantulis nomina indiderint sancti parentes, tametsi parum referat, quocunq; appelleris nomine, modo Christum sequare. Vult Iacob & suæ etiam domui præesse, hoc est iuxta Pauli parænesim operari propria. Hactenus seruierat. Sed potuit liber fieri, cur nõ uteretur? Idem è uultu latentem soceri iram animaduertit, sed uide, ut illam iniustam arguat, *Gene. 31.* ac sese purget. Audi fidem: Non, ait, dedit illi deus, ut male mecum ageret. Ibidem honestis rationibus expostulat cum socero, & multa libertate aduersus ingratum in dicendo utitur. Ea est bonæ conscientiæ fiducia: *Gene. 32.* Rediens uir bonus obuium habet fratrem Esau, quem ex multo metu dominum suum uocat, & placat ferocem donis atq; uerborum

facilitate

facilitate. Obserua quàm pie deo, non sibi aut operi suo, tam liberos, & bona uenditet: Minor, inquit, sum cunctis misericordijs. Item: Benedictio, quam donauit mihi dominus, &c. Item: Paruuli sunt, quos donauit mihi dominus. Lucta illa diuina summam uiri pietatem & iustitiam indicat simul & commendat. In uia orat, promissionis fide plenus, affligitur, tentatur, uincit. Illud admirandum, quòd pius uixit in medio gentis impiæ. Omnia sic loquitur, sicque se per omnia gerit, ut concordiam cum fratre alat, eiusque ferocitatem mitiget. Atque hic uides, mollem sermonem iram frangere, Prouer. xv. Seruit deo in Suchoth, diues quidem pecoris, sed tamen pius. Hunc igitur imitemini, & diuitiæ uobis nihil oberunt: Diuites erga Deum sitis, Lucæ. xij. Et diuites in bonis operibns, j. Timoth. vj. Displicet uiro iusto cædes Sichimorũ. Tribulatio & angustia hîc inuenerant eum. Iubet è medio auferri idola, & mundari &c. Vbi claret, quàm pie, quàmque paterne suę domui præfuerit. Perpetuo peregrinatur Dei populus, declarans se in terris locum manentem non habere. Et hoc in genere prætereundum non est, uidelicet, incolas ubique ἀθέους licet, erga Hebræum popellum benignos ac humanos sese exhibere, ut cap. xij. Ægyptij, cap. xx. Geraritæ, cap. xxiij. Hethæi, cap. xxiiij. Syrij, cap. xxxiij. Sychemi, &c. Nobis tale præcipitur in Deutero. nec fecimus, atque hoc Christiani. Ibidem. Gen. 35.

IOSEPH.

Narrat libere diuina somnia, hoc est, dei iudicia: suffert incredibilem fratrũ inuidiam, nudatur, in lacum conijcitur non aperiens os suũ, uenditur in exilium. Sed ô fœlix, quia Dominus cum eo. Ex exule ac famulo fit præpositus & œconomus regis. Cogita hîc, quanta hominis fidelitas, quanta modestia, quanta bonitas, quantum denique delitium sui generis. Continentia adolescentis prodigiosa est, utpote, quem tam ingens tentationis ignis incendere non ualuit. Tali dono donatum quoque Paphuntium quendã & Narcissum tradunt, & cum primis diuam Ceciliam, & Agatham, quæ sollicitatori Quintiano dixisse legitur: Mens mea supra petram solididata est, uentus uerborũ tuorum hîc nihil efficiet. Bellephoron & Hippolitus gentiles hac in re Christianos nostri temporis antecedunt. Vera crux pijss. iuxta ac castiss. iuuenis, quòd in carcerem conijcitur, sed Deus cum eo in carcere. Papè quàm gloriosum est, pati aliquem ὡς χρισιανὸρ, hoc est, innocentem. His tamen malis cupit eripi Ioseph, sed ad uotum protinus non succedit: duos enim annos in lacu illo degere oportet. Hæc disciplina est filiorum Dei. Pincerna interim κακοποιὸς cum Barraba educitur. Tandem uir, in quo spiritus Dei est, uir intelligens & sapiens, ad summum honorem, quem non affectarat, euehitur. Gloriã enim ubique præcedit ignominia. Bone deus, quàm admirabili prudentia, quàm salubri consilio regioni adest? Quis satis explicet animi illius diuinitatem, morum conseruatam integritatem, sum- Gen. 37 Id est, malefactor.

mum in iuuando studium ac laborem? Non est oppressor pauperum, nec exactor tyrannicus, sed saluator ac patronus adeoq; ἄσυλον totius populi. Atq; ita in publico se gerit: Priuatim ad pietatem exercetur, obliuiscitur populi sui & domus patris sui, grato animo beneficia à Deo datore accipit. Durius cum fratribus agit dissimulator egregius. Porro sic debebat fieri. Odio aut uindictæ libidine nihil egisse existimandus est.
Id est, naturali amoris affectu carentes. ἄστοργοι fratres commeruerant iram, sed ipse condonat, sed flet, sed pecunias largit Iosephi pietas. Item benignè eos excipit, refocillat benignius, tractat honorificè immeritos, consolatur, & exilij sui necessitatem perq; comiter ijsdem exponit. Vsqueadeo autem Deo plenus est Ioseph, ut nomen Dei non possit suis sermonibus non frequentissime inserere, atq; hoc reuerenter utiliterq;: Dens, inquit, uester dedit uobis thesauros.
Gen. 45. Mox: Deus misereatur tui fili mi. Item: Deus me pro salute uestra misit in Ægyptum. Et iterum: Dei uoluntate huc missus sum, non uestro con
Ibidem. silio. Et, Deus fecit me dominum uniuersæ regionis. Item, filij mei quos dedit mihi dominus. Item: Vos cogitastis de me malum, sed deus uertit illud in bonũ. Atq; ita ex abundantia cordis os loquitur. Vtinã & nos talibus uerbis adsuesceremus, & disceremus rectè nomine diuino uti.
Ibidem. Magnũ præterea honorandorũ parentum exemplũ in Iosepho relucet, qui patrẽ senio confectũ tam diligenter cum tota propagine accersit, & tam amãter aduenientes suscipit, instruit, curat, pascit, pater uerius quàm filius IACOBI, quem uicissim alit, mortuum ritè sepelit, fratres metu
Gen. 50 liberat, solatur, recipit sese illorum necessitati non defuturum, loquitur super corda eorum, &c. Morem sepulturæ Ægyptiæ seruat, rem mediam uidelicet, tam in condendo se quàm patre. Nec prætermittenda est
Ibidem. aliorũ fratrum erga parentem obedientia, erga Ægypti præsidem illum ignotum humilitas ac reuerentia, pro fraterculo solicitudo. Breuiter erga omnes exhibita honestas ciuilitasq;.

MOSES.

Exod. 2. Infans etiamdum impij regis tyrannidem experitur, domino suo in hoc pulchrè adsimilatus, Matth. ij. Sed tamen perdere homo non potest, quem seruat deus. Exul idem est puer, adeoq; pupillus adoptatur.
Ibidem. Vide quæ diuini uiri auspicia in hoc miseriæ salum æditi. Adolescens supplicium effugit, & aduena fit sicut omnes patres eius, nec tamen Dei
Exod. 3 auxilio perpetuò destitutus. Pascit oues uir sanctus, atq; in officio uidet
Ibidem. auditq; deum, sed non sine metu. Post, uocatur ad aliud munus, futurus ex pastore ouium pastor hominum, sicuti S. Petrus ex piscium piscatore hominum piscator. Munus aliquantisper detrectat, non tam rei periculum quàm suam paruitatem considerans. Gentis doctor à uocatione instituitur formaturq;, & audit primus ipse, quæ loquatur alijs, imò miraculis allicitur, & multa persuasione tantum non attrahitur, ut pareret ignominiam currentibus ultroq; captantibus publica munia. Cæterum prouin

prouinciam delegatam obiturus, salutato & consentiente socero, Ægy- Exod. 4.
ptum repetit, una cum uxore ac filijs. Partes suas apud regem strenuè
liberèq; peragit, sed iterum atq; iterum ludit operam: Nam ita fieri de-
bebat. Tandem expellitur à facie tyranni, crucis opprobrium ample-
ctens, & audit: Aut abi, aut morere: Quod prius ille facit, & in æstu iræ Exod. 10.
discedit. Hæc in Ægypto. In profectione uir dei fide firmatus, popu- Exod. 14.
lum labascentem mirè surrigit, roboratq;, deo exultabundus canit, po- & 15.
pulo cum solicitudine præest, à domino petens, si qua necessaria popu-
lus efflagitasset. Murmur indomitæ gentis perfert, nec tamen sine con-
testatione, quod id in iniuriam dei cederet. Præterea urget ac sudat pre-
tiosa anima, ut alijs bene esset. Post, obdurat ad rixas uulgi, qui murmu
ra pertulerat, idq; adeo, ut ad lapides prope res ueniret. Plane est do-
mus Mari synagoga. Plane ij sunt, si qui alij, quos Propheta longo post Id est, exasperans.
tempore salonim, sarabim & morrerim appellat. Quę agnomina rectis- Id est, rebelles.
sime intellexeris, ubi huiusmodi expenderis, nempe: Forsan non erant
sepulchra in Ægypto. Item, utinam mortui essemus in Ægypto, &c. Exod. 14.
Quis dabit nobis ad uescendum carnes? Recordamur piscium, &c. Exod. 16.
Constituamus nobis ducem & reuertamur in Ægyptũ, &c. Cur fecisti Nume. 11.
nos exire de Ægypto? ut occideres nos, &c. Est'ne dominus in nobis,
an non? Quæ tametsi extra institutum est referre, tamen quia inde no-
tior nobis Mosi mansuetudo fit, prætermittere non debebam. Chri-
stiani nostræ ætatis tanto Hebræos hosce interuallo anteeunt, quanto
olim gentes in circuitu, Ezech. viij. Orat homo magnus, & tacens cla- Exod. 14.
mat ad deum. Quid quòd sublatis palmis hostem fundit? Vide item, Exod. 17.
quibus negociorum undis iactetur, inuoluaturq;, quę subeat, quæ per-
petiatur, ut bene præsit. Consilio quoq; soceri barbari pro temporis ra Exod. 18.
tione obtemperat, excellens alioqui in quauis scientia. Ad montem Si- Exod. 19.
nai pręmonet, susq; deq; cursitat, narrat, contestatur, consolatur, docet,
sui nimirũ officij satagens. In periculo rursus orat, ac sese ceu parietem
diuino furori opponit. O ualidam ualidæ fidei precationem. Eam nos
oraturi in nostris casibus imitemur. Quàm indignè fert infandum re-
lapsi populi scelus, quàm disquirit, quàm irascitur, quàm grauiter cum
seducto fratre expostulat? Deinde quanto ardore deum orando con-
ciliat? Bone deus, quæ ista uox: Sin minus, dele me, &c. Quàm non no Exod. 32.
stri sanguinis, q̃ non nostrę mentis ea est? Ad eundẽ modum optabat se
pro alijs deuotũ S. Paulus. Nulla maior charitas est. Proxima Dauidis: Roma. 9.
Reus, inquit, ego sum omnium animarũ. Item, Domine deus uertatur, 1. Reg. 22.
quęso, in me manus tua. Obscurantur hîc Curtij, et Decij unà cũ Scipio 2. Reg. 24.
nibus. Vide quoq;, q̃ diligenter doceat, q̃ ad amussim præscribat, q̃
probè singula instillet ac repetat Moses pro suæ ætatis ratione, multa
pro hocce nostro tempore. Non condemnat blasphemum, priusq̃ à Nume. 9.
domino iuberetur. Quemadmodũ alibi pollutos celebrare pasah non Nume. 15.

permittit, nisi antea cõsulto domino. Sic agit cum collectore lignorum,
Num.27 & filiabus Salphat. Pius est in affinem Hobab Madianitem, nec facilè à
se illum dimittit, non tam sui quàm totius synagogæ caussa, cui per ere-
mum opus fore illius industria uidebat. Quo claret solicitudo proui-
dentiaq́; Christiani præsidis uti uolentis etiam increduli opera in admi-
nistrando. Verum illo recusante, aliunde deus supplet, ne quid in Eccle
sia desyderes. Nec reticendũ, quibus angustijs septus uir dei fuerit, quan
do res omnis iterum esset inclinata: ut interpellat, ut affligitur, ut sua de
sorte queritur apud deum? Sed post, ea pastoris querela accusatum po-
pulum ualde pressit. Id quod nobis magno solatio fuerit. Man impune
nõ fastidiere saturi, sicuti nec nostri homines. Et quis non miretur ani-
Num.11. mum uiri huius ab omni inuidia alienissimum, quando Eldad & Me-
dad prophetantes, contra contemptores nõ tuetur solum, sed & optat,
ut nemo non diuino spiritu illustratus prophetet in eius gloriam, cuius
Marc.9 res agitur. Sic apud Euangelistas dominus prohiberi uetuit, qui ejicie-
Luc.9. bant dæmonia. Et Paulus Christum adnunciari quauis occasione gau-
Philip.1. det. Audi aliam atq; aliam subinde optimi hominis afflictionem. Antea
affligebatur à turba promiscua, nunc à supremis. Quam infestationem
quomodo tulisset, ni eum & dextera dei suffulsisset, & aluisset remune-
rationis æternæ spes? Neq; enim uulgaris animi est, summam inuidiam
Id est, mansuetus. iuxta ac maleuolẽtissimas pati obtrectationes. Vnde scribitur ualde Ani
fuisse, hoc est, qui humili deiectoq́; spiritu iniuriam deuorare omnem
potuerit, quod uirtutis Apostoli πραότητα dixere. Iam quia πραὺς erat, no-
luit calumniam ipse ulcisci, sed hoc fecit dominus, qui semper dicit: Mi-
hi ultio: à quo laudatur contrà Mosi fidelitas. Adhæc quò liquidius
pateret Mosi mansuetudo, longanimitas & candor quidam, orat pro
persecutore εὐαγγελικῶς, & orat toto pectore. Id quod è suis ipsius uerbis
Id est, tolerantia malorum. melius intellexeris. Ita enim habet precatiuncula: Deus obsecro, sana
eam. O mirandam ἀνεξικακίαν. Sic alibi humi prouolutus sistit iram dei,
nec cessat à clamore in ipsa etiam strage. Iterum à populi plane deplorati
impio murmure afflictus, unà cum Aharone pronus in terram corruit,
quippe non ferens sacrilegam uocem (grauiori enim uerbo uti non
Num.14 possum) Constituamus capitaneum, & redeamus in Ægyptum. Quæ
machæra, quod telum syncerissi. ac fidelissi. pectus immanius transuerbe-
rare unquam poterit? Neq; tamen minus post deum illis propitium fa-
cit. Audimus uidemusq́; & nos hodie non ita multum disparia in no-
stro populo Christiano, ob quæ quantum ego excoquar adedarq; dis-
simulatum quàm confessum malo. Accedunt his nouæ illę Cora turbæ
aduersus uirum iustum. Cuius schismata, cenodoxia matre prognata,
plurimum nostris casibus solatij adferunt. Sed hîc mihi obserua, quàm
sapienter eam synagogæ labem absterserit. Age, ait, dominus ipse secer-
net à prophanis sanctos, ne nos iudicando inter nosmet erremus. Quo
in loco

in loco discamus à Mose uocationis certitudinem, deq; deo in nobis ple rophoriam. Destituti hac persuasione sunt, quotquot spiritu dei desti-tuti sunt, ut sunt literarij, mercenarij, uentriculi, hæretici. Verbis illi pu-gnant inanibus & conuitijs amarulentis, nec apparere audent, ubi cog-nitio caussæ exactior habenda est. Discamus item, multum habere mo-menti in controuersia uitæ innocentiam, ut dicere possis: Tu scis domi ne, quod nec asellum, &c. Huic ὁμόψυχος Samuel erat. Homo multis mo dis exercetur, & grauius etiam, ac si plagis cum Paulo uapularet. Popu-li mores, mihi crede, uerbera abunde atrocia pio sunt Antistiti. Quin-etiam exemplum fidi pastoris præbet, quando sententia mortis accepta solicite à domino peteret, ut sibi in ministerio æque bonus succederet. Oues enim multæ, pastores uerò pauci: pauciores ueri pastores, patres paucissimi. Nemo est, cui tam curæ sit Ecclesia, quàm est sua cuiq; do-mus. Adhoc dilucidat legem, siue ut Paul. dicit, secat, ne ullus non intel-ligat, Deut. j. Moriturus successorem diligenter instruit fingitq;, scribit legem, tradit, præcipit, interminatur. Habes itaq; absolutissimum opti-mi pastoris τύπον in Mose, cui contigit eloquium: Non fore, ut similis il-lius propheta in Israel surgeret. De cuius spiritu auferat, & nobis impar tiat misericors deus, Amen. Deut. 34. Nume. 11.

AHARON.

Aaron Mosi frater eloquens à domino pronunciatur, qui oraculo admonitus, fratri obuiam lætabundus exit, prophetæ illi loco futurus in Ægypto. Murmur populi perfert, ita ut decet uirum. Expostulatori Mosi mansuetè respondet, quando populi uesaniæ infelix acquieuisset. Communem cum Mose iniuriam tam à populo quàm à Leuitis fert. Quàm supplex ueniam precatur uir tantus, quando nimirum in Mosi personam peccasset. Huius uirga præ cæteris floruit: is enim cõmenda-tus est, quem dominus cõmendat. Sic quoq; Heliam miraculo insigni alijs prælatum legis. Porrò uestitus hominis Episcopo μυσικῶς conuenit, præsertim pectorale, quod cõtinet iuxta Septuaginta, δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν. Adeoq; tota Aaronis uita, presbyteri Christiani instructio esse poterit. Horum est, panes dei sui adportare, id est, Euangelizare, ideo sancti sint: in quibus uerò Mom est (quod pulchrè lxx. μῶμος) ij non adferant panẽ dei sui, unde Paulus presbyterũ ἄμωμον exigit. Eorundem quoq; est docere, ne flagitiorum immunditijs tabernaculum polluatur, id est, Ecclesia. Vide Leui. xv. Vnde Paulus j. Cor. v. Ad eundem modum ce lebrari merentur duodecim principes Israëlis, & septuaginta seniores, cæteriq; sacerdotes, synagogæ columina. Horum curam atq; laborem imitentur Ecclesiæ diaconi, ut ea cum synagoga nõ certare solum queat, uerum etiam superare. O utinam & nos in Ecclesia tandem audiremus: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, &c. Deut. iiij.

Exod. 4. Nume. 16. Nume. 14. Exod. 32. Id est, declarationem & ueritatem. Id est, uituperium. Nume. 11. Deut. 4.

Pinehas.

PINEHAS.

Nume. 25. Fidei spiritu non caruit Pinehas, qui zelo polluit. Videt homo sanctus præuaricantes, & zelo diuinæ legis incenditur, usque ad mali propulsationem. Ardens pectus sese continere non ualuit, quemadmodum nec Elias, nec Mathathias cohibere se potuêre zelo dei concitatissimi. Dauidis zelus incredibilis uel hinc nobis commendatur. Consumpsit, inquit, me zelus meus. Et: Vidi præuaricationem, & mœstus dolui, idque adeò, ut præ mœrore tantum non extabescerem. Idem: Nonne odientes te domine odio persequar, & in insurgentes aduersum te extabescam. Quem affectum & omnium princeps Christus induerat, quando de indignabundo diceret: Zelus domus tuæ, &c. In Exodo ζηλώτης prædicatur. Rectè scripsit d. Ambrosi. Zelus charitas est, & angeli sine zelo nihil sunt. Horum temporum conniuentia, indulgentia & dissimulatio nota est ecclesiæ, deo inimica.

Psalm. 138.

Iohan. 2.

CALEB.

Nume. 14. Vir excelso animo Caleb, quippe qui diffidentes reprimit, & pollicetur omnia per deum fausta: Ascendentes ascendamus, inquit, & hæreditemus terram, quia potentes poterimus (obtinere) eam. An non uiua planeque mascula uox hæc? Hinc collige non fidem modo, sed & fidei naturam, usum, adeoque uitam. Idem alibi populum rebellem pari fiducia alloquitur: Nolite timere, inquiens, Nam sicut panem uorabimus hostes, Dominus nobiscum est. Quale, deus immortalis, pectorũ illorum robur? Quanta confidentiæ uis? Heu nostram dissimilitudinẽ. Illis lapides, nobis perdices parit ueritas. Sed absolutam Calebi laudem accipe: Seruus meus Caleb, ait dominus, qui cum spiritus alius est, &c. Hoc est, qui diuerso à uestro spiritu ducitur. Et idem plenus est imitatione mei, hoc est, perfecte me sequitur. Quo idiomate et alibi in eiusdẽ laude utitur, & sæpius Ios. xiiij. Adeo, ut hoc ceu titulo insigniore cohonestandus esse Caleb mihi uideatur. Impleuit, ut iret post deum. Quemadmodũ in Genesi de Henoch peculiarius scriptum, Et ambulauit cum Deo. Non nostri temporis uiri tales fuere.

Exod. 20.

Nume. 14.

IOSVA.

Iosue 1. Vocatur ad subeundum munus Iosua, uir in quo est spiritus Dei, posita Mosi manu sup eum. Et alibi clarius: Surge & transi, &c. Homo non tam corpore, quam animo fortis ac robustus, suo ministerio non sine laude satisfacit. Fide insignis, studio impiger, bonitate, sapientia, potentia præstans. Breuiter talis, ut iure exemplar sit Christianorum principum, si qui sunt. Quàm pie, quam comiter à facinoroso commissum discit. Quàm cuncta ex mandato agit, atque iuxta legem domini scriptam, scribit, legit, repetit, infigit, doctor etiam, nedum ductor. Præterea tantum ualet apud deum, ut illius uoci obediret poli cursus, & τροπὴ inaudita præter naturam fieret. E' uiuis decessurus solicite omnia præcauet, ne quid mali

Id est, solstitium. Ios. 10.

quid mali faciat populus. Legem legis populo commendat, pollicetur minaturq́, quo citius emolliat marmoreos animos, reuocat illis in memoriam beneficia domini, &c. Deniq; ne quid prætermittat, se suamq́ familiam diuino seruitio addicit, ut uel in se uiderent, quid esset faciundum. O uirum ineffabilis fidei, & dilectionis incredibilis. Quis Episcopus tam possit & uelit suis uigilijs plebem sibi concreditam admonere? Ego, inquit, & domus mea seruiemus domino. Quem imitatus Matha- *Iosue 24.*
thias: Etsi, ait, omnes ad regem Antiochum desciscant, ego & filij mei *1. Machab. 2.*
& fratres mei obediemus legi patrum nostrorũ. Pauculi ingrediuntur per arctam portam: at his pauciores usq; ad finẽ saluandi perseuerant.

RAHAB.

Fide purgata meretricula, consors radicis & pinguedinis oleæ fit. *Iosue 2.*
Eadem hospitalitate percelebris, & amore hospitum nulli secunda.

IVDICES.

Iuda, Othoniel, Ehud, Sanger, Barac, uiri bellaces, dicti Israëlis Mo- *Iudicum 1.*
schiæ. Nec nobis pax cum carne nostra est. Vexamus eñ & ipsi uexan- *Iudicum 3.* *Id est, saluatores.*
tem nos, ut cum Macario illo dicam, Sed uincenti datur arboris uitæ fructus. Qui accipit brabium, is bene cucurrit.

DEBORA.

προφῆτις mulier tanta fide & grauitate, ut iudicandi illi munus arduum *Id est, prophetissa.*
committeretur. Insuper tanti animi, ut exercitu collecto, aduersus hostem iret. Propheten sese præterea declarat, quando Sisseram à mulier- *Iudicum 4.*
cula trucidandum Baraco uaticinaretur, insecuto facto. Mater decantatur eadem in Israël. Et ᾠδὴ illa subindicat, q; uehementer amarit deũ, *Id est, carmẽ.*
q; unice delectata sit dei mirabilibus, quàm mirifice gestierit in laudan- *Iudicum 5.*
do, inq; gratiam agendo fortissimæ Dei dexteræ. Virago nobis ea, & nescio quæ Pallas depingitur. Nulla Semiramis, nulla Thamyris, nulla *1. Reg. 1.*
Zenobia, nulla deniq; Amazonum cum nostra ista Debora conferri meretur. Et quod ad eruditionem attinet, nulla Cornelia, nulla Hortensia. Hanna Phanuelis, Hulda prophetissa, Philippi Diaconi filiæ, ut alias præteream, huius esse ordinis possunt.

IAEL.

Benedicta inter mulieres Iael, habet ᾠδὴ. Ea hostem suæ gentis de- *1. Canticum.*
let, muliebris uirtutis exemplar. Vtere & tu Christiana mulier simili *Iudic. 4.*
dolo, uictura impetentem te anguem. Vince, aut cum Eua uincere. Iugulum pete superbiæ, & non aberraueris. Quis enim te ea magis sollicitat? Quod ni facias, non coronaberis. Mariæ Bethanicæ similis in audiendo discendoq́ fias. Cananeæ fidem imitare. Sequere dominũ cum Galilæis mulierculis. Si pathica es, clama ad dominũ cum Æmorruissa. Manus enim eius ad sanandam est ad hanc usq; horam. Ad eandẽ mulier hæreditatem uocata es, ad quam uir, & æque tibi ac mihi præcipitur:

tur: Vigilate, aduersario resistite, fide solidi. Animosa Iudith huiusce rei pleniorem hypotyposin exprimit.

GEDEON.

Vocatur Gedeon è minima tribu, minimus ipse in paterna domo. Sic minimus eligitur Dauid, Iacob simplex diligitur, Ioseph contemptissimus probatur, Proiectus in profluentem Moses uocatur, idq́ue βραδύγλωσσος, junior Ieremias assumitur, Amos rusticus, puer Daniel, Petrus piscator, Paulus scenopœus, Matthæus telones: Adeo uerū est, quod reliquit Apostolus: Infirma mundi huius elegit Deus, ut fortia confundat. Porrò Gedeon operi rustico uacans uocatur & audit, Dominus tecum uir Mauortie. Huius fidem scriptura non tacet. Ea ex allato nuncio accepta, atq; hinc sibi redditus, qui antea cōfusus incertusq́ue animi erat, extruit altare domino: Vides religionem. Destruit altare diaboli: uides zelum & libertatē, sed hominis spiritu dominico induti. Qđ uerò id noctu fecit, humani metus est, cuius expers nullus diuorū uixit. Moschia & ipse Israëlis est, sed id negocij totū Deo transscribit. Si, inquit, per manū meam saluabis populū. Præit aūt selectis ad aciem, & dicit: In me aspicite, sicq́ue facite. Et mox: Sicut ipse fecero, sic facite. O regiā planè uocē. Par erat & diaconos ad eundē modum præire, id est, prælucere Ecclesię dei, & eandē usurpare uocē. Aut, si malint istam: Exemplū dedi uobis, ut quēdmodū ego feci, ita & uos faciatis. Qđ si ad id requirant pręceptū, audiant Paulum: Esto forma fideliū, in sermone, in conuersatione, &c. Verū huiusmodi frustra admonemus, nisi Ecclesia corrigatur, & à tot fœditatibus purgetur. Iam quanta homo facilitate ac humanitate sit, uel ex hoc liquet, q; Ephraitas contra se acriter rixantes, nō ferocia, sed comitate frangit. Est hoc profecto exemplū tam egregium, ut nihil supra. Imò laudat iurgantes quoq;, idq́ue stratagemate, à suæ regionis ubertate, à diuino præsidio. Magni animi est, ita placabilem esse inferioribus. Vere potens est, qui sui potens est. Huic adde, summam hominis tapeinophrosenen, ac singularem sui agnitionem. Non, inquit, dominabor uestri, nec filius meus, sed dominabitur uobis dominus. Audite hoc uos anthropophagi. Audite uos hæmatodipsæ Tyranni, qui nihil didicistis, nisi uiduas facere, & prædam conuehere, sicuti Ezechiel dicit. Qui, inquam, si non dicunt, certe sentiunt: Fluuius meus est, ego feci meipsum. Dracones, leones, pardi, ursæ, & quiduis citius immanissimum, q; homines estis, tamq́ue minus Christiani, q; illi olim Midianitæ. Audietis non longo post tempore: Detracta est ad inferos superbia uestra, concidit cadauer uestrum, Isa. xiiij.

Marginalia: Id est, tardiloquum. — Id est, saluator. — Iohan. 13. — 1. Timot. 4. — Id est, animi humilitatem. — Id est, hominum uoratores. — Id est, sanguinem sitientes.

IEPHTHA.

Iudic. 11. Iephtha uir bellicosus, heroico plane titulo decoratur, & ijsdē uerbis erat salutatus Gideon. Est & homo, super quem factus est spiritus Domini. Qua nulla laus absolutior. Spiritalis & religiosus idem, nec

non

non militaris, hoc est, quouis laudis genere præstans. Spurius exhære-
ditatur, cõtemnitur, ejicitur. Ecce crucem. Insurgit hic frater in fratrem,
sed suo tempore reuocatus postliminio redit. Nam mites terram possi-
dent, Matth.v. Post dux constituitur. Ecce gloriam post ignominiam,
Prou.xv. De stercore est erectus pauper, Psal.cxij. Iam qua prudentia,
quo *consilio* idem polleat, uel unica illa cum Ammonita actio arguit.
Vide enim, quàm prolixa oratione, quàmque probabili rem Israëliticam
aduersus hostem tueatur, modis omnibus agens, ne inique eos impete-
re uideatur: Non ego, inquit, pecco in te, &c. Cęterum quòd uouet, stul- *Ibidem.*
tius ne sit, an sanctius factum, deus nouit. D. Augustinus factum minus
probat. Est cum Saulis adiuratione penè idem. Vtcunque est, adparet
uir magnanimis fuisse, nec paulò melius egisse Agamennone illo, qui &
ipse filiam immolasse legitur. Item Embarus Atheñ. Romani olim stu-
pri causa, proprias filias publice interimebant: at hic nihil in puella scele-
ris. Gentibus barbaris peculiare erat, occisos sacrificare filios, sed dia-
bolis. *Cuius exemplum legis de Moabitico rege.iiij.Reg.iij.* De Schy-
tis nemo nescit. Quòd si omnino errauit uir pius, saluti gentis error im-
putandus est, cuius nimirum gratia uouet. Ad ultimum hominis man-
suetudo καὶ μακροθυμία hinc elucet, quod Ephraitas tumultuaturos: quod & *Id est, longa nimitas.*
Gideon fecerat: tam leni responso mitigare nitebatur. Nam uirtutis
eximiæ est, summitatem affectione non frangi.

SAMSON.

Nazaræo puero diuinitus benedicitur, & cum eo spiritus domini. *Iud.13*
Adolescens honorat patrem & matrem. Discerpit alter Hercules leo-
nem rugientem. Ita tibi athleta Christiane subigendus est Diabolus,
idque fidei uirtute, hoc est, diuina, non tua. Idem φιλότιμος, sed facti egre- *Id est, ambitiosus.*
gij dissimulator egregius, Idem ferox uiribus hostes adfligit uarijs mo-
dis. Imitandum isthuc exemplum, ni noris ueros animæ hostes. Quorũ
caro improbior ac indomitior est. Cæterum prodigiosum illud robur
subministrat testaceo uasi spiritus. Iam si scortum illud (Prou.cap.vij.)
hoc est mundum hunc cõcupiscentijs suis in sinu te fouere, hoc est, blan-
diri ac placere tibi patiare, actum fuerit. Eneruat in te uim cœlestẽ Thais
illa. Quare uitanda est, ut ille ait, improba Syren.

NAEMI.

Arborem fructus produnt. Mulieris obedientia, peregrinatio cum *Ruth 1.*
uiro laboriosa, nurum amor, patriæ sanctæ repetitio, pia uerba, & hu-
iusmodi à fideli non esse non possunt. Commorari in regione impia pia
potuit, & inter deos illos Moabiticos deum cœli unicum ac uerũ cre-
dere atque confiteri. Id quod ex uerbis eius palàm est. Idem fecit Iacob
in Mesopotamia, Ioseph in Ægypto, Moses in terra Madiam, Daniel
Chaldæa, Tobias in Niniue. Naemi ad Ruth dicebat: En reuersa est co *Ibidem.*
gnata tua ad deos suos. Deum uerò suum nostrumque rectissime iam

Adonai, iam Sadai appellat, unde Ruth instituta: Deus, inqt, tuus deus meus. Non enim dijs suis tam repente ualediceret, si non antea à Iudæa illa probe edocta fuisset. His adde, quæ illius fidem clariorem reddunt: Dominus humiliauit me. Item: Egressa est manus domini contra me.
Id est, amarā. Mara eam facit exilium, tribulatio carnis, orbitas, tenuitas. Cuiusmodi magna mortificationis pars est. Quid uis? Ea est Noemi, in quam Paulina competant: Quæ uerè uidua est, &c. j. Timot. v. Hanc igitur imitamini uiduæ, & huius afflictionem cum Hannæ apud Lucam religione copulate.

RVTH Μωαβῖτις.

Ruth 1. Peregrina muliercula, oblita populi & domus patris sui, sub alas dei Israëlis confugiens προσήλυτος in populo dei fit, atque adeo proaua Dauidis, & ipsa in ueram oleam inseritur. RVTH paupertatem sectatur, exul esse uult et contempta, modo uiuere liceat in Israël coram domino. O diuitias summas istam paupertatem. Dilectio, qua complexa est socrum, non osculo tantum & uerbo ut Arpæ, sed re ipsa declaratur. Iam obserua, quæ sit fœminæ conuersatio, & inuenies ea nullam reuerentia, pudore, affabilitate, frugalitate, gratitudine, sui demissione fuisse superiorem. Ruth. 2. 3. Nihil hîc, quod in iunioribus uiduis damnat Paulus. Non est ociosa, non garrula, non alienas domos circuiens, non curiosa. Seruat autem præceptum Apostolicum: Volo iuniores nubere, τεκνογονεῖν, &c. Id est, filios procreare. Atque ita afflicta uarijsque iactata casibus, curante deo abundè refocillatur. Propterea sperare & benefacere discite mulieres abiectæ. Quia non est deficientia timentibus deum, Psal. xxxiiij.

HANNA.

1. Reg. 1 Ornamentum Hanna nō uulgare est mulierum omnium, inter sanctas sanctissima, ac omni uirtutum genere à deo cohonestata. Summa huius pietas non uno in loco nobis indicatur. Crux pietatis comes domestica est, & tanto ad ferendū grauior. Tentatur probrosa sterilitate. Marito subiecto atque dilecta est, ipsa diligens ac reuerens, Ephe. v. Sub Ibidem. cruce uero luget, orat, effundit animam coram domino, uouet, gratias agit, exultat, laudat. Ecce digna fide uita, uita inquam sobria, & talis, ut eam ab infidelium uita facile dignoscas.

Sunt quoque uiri boni Leuites Ephraita, Boas, Elcana, & alij. Nos celebratiores in Christianæ uitæ formam, si quibus libet, producimus.

ELI.

1. Reg. 4 Sacerdos sanè optimus, & religione nota: nisi quòd pædagogiam negligeret, rem tam utilem quàm honestam. Quare hæc historia de parentibus indulgentioribus narratur, qui uirgæ parcunt, ne moriatur puer, Pro. xiij. xxiij. Nulla lingua exitiosam horum temporum teneritatem satis enarrarit. Philosophi gentiles nostros cum hac in re, tum in alijs plurimis præcelluēre. Et qua cura Iudæi Europæi suos educent liberos

beros, nemini obscurum est. Heu omnia Euangelio Ecclesiaeque Christi Iesu indignissima hac aetate, si unquam, uidemus.

SAMVEL.

Nazir καὶ λειτουργός Samuel uenerabilis placet tam deo quàm hominibus. Idem propheta, qui cum dominus est & loquitur, eque cuius ore nullum uerbum in terram cecidit. Eli uaticinium infaustum liberè confitetur, personam non acceptans. Populum ad poenitentiam reuocat, proque huius peccato orat, clamat, sacrificat, nec perdit operam. Iniquitas uiro iusto displicet, qua abundante, ad orationem dei sese totum uertit, nec id citra consolationem. Vulgo uir dei non solum, sed & uir uidens habitus est. φιλόξενος idem est, ac perque comis. Iam quis satis efferat pijss. hominis ingenium ac mores castiss. quippe, qui poscat etiam, ut si quid in ullum admiserit, edisserat. Tanta est inocentiae sanctae libertas. Idem fecit Moses, Idem Paulus, Num (scribit hic Corinthijs) uos ἐπλεονέκτησα? Non uestra quaero, sed uos. Alibi: Argentum & aurum, aut uestem nullius concupiui. Caeterum aliquid est, populum tale testari, j. Tim. iij. Habes praeterea soliciti pastoris in Samuele exemplar, cuiusmodi in Mose quoque & in Iosua & Paulo. De hoc Actu. xx. Tu quoque ora & doce uiam bonam rectamque, & praei cum Gedeone dicens: Quod me uidetis facere, hoc facite. Nec praetereundum, qua linguae libertate Regem impetat, iam stultè eum, iam fecisse impiè. Simili παῤῥησίᾳ Achabum Helias, Ieremias Sallum, Sedechiam Ezechiel, Baltazarem Daniel, & Herodem Baptista reprehendit. Nostris uero praeconibus in publico modo taxasse, satis est. Rogatus honorat Saulem propter alios, quem & luget abiectum, interemptum plangit Dauid. Verum afflictio sancto homini adeoque mortis metus incumbit, ne quid in eius religione desyderes.

Id est, Nazaraeus & sacerdos.

Id est, hospitalis.

Id est, circumueni.

Iudic. 7

Id est, increpandi fiducia

IONATHAN.

Vir tam pius quàm fortis Ionathan, fidem animi ore manuque declarat, quando diceret: Non est difficile domino, uel in multis uel in paucis saluare. Quod & Assa rex dixisse legitur. Patrem impium seueriuscule notat, post periclitatur obtruncandus de re leui: sed crudeli Manlio aduersatum est, ne saeuire in filium liceret. Qua in tentatione mititas hominis plane ouina claret. Porrò similitudo morum conglutinat hunc cum Dauide uictore, adeo, ut eum quasi animam suam diligeret. Id quod beneficentia ac liberalitate quàmprimum ostendit. Nam opere diligendus frater est, non lingua. Nec non excusat Dauidis innocentiam apud regem, sublato in se fraterno onere, & mirificè eum solatur iam desperatis rebus, & serio excogitat, quanam arte aerumnosum seruet. Contristatur, cursitat, illachrymans osculatur, &c. Quo certè exemplum uiuidius uix inuenias. Breuiter, tale Dauidi praestat officium Ionathas, quale sibi à Dauide praestari uelit. A' Dauide contra

1. Reg. 14.

1. Reg. 18.

1. Reg. 20

2.Reg.1 non secus diligabatur Ionathas, quàm diligit unicum filium mater, sicuti in planctu ipse fatetur. Apagesis nunc omnes Pylades istos & Orestes, & nescio quos Theseos ac Perithoos, amentes potius quàm amantes.

DAVID.

1.Reg.16 Act.13 Vir Mauortius, prudens sermone, psaltes, formæ insignis: Hoc est, uir secundum cor dei. His enim uerbis in eius laude utitur scriptura. Vocationi puer accurate inseruit, & ruri, hoc est, in honesto labore reperitur. Sic ex agro arator Helisæus, sic à caula Moses, ab armentis Amos in negocium dei accersitur. Regno inauguratus gygantem prosternit, hoc est, spiritu donatus diabolum uincit Christianus νήπιος, qui ni reddare, nullus eris. Vincit uero inermis, hoc est exutus natura, sed interim incessitur à fratre, & exibilatur ab hoste. Habes simulacrum filij regni. In negocijs regijs prudenter sese gerit, omnibus dilectus, & quanto superior, tanto submissior in oculis omnium uisus: Quis ego, inquit, ut fiam gener regis? Cæterum qui in domino pacem habet, in mundo pressuram non habere nõ potest. Eapropter copiose descripta est crux Dauidis, figura crucis Christi & Christianorum: sed non cadit capillus de capite eius sine patre. Lancea, insidiæ, machinationes, minæ, inquisitiones, obsidiones, uanę sunt. Fuga uerò infelix sæpius sibi cõsulit, quod & Elias facit, ut de Apostolis, adeóq; de secessu domini taceam. Bonus dominus confortat eum in die tribulationis, sciens sperantem in se. Cuius tribulationis occasione, tot cecinit Psalmos. Audi mortis umbram: Vno, inquit, gradu ego & mors diuidimur. Audi contrà quid commiserit: Quid feci? Quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in regem? Et mox: Si est iniquitas in me, tu me Ionatha interfice. Plurimum enim refert sons ne an insons patiare. Paulus in iudicio clamat: Si nocui, aut aliquid dignum morte feci, non recuso mori. Sic de domino Pilatus: Quid mali fecit? Et iterum: Ego nullam inuenio in eo causam. Locum Petri nemo nescit. Obserua uerò indies auctam tyranni in innoxium sæuitiam. Bone deus, quæ ista barbaries? Imò miremur potius exulis animum ferendis omnibus malis parem. Nec illud prætermitte, quòd tanto hosti bis parcit, & illæsum seruat, à quo ipse tot malis erat afflictus. Eo pacto dein Absolonem & Semei fert, super quorum capita carbones ignitę dilectionis coaceruat. Idem fecit Christus rex, idem Stephanus, idem cæterorum martyrum turba. Vincenda natura est contra naturam. Nam credenti nihil non possibile. Exul uerò & peregrinator nondum esse desiuit, tametsi planè ἄκακος ac iustus, uel hostis sententia, & meretur bonum testimonium eius probitas ab Achis extraneo: Æquus, ait ille, tu & bonus, nec quicquam mali in te comperi. Nec τὸ ἐπιεικὲς uiri laudatissimi taceri potest, cuius æquitas ac liberalitas statutum etiam induxit. Interemptum hostem miserabiliter plangit: non nescius, impunitum non fore, qui in alterius ruina lætaretur,

Marginal notes (in order): Id est, puer. — 1.Reg.12. — Naum 1. — 1.Reg.20 — Ibidem. — Act.24. — 1.Pet.4 — 1.Reg.24. & 26. — Id est, innocens. — Id est, equitas. — 2.Reg.1

Pro.

Prouerb.xvij. Notum est ex prophetis, Amon, Moab, Edom & alias nationes eò grauius punitas, quòd lætarentur in Israëlis interitu. A' morte Saulis: quod, & uiuo illo fecerat: nihil inconsulto domino facit. Neque enim faciendum, quod nobis rectum uidetur, ut habet lex. Deuter.12. Adhoc sæpe perierunt, qui ore domini non interrogato, aliquid moliti sunt. Afflictio hominis, uolente id deo, nō cessat, sed durat usq; ad eam, qua à Seba afflictus est. Primi fratres iustam animam malis afficiebant, post exagitauit Saul, deinde Saulis semē, quarto loco Absalom, postremo Seba. Atq; ita tanq; aurū in fornace probauit illum deus, & inuenit Sapient.3. illum se dignū. Dici uerò nequit, q; infensus omni iustitiæ & iniquitati fuerit, homo neq; iniustus ipse neq; iniquus. Pietatem summam subinde manifestius declarat, quando præter alia, adeo sudat pro arca reparanda, pro templo ædificando, pro cultu dei ordinando in laudem gloriæ eius, ut subsilit, ut totis uiribus tripudiat, corpore uidelicet præ se 2.Reg.6. ferens, quod erat in animo. In gestis enim illis prorumpit pia affectio: id quod multis exemplis uel aliude indicare possem, ni breuitati studerem. Ridentur aūt à mundo illi gestus. Vnde Dauid hominibus, nulla fronte, comparatur. Porrò solenne fuit, choris celebrari festos dies, idq; pertinuit ad cultum dei, sicut patet Exod. xxxij. Iudic. xxj. Psalm. ultimo, & hoc loco. Deinde mulierū potius istæ erant choreæ quàm uirorum. 1.Reg.18. Cæterum subinde uincit, quia dominus cum eo. Facit misericordiam semini Saulis hostico: refert gratiam Hanon bene de se merito, & per omnia talis est, ut culpari iure non possit. Iam ne se stans extollat, cadit: sed rursus sublenatus surgit. Peccato ablato, perturbationibus filioli ęstuat, ne nescires non modo hominem esse Dauidem, sed & humanum nihil esse ab eo alienū. Id quod & in recensione populi claret. Insuper quàm uigil iudex, & rex φιλάνθρωπος sit, uel Thecoita illa docet. Nouit seruauitq; legem. Deut. vij. Iustitiam iustitia prosequere. Filio fratricidæ durus est, at reuocatum osculatur, à quo mox regno expellitur. Atq; hic uide pij principis felicitatem, Polycrateam scilicet. Supra toties mœrens uestes sciderat, cibum orans no ceperat, in terra iacuerat: hic cooperto capite ac flens fugit in syluas. Sed in media tentationum unda, solicitus est pro arca, sese deo tradit, orat, conuitia suffert, conuiciantem seruat, bene adhuc sperat. Consultatur quidem de eo perdendo, sed à deo non 2.Reg.16 deseritur, nec quod ad commeatum attinet, &c. Talis calamitas filio dei patris erga se amorem ardentissimum testatur. Nec tale seruo cōtingit, nec νόθῳ. Quin tragœdiæ huius finem specta, & reficiere. Difficiles aditus regnum cœli habet. In fine illud appendendum: Nimirum nihil laudabilius, nihil magno et præclaro uiro dignius Dauidē fecisse, quàm quòd tanta solicitudine sacra curauit, primusq; post Mosen instituit. Qua de re sola ferè prior Paralipom. Res diuinæ curæ quoq; Ezechiæ, Iosiæ, Iosaphat regibus fuêre, tametsi alioqui prophanis. Nostra uerò capita

capita dedecori sibi tam minuta, hoc est sacerdotalia ducunt.

DAVIDIS VITA EX OGDOADE SVA.

Psalm. 118. SEruus dei Dauid, fide, spe atque timore plenus, pacem multam habet amator Legis. Expectat salutem, quam desyderat, in quam sperat. Discit iudicia iustitiæ dei. Confitetur deo recto corde. Adolescens purificat uiam suam. Exquirit Dominum. In corde suo abscondit eloquia dei. Enunciat iudicia dei. Vnice delectatur in testimoniis dei super omnes diuitias. Charior illi lex oris dominici super milia auri & argenti. Item super aurum & topazion. Eidem eadem dulcis super mel, & unicum cordis illius gaudium est. In mandatis dei exercetur, siue meditatur tota die. In statutis dei delitiatur. Non obliuiscitur uerba dei. Orat peregrinus & attrita anima præ desyderio. Patitur principum oblocutiones, iacet pressus. Vias suas confitendo enarrat, recogitatque. Agonizat præ maximo dolore blasphemiæ gratia. Viam fidei ueritatisque eligit. Iudicia dei sibi proponit. Adhæret testimoniis dei. Viam mandatorum dei currit. Orat iterum atque iterum pro intellectu, pro doctrina, pro ductu in uia dei, pro corde ad pia procliui & integro, pro uita interioris hominis. Concupiscit, diligit, & ualde diligit mandata Dei. Respondet opprobrantibus. Sperat in uerbis dei, & multum sperat. Semper custodit legem dei, quam & exquirit, sed toto corde. Loquitur ueritatem coram regibus. Cōsolatur eum in afflictione uerbū dei, adeoque uiuificat. Ridetur à superbis, spoliatur ab impiorum funibus. A' superbis rursus mendacium suffert, iidem iniquè agunt contra iustum, fodiunt illi foueas. Tendunt illi laqueum. Mendaciis persequuntur, & calumniantur eum persecutores sceleris. Et multi persecutores tribulatoresque eius, iique non solum plebei, sed & principes, & affligunt gratis, unde fit sicut uter in fumo. Memor est iudiciorum dei. Horret & tristatur propter impios & peccatores. Canit de statutis dei, noctu Deum meditatur. Festinat, non differt recte facere. Media nocte surgit ad confitendum & laudandum. Socius est timentium Deum, qui illo uiso lætantur. Credit dei præceptis. Errarat sicut ouis ante afflictionē, & testatur, quod sibi conducat afflictio: & periisset in afflictione, ni in lege dei suas haberet delitias. Deficit homo præ nimia salutis concupiscentia. Doctis doctior, senibus prudentior, adolescentulus licet & cōtemptus. A' semita mala prohibet pedes suos. Non declinat. Odit omnē uiam mendacii: odit præfractos: odit mendaciū, & abominatur. Lucerna eius uerbum dei. Iurat sese perseueraturum. Suapte sponte laudat deum. Inclinat cor suum ad facienda statuta dei. Horripilat præ pauore iudiciorū dei caro eius, & à uerbis de expauet cor eius. Facit iudicium & iustitiam. Ingemiscit ac desyderat præcepta dei. Orat pro liberatione, pro iudicāda caussa, pro auxilio, pro sustentaculo, pro bonitate, pro miseratione, pro illuminatione, pro gressuum suorū directione. Præter modum illachrymatur

propter

propter peccatores. Tabescit siue perit zelo suo: uidet preuaricantes, & tabescit. Clamat & inuocat deum in crepusculo. Euigilat in intempesta nocte ad orationem, laudem, gratiarum actionem.

NATHAN.

Propheta domini, reprehensor Dauidis, & idem consolator egregius. Qui ad quemuis uere pium dicit: Omne quod in corde tuo est, uade & fac, quia dominus tecum. Sed quid, si labatur aliquando pius, & ex animo eum pœniteat? Audi ab eodē propheta: Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris. Quæ duo dicta totius libri loco tibi sint, quem scripsisse legitur. 2.Reg.7. 2.Reg.12.

GAD.

Propheta domini, & Dauidis uidens, quem cum fiducia adit, uerbum domini durum adnunciaturus. Simus & nos Gaditæ, super tecta prædicantes non solum, uerumetiam in aurem cuiuis seorsum, nempe illud: Aut hic mortificare, ut illic uiuas: aut hic uiue, (quod eheu facimus) ut illic mortificere. 1.Reg.22.

SOLOMON.

Dilectus Domini uir, quietissimus ac permagnificus, sapientior ac gloriosior uniuersis, quotquot unquam uixere. Huius petitionem peculiarem tuamq́ facito, ut petas cor obediens, siue iuxta Chronicon, sapientiam, & scientiam, sed spiritalem, Coloss.j. Nam dominus qui illi dixit: Postula, ut dem tibi: idem dicit: Pete, & dabitur tibi. Victus uestitusq́ ultro his adijcietur, Matth. vj. Iubetur Salomon, in simplicitate cordis & æquitate uiuere. Id quod indubie præstitit, donec redderetur mulierosior. πολιτεία eo rege floret. Mirum, q́ sapienter incorrupteq́ iudicet, q́ prudenter satrapas constituat, quàm solicite rerum omnium cognitionem sibi paret, q́ diligenter ædificet. Planè hæc dei ordinatio est, non hominis. Vnde est, quod quidam Canticum canticorum de politia ceu amica, & de ipso rege amico exponant. Vtcunq́ est, binas certe extruxit domos: suam, hoc est, politicam, & dei, hoc est, ecclesiasticam. Cuiusmodi sibi Christianus princeps, si qui sunt, dictum putet. Qui si nolit Christiano appellari nomine, curet modo πολιτικά. Ad ultimum, laudem iuxta ac æmulationem meretur regis huius eruditio, qui si naturæ historiam scribere uoluisset, Plinium, & qui ante hunc scripserant, longe superasset. A nostris rectoribus exigit cū Plato, tum imminens rerum tempestas, ut docti sint. Sed ô nihil hic neq́ doctrinæ, neq́ prudentiæ. 3.Reg.3. Matth.7. id est, Respublica. id est, res ciuiles.

ASSA.

Rex pius, cuius cor perfectum cum domino est, unde rectum facit in conspectu domini, sicut Dauid. Memorabile est, q́ idololatriam id temporis feruentem subuerterit. Memorabilius, q́ pugnaturus tanta in deum fiducia dicit: Dominus deus noster tu es, non præualet contra te 3.Reg.15. 2.Para.14.

E homo

homo. Vir uirtute admirandus., & regibus non aspernandum exemplar. Sed eundem peccasse podagricum, non reticent sacræ literæ, morbo ualido, tentatione ualidiore eo nimirum adactus. In administranda quoque republica pręstat, ædificator urbium, turrium, uallorum.

AHIA SILONITES.

3.Reg.14. Propheta Domini Ahia, uerbo reque uaticinatur. Quod fecêre præter alios Ieremias & Ezechiel. Durus idem nuncius aduersus Ieroboitas nostros. Huius libri periêre.

IEDDI.

Propheta Domini, unus ex uidentibus. Contra impietatem Ieroboam uisionē scripsit, sed & ipsa desyderatur. Arguendi libertate usque ad plagas usi isti homines sunt, quod uel in illo adparet, in cuius ultionem regia manus exaruit.

SEMAIA.

3.Reg.13 Propheta domini, homo acer in malos principes inuehitur: Vos, inquiens, deseruistis me, & ego deserui uos, dicit dominus. Verū idem
2.Para.12. lenior pœnitentes alloquitur: Quia humiliati estis, non disperdam uos. Sic humiliatus Achab clementiam meruit, & ipsi etiam Niniuitæ. Ea est dei nostri bonitas. Quos ad posteritatem transmisit libros, non extant.

IEHV.

3.Reg.16. Propheta Domini, contra perditos principes missus, ut illis ostendat peccata sua pariter & peccatorum stipendiū, hoc est, mortem. Quid rides satrapa? de te res ea narratur.

HELIA.

Propheta domini magnus, spiritu uirtuteque plenus, qui plus pro-
3.Reg.1. phetis omnib. laborat. Vestis eius ex pilis, & zona pellicea circum lumbos eius, sicut Baptistæ. Hic in tempore famis miraculose saturatur, ne Christiane desperes. Simili modo cibatur Man Hebræa gens, & è petra potatur, Samsoni asini mandibula aquam præbet, hydria farinulæ non exhauritur. Turba in Eremo de modico satiatur. Mulieris uasa uacua replentur, fossa arida alueum aquæ concipit. Populus apud Helisæum comedit, & superest. Danieli mittitur, angelo duce, prandiolum, discipuli in naui, oblitis panibus, aluntur: Quia in uerbo dei uiuere credens potest, non in pane solo. Hic, inquā, fame tentatus, sed non uictus,
3.Reg.17. quippe fide uiua fultus. Hic sese irato tyrāno offert, dei negociū tuetur,
3.Reg.18. mendaciū ueritate retundit. Hic deo fidens, audet in certamē uocare totam pseudoprophetarū colluuiem, & uincit. Ea in re deprehendis prophetæ zelum, scientiam, libertatē, fiduciam, orationē, dicacitatem: sed sobriā, & nihil nō, quod talem uirū deceat. Verū huiusmodi, ita ut solet,
3.Reg.19. comitatᷓ crux & exiliū, quo usque adeo perturbatᷓ, ut mori, quam uiuere malit, sicuti post Ionas. Vide qua molestia homo sanctus montana pererret, quam frugaliter uiuat, quàm pie zelet, ac in spiritu turbetur, quamque incontanter

contanter uocanti obediat, & uitam in discrimen ponat. Nam per tribulationes multas itur in regnum cœlorum. Porrò officio satisfaciens, libertatem ubiq; suam seruat in, corripiendo præsertim rege homicida simul & raptore. Opera tenebrarum, dicit Apostolus, arguite. Fructus Act.14. uerò correptionem aliquis insequitur, nempe pœnitentia qualiscunq;. 3.Reg.21 Ad eum modum scribit literas obiurgatrices Ioram pessimo rege. Et coram acriter reprehendit Ahasiam idolatram, dicens: Nunquid non 4.Reg.1. est deus in Israël, ut mittas ad consulendum Belzebub? Iam cursu bene peracto, homo sanctissimus in cœlum sustollitur, prophetis alijs id futurum non nescientibus: & relinquit Elisæo suo, operante deo, spiritum 4.Reg.2 suum, zelum, & loquendi licentiam. Ipso facto declarans, quo peruenire serui dei soleant.

MICHEA.

Propheta Domini, uir contemptus, inuisa impietati prędicens, odio 3.Reg.22 habitus, sed syncerus ac uerax. Cui oppone Zedechiam prophetam regis, uirum spectabilem, grata prædicentem, in precio habitum, sed plane mendacem. Talis cum Ieremia collatus Anania, Pashur, Semeia, Achab. Talis Amazia, si eum cum Amos compares. Tales cum Paulo collati Pseudapostoli ἀνδραποδοῦλοι. Ne quid de purpuratis huius æui Euangelistis dicam. Audax admodum Micha, qui à cccc. prophetis Id est, hominibus seruientes. non solum dissensit, uerumetiam affirmat, eos falso spiritu captos: pro qua libertate alapam recipit, sicut & Christus & Paulus. At uerò audacior, qui regē irritat, & malū illi, quod uolebat, uaticinatur: pro qua ueritate compedes præmium accipit, sicut & Ieremias. Homo in aliorum Ioh.18.19 Act.22 prophetarum sententiam flecti non potest: nihil adulatur, non ambit mollem uestem, non fauores aulicos. Tam uerò uellem omnes nos de doctrina esse certos, quàm ille de prophetia occidendi regis.

AZARIA.

Propheta domini, bono regi consolator atq; consolidator missus: 2.Paral.15 Dominus, ait, uobiscum, siquidem uos cum eo. Vox pergrata. Nostri homines cum contra dominum toti & loquantur & operentur, sibi tamen ipsis persuasissimum habent, non esse alios se feliciores: Nunquid, Mich.3. inquiunt, non dominus in medio nostri est? Item: Non ueniet super nos malum, Ierem.v. Quin uos Azariam auditis: Si dominum reliqueritis, relinquet uos. Quod post dixit & Zacharia, Ioa rege. Audite Ieremiā, Ierem.11 qui confiditis in uerbis mendacij: Quid dilecto meo cum domo mea? facit enim multa scelera.

HANANI.

Propheta Domini, reprehensor regis ob initum cum Syro fœdus, 2.Paral.16 & quòd Deo parum fideret: Stulte egisti, inquiens, &c. Sed non impune. Ibidem. Nam pijs etiam principibus inimica esse aliquando asperior ueritas solet.

IEHASIEL.

2.Paral.20 Propheta & Leuita Domini, regem religiosum & populum Dei in periculo roborat: Nolite, dicens, timere nec formidare hanc multitudinem: non enim uestra pugna est, sed Dei. Vos cofidenter state, & uidebitis auxiliũ domini super uos. Atq; isthuc credens rex populusq;, uincit. Huiusmodi certe uti non nesciet Christi discipulus.

Ibidem.

ZAREPTHANA VIDVA.

2.Reg.17. Gentilis quidem hæc, sed fidelis, & uix tanta fides in Israël reperiri potuisset, ubi licet quotidie in synagogis sacræ literæ leguntur. Eadem paupercula, afflicta, lugens, sed cuius est regnum cœlorum, sed cuius tristitia uertitur in gaudium. Cæterum ne diffidas de huius fide, audi confessionem: Nunc cognoui, &c. Vide & opus, Abijt, & fecit secundum uerbum Eliæ, Hoc est, esurientem pauit. Postremo & peccata sua sentit ac palàm de his queritur: Vt, inquiens, rememorarentur iniqtates meæ. Sanctorum, quorũ nomina sunt scripta in cœlis, multus numerus est, præter centũ prophetas domini occultatos, & lxxxv. sacerdotes, quos occidit Saul, & quinquaginta uiros de filijs prophetarum. Deniq; præter 7000. uiros, qui non incuruauerunt Baali genua. Omnes illi operati sunt iustitiam, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mũdus.

Mat.5. Ioan.16 3.Reg.17 Ibidem.

ABDIA.

οικονόμος regiæ Abdia, dominum deum non timet modo, sed & ualde timet, idq; ab infantia sua. Eum autem timorem amoris opus, hoc est, beneficentia ostendit. Nam ostendit nõ sine periculo fratres prophetas. Atq; adeo facit sibi amicos de bonis domini sui, si quisquã alius. O piam fraudem. Attamen humanum quiddam passus, dum ueluti Nicodemus rem dissimulat.

Id est, dispensator, gubernator. 3.Reg.18

IOSAPHAT.

2.Paral.17 Rex, qui cum dominus est. Quia ambulat in uijs prioribus Dauid, & facit quod rectum est coram deo, seruans præcepta dei, uitãs Baalim, et Israelis opera: Quin animi excelsi uir, deos propellit alienos, & deum uerum ac unum prædicari per regionem mandat, mittens prophetas, sacerdotes, & leuitas, qui populum legem domini doceant. Peccans, hoc est, impijs adhærens, à propheta Iehu reprehenditur, & post à propheta Eliezer, sicut à Nathan Dauid, ab Hanani Assa rex, ab Isaia Ezechias, pij omnes, sed tamen homines. Contrà uerò consydera, quàm religiose rex sacra uindicet, ac in suum quæq; locum reuocet. Vide quàm solicitè constitutis synagogæ diaconis præcipiat super lege, mandato, ceremonijs, iustitijs, iudicio: Ne peccetur, inquiens, in dominum. Item: Sic agetis in timore domini, in fide, & corde perfecto. Sed de sacris hactenus. Num idem ciuilia iustè tractat? Maximè, uide enim quàm seuerè constitutis Reipub. iudicibus mandet: Videte, dicens, quid faciatis. Item: Sit timor

2.Paral.19 Ibidem.

timor domini uobiscum. Cauete & facite. Non est apud dominũ deum nostrum iniquitas, nec personarum respectus, nec acceptio munerum. Quid, quæso, in principe desyderes? Non hîc legis comessationes sumptuosas, non expilationes, non uenationes, non choreas, non luctas theatricas. Heu laboratur uehementissimè. Male ecclesiæ status habet, peius Reipublicæ. Muti sunt prędicatores, surdi principes. Cæterum si qui boni proceres sunt, legant, adq; se pertinere putent, quod scribitur & Deut. xvij. & Exod. xviij. Vix tamen, uel hoc facto, Christianos dixeris. Præterea rex pius in angustia sese totum ad dominũ confert, orans, fidens, & proclamans ieiunium. Quod exemplum secutus Ezechias, & uterq; saluatus est. Huc oculos animosq; principes flectite: Sin minus, exite Ecclesia. 2. Paral. 20 2 Paral. 32

HELISÆVS, Hebræi Elisa.

Relictis bobus, adeoq; patre & matre, ex aratore famulus Eliam sequitur, quem patris nomine dignatur, & longè fidelius illi per omnia adhæret, atq; Paulo Iohan. Marcus, uir excellens futurus. Quare patre illo decessuro filius ac minister rem longè omniũ preciosissimã impetrat: Fiat quęso, inquiens, os meum duplex per spiritum tuum super me: hoc est, fiat, ut dato mihi tuo spiritu, duplo liberius & potentius aduersum malos agam, atq; tu egisti. Quæ petitio totum semel hominem nobis depinxerit. Videbat opus eo fore, ad oppugnandam impietatis arcẽ, Elia sublato. Homo dei uitam omnem eo destinarat, ut dei unius gloriam tueretur, uel sui corpusculi dispendio. Vtriusq; miracula imitari, in nobis situm non est, qui singularem sanctorum hominum pietatem exosculamur. Tantus hic est, ut mortuus ædat miracula, non uiuus tantum. Obserua, nihil cõmertij HELISÆVM cum rege impio habere uelle, adeo ut ne intueri quidem eum dignetur, ne cõmunicaret operibus eius malis, quemadmodum Iohannes ait. Sed propter bonum Iosaphat causæ adest. Certè enim uitandi pijs sunt, tum relapsi à ueritate dei, tum flagitiosi frustra moniti fratres, Mat. xviij. j. Cor. xv. ij. Thess. iij. Viduam afflictam beneficio non uulgari subleuat, quando eam & ditat, & ditatæ consulit. Ecce charitatem. Mox Sunamiti, à qua ipse beneficio affectus fuerat, gestit etiam remetiri beneficiũ: nec quiescit, donec pensarit, atq; hoc duplo. Ecce gratitudinem. Similem huic gratiam Loto Angeli hospites retulerant. Similem item exploratores mulieri Rahab. Tantum meretur uel in hoc sæculo hospitalitas liberalitasq;. Porrò multiplicat charitatis officia, quãdo tam benignè famelicos exatiat, leprosum operante deo curat, munera non accipit, securim amissam pauperi restituit, &c. Per quæ illustrat pariter diuini nominis gloriam, & auget discipulorum coetum. Adde his, quòd regem Israël inimicum licet consilijs iuuat, quòd captos Syros, hostes nimirum, non percuti, sed pasci iubet. Audi maiora; Obsidionem ciuitatis, in qua erat, et è qua petebatur,

4. Reg. 2. 1. Re. 19. Ibidem. 4. Reg. 13 2. Ioan. 4. Reg. 4. Ibidem. Gen. 19 Iosu. 2. 4. Reg. 4. 4. Reg. 6

nihil curat, ministrum desperantem erigit: Noli timere, inquiens, plures
4.Reg.6 nobiscum sunt, quàm cum illis. Orat denique, & quod orat impetrat. Ecce igitur uiri fidem in tentationibus robustam, adamantinam, inuictam.
Ibidem. Quæ putas confidentia, quę salutis certitudo est, dum spiculatorem aduenturum sentit, nec fugit? Quæ longanimitas, dum regis minas non solum perfert, uerumetiam querulorum murmuratorumque & blasphemorum sacrilegas uoces audit, mussitat, deuorat? Quibus tamen postridie, quantumuis ingratis ac malis, calamitatem mutatum iri pollicetur. Papè, ut eadem est Dei patris & filiorum germanorum natura? ut eadem uoluntas? Atque eam rem regenerationi debemus. Insuper & prophanis gentibus rogatus, affabilem sese exhibet propheta, sed in ipso statim sermone sistit componitque uultum, hoc est, fixum tenet, dum erubesceret & fleret. Qui gestus, affectus uiri diuinos nobis repræsentat, & plus indicat, quàm nos aut scrutari possumus, aut etiam debemus. Forte pectus amore ac commiseratione ciuium liquescit, sicut & domini Iesu apud Lucam & Iohannem, turbatur spiritu ad lachrymas usque. Tandem ægrotans obdormit uir dei. Ægrotant enim & sancti, sed nõ sine fructu, ut Ezechias rex, Daniel, Timotheus, Epaphroditus, μαθήτρια illa apud Ioppen, &c. Mirum uero est, Helisæum sicca morte extinctum, cuius sanguini tot insidiabantur. Sed hæc est ala protegentis dei Israël.

(Margin: 4.Reg.7. — 4.Reg.8 — Luc.19. Ioan.11 — Id est, discipula.)

IEHV.

4.Reg.9 Ad regni administrationem, ut plærique alij, uocatus Iehu, ultor innoxij sanguinis seruorum dei, deletor Boalitarum, uir fortis ac uehementissimi spiritus zelique: Veni, dicit ad Ionadab, & uide zelum meum pro domino. Sed nihil in impios molitur, nisi iussus. Vafricie pia, aut si mauis, mendacio pro necessitate utitur. Quemadmodum & Dauid in Nobe & apud Achis. Tale quippiam fecêre Pharaoni obstetrices Ægyptiæ timentes deum. Sic ferme Herodi à Magis illusum. Cęterum quantumuis Boalim infestus Iehu, uitulos tamen aureos & ipse adhuc colit. Quo in scelere si immortuus est, ex hoc catalogo eum radendum existimemus.

(Margin: 4.Reg.10 — 1.Reg.21 — Exod.1)

PROPHETA inunctor Iehu regis.

Id est, sine nomine. 4.Reg.9 Ἀνώνυμος ille nobis traditur, unus uidelicet è filijs prophetarũ, quos Helisæo cœnobitas & ueluti discipulos cohabitasse legis, adeoque omniũ afflictionũ magistri sui socios. Id qd uel hinc enitet, quod hunc Misga amentiũ more se habentem, aulici appellant, peculiari nimirũ uerorum prophetarum cognomine, ut uides Ierem. xxix. Apud Oseam duos habent titulos æque scilicet honorificos: Nempe hunc, & *Isch haruah*, quod Græci πνευματοφόρον dicunt, hoc est, qui spiritu feratur, nos dementem.

IOAS.

4.Reg.12. Rex Ioas fecit rectum coram domino cunctis diebus, quibus eum

docuit

docuit Ioiada ſacerdos. Excelſa tamen non abſtulere, ipſe uidelicet & ſacerdos, ne de ſolo rege intelligas, ſicut ſupra legebas de Aſſa. Neque uerò ipſe aut Ioiada in excelſis ſacrificaſſe dicitur, ſed uulgus. Attamen in hoc uterque peccauit, quòd ſe uiuis nephas tantum cōmitteretur. Prohibuiſſe quidem credendi ſunt, ſed manu regis ad hoc nō uerbo duntaxat ſacerdotis opus fuit. Verum nos, quatenus Ioas tale fecit, in diuos eum non referimus, maximè, cum et prophetam poſt occiderit. Quo nullum maius flagitium à rege iſto admitti poterat. Peccatum in ſanctos cadere poteſt, impietas ac uaticidium non poſſunt. Illud uerò in Ioa miramur, illud laudamus, quòd ita ſeſe doceri pontificem opt. ſinit, quòd in reficiendo templo tanto impendio tantoque ſtudio deſudat. Iniquitates ipſi abunde habemus, propterea in aliis non quærimus.

2.Para.15.

4.Reg.12.

ZACHARIA.

Propheta ſpiritu dei indutus, ruit in mediam idololatrarū turbam & inſit: Cur tranſgredimini præcepta dei, quod uobis male cedet? Sed iniquè ferentes ueritatem, correptorem iuxta ac confeſſorem prophetam lapidibus obruunt, qui animam ſimul & hanc uocem efflat: Videat dominus & requirat. In templo hoc factum, loco ſcilicet apto. In templo quoque iugulatus eſt Thomas apud Cantauriam. Nos Eccleſiaſtæ nondum ad ſanguinem reſtitimus idolo auaritiæ. Cætera taceo. Plagas, ſtigmata, lapides, lachrymas, Paulinam nuditatem, hac ætate nondum uidi.

2.Para.24.

Ibidem.

EZECHIA.

Regum omnium ſpecimen egregium Ezechias. In domino Deo Iſraël ſperat, & facit rectum, adhæret domino, nec diſcedit, ſeruat legē, in omnibus prudenter agit, adeo, ut nullus eum, poſt Dauidem, ſpiritu, fide, probitate æquet, nec æquarit. Illud multo præclariſſimum, quod tanto ſtudio templum execrabili ſordiū colluuie uacuefactum cupit. Nec ceſſat, dum dei cœli ſacra uindicet: Mundate, ait ſacerdotibus, domum Domini. Ad hæc ſcribit literas ad tribus, rogans, præcipiens, ſuadens artificioſule, ut ad deum, diis relictis, redeant. Sed riſum ac uituperium promeretur inde pietas. At ipſe bene operando non defatigatur, donat in rem diuinam plurima, laudat, orat, gratias agit. Super hoc tam eximio negocio in Paralipo. multa. Is uerò cum ſit, et talia operetur, preſſuram in mundo habet, neceſſe eſt. Ideo imponit Aſſyrium ſuper caput eius Dominus, hoc eſt, affligit ut tentet, uſque cordis ſecreta pateſiant, Deut. viii. & Iudic. ii. & iii. Vide autem, qui ſeſe in tempore tentationis gerat, non offenditur, non recedit temporarius, confitetur uerò palam: Peccaui, inquiens. Et miſſo auro pacē quærit, tam ſe quam templum defraudans. Vetat reſponderi impio oratori Rabſacæ. Cur enim Chriſtus Herodi fruſtra reſpondeat? Iam negata pace ſcindit ueſtes, & indutus ſacco templum ingreditur. Præterea mittit ad prophetam, literis ab hoſte acceptis,

2.Para.29.

Ibidem.

2.Par.30.31.

2.Para.32.

4.Reg.18.

Luce 23.

ceptis, expandit se coram Domino, fiducialiter orat: Salua nos, dicens, de manu eorum, ut cognoscant omnia regna terræ, quia tu es dominus Deus solus. Et feliciter exauditur. Exemplū hoc orbis rectoribus propositum, cuiusmodi & supra in Iosaphat admonuimus. Abiam & Assa reges non satis alioqui probati, fide tamen & oratione magis q̃ armis
Iere.4.8. Psal.43.42. 146. usi, hostes fudêre: nostri uero quia confidunt in munitionibus & thesauris suis, capientur. Et quia in arcu sperant, in equo & in gladio, occum-
Id est, singulari certamine. bent. Cuius rei periculum fecerat in monomachia Dauid Psaltes. Cæterum, quemadmodū ab homine impetitus ad orationē ascendit sibi diffidens: sic à Deo uisitatus, ad deum it orans, lachrymansq́ꝫ. Qui enim labi poterat, qui uocationē suam tam firmam fecerat? Nimirū pie, iuste, & so-
2.Petr.1. Titum.2. brie uiuens. Id quod non iactat, sicuti Pharisæus. Sed tamen in tentationis æstu fit, ut sanctissimi quiq; integritatem suam uel inuiti, parcius li-
Psal.7.16. cet, attestentur. Cuiusmodi in Dauide notissima: Si est, dicit ille, iniqui-
Psal.25.118. tas in palmis meis. Item: Custodiui uias eius, nihil impie gessi à deo meo. Et rursus: In innocentia mea ingressus sum. Et alibi: Mandata tua custodiui. Sic Caleb: Plene secutus sum dominum Deum meum. Sic Iob: Vt sciat Deus integritatem meam. Huc pertinet, quod Israëlita dicere docetur: Obediui, &c. & feci omnia, sicut præcepisti mihi. Sic Ieremias de uerbis: Quod egressum est de labijs meis, rectū est coram te. Atq; hinc de bona puráq; conscientia toties gloriatur Paulus, quam habere uulgus istud pseudeuangelicum non potest, quippe fide hypocritica, & rectioris uitæ negligens. Attamen & tam multæ probitatis uiri peccatum
2.Para.32. in Paralip. tectum non relinquitur. Sed operæprecium est, illud quoq; dicere, Ezechiam uidelicet reualuisse curatum. Sed textus habet: Ecce ego, dicit Dominus, medicus tuus. In hoc rex confisus, pristinæ sanitati restituitur. Neq; tamen minus patitur medicum hominē Isaiam, qui ulcus cataplasmate siue malagmate depellit. In hoc, id est, medico homine confisus rex Assa perit. Valitudinarius medicū consule, deo fide. Creauit enim illum Dominus. Et Paulus medici uice nonnulla γνησίῳ filio
Id est, germano. scribit.

IOSIAS.

Longe laudatiss. Iudaicæ gentis dux. Qui quod bonum est coram
4.Reg.22. 2.Para.34. domino facit. Nec declinat uel ad dextram uel ad sinistram. Qui puer etiamnum patris sui deum quærere incipit. Qui Ioam quoq; secutus, templi sartatecta restaurari mandat. Hoc rege in lucem subito profer-
Ibidem. tur Δευτερονόμιον. Quo rex comperto mire obstupescit, & tremens, quid facto opus sit, dominum consuli iubet, dolens insuper maiores tantum librum in precio non habuisse, unde iram dei exardescentem intelligit. Adeoq; Hulda dicit, emollitum cor eius humi prouolutum, illachrymatum. Et quis non miretur hominis tam ualde pij pietatem, affectus, gestus? Quis non adoret in eo spiritum? Heu nostram disparitatem, qui

saxo

saxo quouis duriores, neq; sacris permollimur, neq; fratrum necessitate tangimur. Vltimo loco uide, quàm graui concilio erubescendam idololatriæ sentinam submouere decernat, & quàm serio quàmq; intrepide alter Hercules Augiæ stabulum repurget, atq; omnia in suum statum redigat, Ezechia hac in re non paulo superior. Vindex Theolatriæ syncerus hodie nullus est. Papismi uerò propulsatores complusculi. Interitus huius regis dignus uidebatur, quem lamentaretur Ieremias. Reges illos optimos mortificauit quotidianus luctus, ac desyderium pro deo, & exulcerauit nephariorum idolorum abominatio. Quantulum quæso, uoluptatibus datum ab ijs credis, qui nisi mœrere flereq; nihil potuerunt? *Ibidem.* *2.Para.35.*

HVLDA προφῆτις.

Consulta uaticinium de Ierosolymę per Chaldæos excidio reddit, & mali causam adijciens: Quia, inquit, dereliquerunt dominũ, & adoleuêre dijs alienis. Durabit prophetia, uæ ijs, in quos ceciderit. Nam dijs hoc sæculum nondum ualedixit, & innoxium sanguinem effundere quotidie pergit, quapropter ad misericordiam flecti recusat dominus. Ieroboam, Achab, Achas, Manasse, sicut uas figuli conterentur, & sicut lutum platearum delebuntur calcabunturq;: Sic Iezabel, Athalia & id genus androgyni. *2.Para.24.* *Psalm.21.* *2.Reg.22.*

ZEROBABEL.

Princeps reducis populi, uir suspiciendus, cuius amplitudinē simul illustrat & declarat pietatē ingens in extruenda domo dominica labor, quam in cinerem Chaldæi uerterant. Antea Ioas, Iothan & Iosias rupta modo sarserant: at hic de integro reædificat, monentibus eum prophetis Zacharia & Haggæo, atq; deo excitante. Nec curat idem aduersariorum machinationes quantumuis improbas. Quæ res fidem uiri & amorem erga deum flagrantem non obscure indicat. Porrò eandem laudem meretur pontifex Iosua synchronos. *1.Esræ3.* *1.Esræ5.* *Id est, contemporaneus*

ESRA.

Sacerdos dei cœli, & expeditus scriba in lege Mosi Esra, cui rex plurimum fauet, sicut & Danieli huiusq; socijs. Præterea cor suum ita comparat, ut scrutetur legem domini, utq; & faciat & doceat statutum ac iudicium. Atq; adeo in hoc omnis est, ut per Iudææ fines euulgetur ac instituatur, quòd non tam ad amplificandum quàm ad innouandum dei sui cultum pertinere uidebat. Breuiter patriam repetit in timore dei, in ieiunio, afflictus, orans. Illud indignum quòd pręteream, nempe tam generosæ eum mentis esse, ut à prophano rege suppetias petere nolit, ne deo suo diffidere uideatur. Quā rogo tam fortis fides non perrumpat? Neq; uerò hic tentare deum existimandus est. Quale enim probrum dei in gentibus, si petijsset? Nam ante dixerat regi: Manus dei nostri super nos &c. Huic innitebantur, in hūc animos suos conijciebant, unde *1.Esræ7.* *1.Esræ8.*

Exod.15. saluos remeasse legis. Brachio carneo, hoc est, arundineo baculo opus
Iosue 3. Mosi in Arabico sinu non est, nec in Iordane Iosuæ. Non tentat deum, qui certæ promissioni credens, nec hæsitans, omnem iacit aleam. Præterea hominis incredibilem, peccati causa, tristitiam cōsyderemus: Mox
Id est, alienigenatum. enim ubi resciuit fœdam Iudæorum & allophylorum commixtionem, scindit pallium, uellit caput, uellit barbam, considet mœrens, ieiunat, affligitur, genuflectit, expandit manus ad dominū, et cum lachrymis orat:
1. Esræ 9. Domine cōfundor & erubesco leuare faciē meā ad te, &c. Bone deus, quātę illorū hominū acerbitates, quanti cruciatus, quātę denique mortes? Quàm plane cum deo unitū, inque deum trāsfusum pectus illos habuisse necesse est? Ut tantum nō ægrotant, ut tantum non exiccant ossa eorū, quoties uel uidere uel audire in populo uitia cogunt pij? Unde in eremū
Ierem. 9. secedere Ieremias exoptat, ne abominationes uideat, uir nimirū impatientissimus doloris, cuius lachrymæ ne noctu quidem quiescunt, Cap. xiiij. Nec tacendum est sedulum docendi studium & ardor quidam in
3. Esræ 9. Esra. In lignea enim turricula ad id operis fabrefacta stans (quo latius uox deuolaret, & ipse magis esset conspicuus) utrinque doctorum hominum turba septus, collecto populo legit legem dei. Sed quî legit? Plane & apposite ad intelligendum. Quàm diu uerò hoc? Num horulam? A' matutino in medium usque diem, et pòst quater in die. At quî se in ea contione gerit auditor populus? Arrectis auscultat auribus, intelligit, sublatis in cœlum manibus respondet, Amen, procidens in terram orat, &
Ibidem. in tam sancto negocio illachrymatur. Quo quæso spectaculo quid iucundius, imò quid utilius? Cęteri sacerdotes & Leuitę, uiri religiosi huc & ipsi omnia destinauêre, ut res diuinæ redintegrarentur.

NEHEMIAS.

Id est, pincerna. οἰνοχόος Nehemia, in impia regione pius, interque spinas rosa, sicut et cęteri aliquot electi, qui in idololatriam seduci non poterant, pulli uide-
2. Esræ. II. licet gallinæ alis tecti, & in manibus pastoris conseruatæ ouiculæ. Hic amore fratrū flagrat, et nihil eum perinde angit, atque reuersi in patriā populi casus. Vide em̄, quàm solicite pro huius salute rogitet, quàm uehementer percellat comperta fratrū aduersitate, quàm fleat, lugeat, ieiunet, oret. Dein-
2. Esræ 2. de nō potest non uultu prodere, quid sese maceret, nec id uerbis negat: Quur, inquiens, non tristis appaream? &c. Hypocritā hodie clamitant,
Ezech. 9. qui tetricus incedat, uaria rerū discrimina, multiplicia nostræ religionis incōmoda, & super cunctis abominationibus dolens gemensque. Qui uerò explicata fronte est, qui cuiuis arridet, qui configuratur sæculi huius moribus, qui nihil non probat, is est Christianus. Ne uerò putes simulatum dolorem, & mœstitiam aspectu ementitam, en tibi ueritatis testimonia. A' rege enim dimissus, redit in patriam consolator suæ gentis, extructor urbis, & numen aliquod. Et quemadmodum Esra templi, sic Nehemia restaurandæ urbis gratia, patriæ terræ redditus uideri possit,

hoc est,

hoc est, alter synagogæ, alter Reipub. gratia. Quo quid maius, aut toti orbi salubrius esse possit, non uideo. Afflictionis ubiq; plurimum, item 2.Esr.3.4 opprobrij & risus satis suffert propter honestum ædificandi studium. Quin etiam uirtute ad fastigium gubernationis euehitur Nehemia, & sapientia eò uenit, ut latis legibus mala coherceat, utpote usuram, proprij commodi studium, rapacitatem, & similia. Bonitate quoq; rara pollet, dum annonas præsidibus debitas non exigit, dum non plebeculam grauat, nec expilat, dum non in eam exercet tyrannidem. Quid attinet hic huius temporis harpyias, atq; sanguisugas ad id exempli uocare, cũ huiusmodi audire aures suas non docuerint, sicut nec Exod. xviij. Verũ si quis regis ius ethnicum è j. Reg. viij. depromat, & censum Cæsaris al- Matt.22 leget, mirum, q̃ talpa etiam liquidius illic audiant, alioqui surdi. Deinde Mat.12 uarijs technis tentatur Nehemia, ut cœpta relinquat, sed seipso fortior fit indies, nec uel tantillum remittit operis. Sunt & alij nonnulli in hoc album asciscendi, maximè Hanania ille, quem dicit fide & metu dei cæ- 2.Esr.7 teris fuisse præstantiorem. Omnium cõmunis erat conatus, ut reuiuisceret refloresceretq; neglecta religio.

ESTHER.

Exul Esther non modo, sed & orphana, uirgo Naiadum pulcherri- Esther 2. ma, moribus optimis prædita, non sine Dei consilio uxor regi, hoc est, infideli fidelis ducitur. Et cũ primis efferenda est iuuenculæ uirtus, qua tacere potuit, qua item ornatum respuit, nimirum sic præmunita ac fi- cta ab institutore. Idem fidem Dei probè docuisse, inq; timore & disciplina eam educasse existimãdus est, idq; inter ipsos idololatras, secundũ illud Deut. Docebis ea filios ac nepotes tuos, &c. Si pertinax Rechabitarum obedientia apud prophetam collaudatur, quis huius constanti obedientiæ laudem detraxerit? Et quæ apud regem ignota ac timidula Esther 2. tacere potuit, collige, qui sese alibi gesserit. Quę patrui uoci tam obnixe obtemperat, q̃ putas ad uocem dei tremuit? Iam uerò in regiam tracta, atq; honorata diademate, non mutatur Abrahæ filia, sicuti nec in aula Gen.39 Ægypti Ioseph, nec in Babylonijs satrapijs Daniel. Quinetiam fratres Danie.5 Iudæos, filios mortis, sui capitis periculo liberat. Id quod uel ingeminatum pereundi uerbum illud declarat, sentiens nimirum, quod quidam dixit: Si pereo, manibus hominum perijsse iuuabit. Non sibi regina est, sed alijs. Alijs, inquam, salutare sydus, uitæq; mater. Paucula in Apocryphis adiecta, subnotabimus.

MARDOCHAEVS.

Iudæus pius & æque bonus ciuis. Mardochai in exilio ita uiuit, ut Esther 2. qui obloqui, & bonam eius incessere cõuersationẽ uelit, pudefiat. Idem pædagogus Esther uirgunculæ & alumnus. Quod utrunque satis arguit hominem optimum. Deinde uirgineæ pudicitiæ custos peruigil est, post raptam insequens, ante gynęcium, in quo adseruabatur, obam-

bulans, anxie sciscitans, si qua acciderāt. Iam quod ad suam ipsius uitam attinet, indignum ducit satrapam, cui genu flectat, Dei nimirum unius cultor. Qua ex pietate, cum illi, tum illius gratia toti genti malum ilico nascitur quidem, sed in hostis caput redundat. Atq; hic uides summam uiri charitatem, qua fratribus ter miseris condolet, ita, ut cultum quoq; mutare eum interior mœror amaritudoq; cogat. Nec id solū, sed & in publicum prodire, uociferari ac eiulare: hoc est, testari incredibilem animi tristitiam. Præterea haud quaquam quiescit, dum eruditiss. sermone reginæ persuaserit, ut à rege gentis salutem impetret. Breuiter nihil non laboris ac periculi subit, quo calamitosos iuuet. Verū sicuti sol pluuiā, ita tristitiā lætitia insequi solet. Iudæus euehitur, Agagita deijcitur. Dominus enim est, qui humiliat lignum sublime, & exaltat lignum humile: siue, ut Dauid psallit, qui humilia respicit, et alta à longe cognoscit. Dominus est, qui erigit elisos, qui diligit iustos, qui custodit aduenas. Breuiter, Dominus est, qui redimit nos ab inimicis nostris. Quanta uerò futuræ uitæ gloria, si tam eximia in hoc mortalitatis oceano contingere pio potest? Obserua hunc iam heroa, in sua illa sanctione ad Iudæos, & pauperes donis subleuandos edixisse. Eo pacto memores pauperum erant Apostoli.

Esther 4. *Ezech. 17* *Galat. 2.*

IOB.

Iob 1.

Vir integer & rectus Iob, & timens deū, malumq; uitans. Quę commendatio omne pietatis atq; uirtutum genus cōprehendit. Prima commendationis parte per scripturam nihil tritius. Quemadmodū et illud, Bonus & rectus. Iam qui deum timet, declinat à malo, Prou. xv. Atque adeo timēs credit, sperat, diligit. Syrach cap. ij. Talis uerò Gręcis θεοσεβὴς dicitur. Præcipuā autem operam pius ille in pædagogia collocat. Coniuratores liberos sanctificat, proq; illorum delictis offert, oratq;, non tam pater q; sacerdos, hoc est, bis pater, Non nescius, perrarò epulari homines sine peccato posse. Cuiusmodi superstitionem magis q; religionem à nostris iudicari constat, qui nihil horū curant. Nemo nescit, quid κῶμοι in Paulo sint. Pręterea per omnem uitam integerrime se gerit. Erudit plurimus, oculus est cæco, & pes claudo, pater item pauperum, consolator mœrentium. Audi plura: In manibus eius nulla macula, omnibus æquus, egenis nihil negat, solus non comedit, nudum uestit. Diues diuitijs non fidit, sed Deo, nec inde sibi gaudet, inimico amicus, nulli malus, peregrinos hospitio colligit. Summatim, Tam sancte uiuit, ut se cor suum in omni uita non reprehendat, tametsi in hoc nō iustificatus. Vbi uerò peccat, haud quaquam cælat. Quo fit, ut non iniuria inter iustos numeretur uir ille, Ezech. xiiij. Verū quia talis est, afflictio non tardat: iniustis interim in opulentia florentibus. Permittitur ergo ad diuexandum tentandumq; iustum Satan, ut fieret iustior, & ex puro purior. Diuexare autem eum, nisi quantum ad externa illa, & ab homine aliena, non

Id est, comessationes. *Mat. 25.* *1. Timot. 6.* *Ierem. 2.*

na, non potest. Nihil enim de se amisit, qui liberos, ædes, iumenta, ualetudinem amisit, id quod piaculũ est, Philosophos credere, Christianos non item. Vnde Iob quoq; non magnifacit rerum omnium iacturam, sed pulchris etiam apophthegmatis semet solans: Nudus, inquit, exíj ab utero matris, &c. Item: Dominus dedit, dominus demit. Et rursum: Bonum equidem à Domino accepimus, malum autem non accipiemus? Quid, quæso, huic addi possit? Nec sat tulerat, ni & Xantippæ suæ & amicorum ferret importunitatem. Quo fit, ut in exemplũ patientiæ illustrissimũ accipiatur, Iacob. v. Nos gentibus Vlysseę sufferentię ὑπόδειγμα libentes concedimus, de qua poëta: Exemplum est animi nimium patientis Vlysses, Iactatus dubio per duo lustra mari. Pudeat uerò rapaces & usurarios, & negociatores, atq; id genus Ecclesiæ dedecora, suam auariciã Iobi huius patrocinio defensare. Cuius farinæ sunt bibuli quidam fratres, qui quoties se ob hoc argui audiunt, Christũ obíjciunt uinipotorem. Eo scilicet in scripturis sanctis profecere nostri homines.

Iob 1.

Id est, exemplum.

TOBIAS.

Finibus extorris quidem Tobia, inq; terra aliena degens, sed tamen ueritatis uiam haudquaquam deserit, imò μοσχολατρείαν diligenter uitat in Iudæa, in Assyria uerò εἰδωλόθυτα horret. Eleemosinas multas quotidie facit, filium ab incunabulis timere Deum docet, recta monet, consolatur alitq; uiuos, mortuos condit polinctor solicitus. Sed quia iustitiæ aduersitas comes esse solet, pro benefactis malum accipit. Occidendus fugit, sed non longe pòst redit. Multæ quidem tribulationes iustorum, & multo ubiq; sale igneq; saliuntur. Sed tamen est, qui acre temperat, faciens nimirum cum tentatione exitum, ut sufferre ualeant. Verum alia exeunte, alia uenit. En igitur oculis captum, en ab uxore afflictum adeo, ut mori eligat. Vide interim, ut beati illi homines orent, ieiunent, in luctu ac tremore uiuant. Cum primis uero legenda est iuuentæ παιδαγωγή illa patris, sed Græce. Nam nonnulla in Latino desyderantur. Porrò patrem proles sequitur. Eadem probitate est cõsobrinus Raguel, huiusq; filia Sara. Mores illorũ ab Ethnicis diuersi sunt, iuxta illud: Nolite adsimilari eis. Vbiq; piè nomen dei usurpatur, glorificatur, timetur.

Tobi. 1. Id est, uitulorum culturã. Id est, idolothyta. Psal. 33. Tob. 2. Id est, institutio. Matt. 6

IVDITH.

Mulier uerè (& Lamuel ait, Hail) pia, doctaq; uidua, ieiunijs & obsecrationibus Deo nocte dieq; seruiens: deniq; conuersatione talis, ut nemo loqueretur de ea uerbum malum. Zelo feruet, libertate arguendi sacrificos ualet (tametsi id præter decorũ) & docendi peritia præeminet, cui sacrificus credere cogitur. Deinde pro salute gentis precatur cilicio tecta, clausa ac supplex. Quo immensa sanctæ fœminæ charitas elucet. Quin & capite periclitatur, atq; hostili sæuitiæ industria uirtuteq; resistit, donec iugum seruitutis à populo acerbissimũ repellat. Quo facto immortalitatis gloriã sibi peperit. Simili ratione nobis, qui Chri-

Id est, fortis. Iudit. 8. 1. Cor. 14

ſtiani dicimur, Aſſyrius draco, qui eſt princeps mũdi, petendus eſt. Sed heus Leuiathan eſt, quo nihil immanius, inuictiusq́. Quare diuino robore opus eſt, quod animo ad pugnandum alacri ſpiritus Chriſti præbet, cui bulla erat tota eius uis, Matth. iiij. Dici uerò non poteſt, quàm planè dei præſidio, hoc eſt, fide, ſui diffidentia, oratione, lachrymis rem peragat. Ea peracta, papę, quas benedictiones, quas gratiarũactiones, quas laudes, quamq́ lætum Pæana deo recinuit, cui etiam totum nego-
Iudit. 16. cium transſcribit Hebræorũ liberatrix, mulierum decus, uirorũ calcar.

SOSANNA.

Dani. 13. Inſtituta ac erudita ſecundũ legem Moſi puella, mulier Deum timet, idq́ in Babylone. Præterea illæſum ſeruat coniugij thorum caſtiſſima matrona, moribus honeſtiſſimis rebusq́ omnibus ornata. Probari uerò eius fidem conſentaneum erat. Ecce igitur procellam. Petitur ad ſcelus, recuſat: condemnandã ergo ſeſe audit, nihil curat, quippe mori malens, q̃ peccare. Rogata clamat, iuxta Deut. xxij. Accurſu facto ſilet, tan-
Pſal. 37. quam non habens in ore ſuo redargutiones, uociferantibus in eam interim reis. E' pomærio caſtior exit, q̃ fuerat ingreſſa, ſicut ex fornice Ha-
Pſal. 101 gnes. Iam in iudicio grauiter accuſata ſilet, ſuſpiciens ac confiſa Deo, qui audit gemitus compeditorum: quiq́ protector eſt in ſe ſperantiũ. Deniq́ condemnata orat ad deũ, qui uidet ſcitq́ omnia, etiam occulta cor-
2. Pet. 2 dis, conteſtans ſuam innocentiam: quo fit, ut ſeruetur. Adeo nouit è tentatione eripere pios piorum pater. Pari crimine abſolutus Anaſtaſius legitur, quum & ipſe accuſatus facinoris tam indigni ſe, ſileret. Sic mulier ſepties percuſſa, apud Hierony. Non refert accuſari, ſi ſis innocens. Cato gloriabatur etiam ſe ſępius accuſatum, ſed ſemper abſolutũ. Adeo uerum eſt, quod quidam ſcripſit; Conſcia mens recti, uulgi mendacia ridet.

ESTHER.

Rebus in arctum contractis, lugubri cultu ueſtitur. Corpus ieiunijs humiliat, inq́ ſeruitutem redigit, ad dominum confugit, orat, confite-
Eſther. 14 tur, queritur. Confitens dicit: Peccauimus. Orans: Da mihi fiduciam domine, & ſermonẽ compoſitũ in ore meo coram leone. Item: Libera ancillanm tuam, nullum aliud auxilium habentẽ, niſi te domine. Sic mox: Exaudi eos, qui nullam aliam ſpem habent. Conquerens dicit: Volunt claudere ora laudantium te. Audiſti pietatem mulieris, cui aliquid addi poſſe dubito, Communis uita pietati in uniuerſum conformis eſt. Vehementiſſime odit ſæculi huius delitias, pompas, lautitias, & hoc genus ſordes. Nec ijs, niſi coacta, utitur regina, adeoq́ quaſi non utatur: Non
Ibidem. læta, inquit, ſum à die, qua huc tranſlata ſum. Vera hæc Chriſtiani hominis uita eſt, in carne ambulare, ſed ſecundum carnem non militare: in mundo uiuere, eoq́ carptim ad neceſſitatem corporis abuti, ſed non de eo eſſe, nec lætari. Nam hoſpitium eſt, & commorandi, non habitandi diuer-

diuersorium, quemadmodum gentilis etiam orator asserit. Talis ferè fuit Elizabeta illa φιλόπτωχος. (Facilla etiam Augusta hac in re superior) quæ & ipsa fastum illum & splendorem aulicum extreme detestabatur. Talis propemodum Kunegundis. Et de Cecilia legitur, quòd sponsa cilicio usa, desuper bysso ac purpura ornata apparuerit, quæ alijs alia pro libidine canentibus in corde suo psallit: Fiat domine cor meum immaculatum. Circumi nunc orbem totum, & consydera si inuenias inter omnes ἰσόψυχον.

Id est, pauperum fubleua trix.

Id est, unanimem.

MATTHATHIAS.

Fidei eius uiri mirum robur, miraꝗ animi fortitudo ac potentia. Facta consydera: Hostiles blanditias abscisso responso retundit: Non audiemus, inquiens, uerba regis transgressoris legis nostræ. Iam ubi uidet idololatriam, dolet ac adeò incandescit, ut renes eius in intimo contremant, sicut Athenis Apostolus. Author est homo nobiliss. & armis tutandæ rei Iudaicę & fessi Imperij status fulciendi. Quantum uerò periculi unus pro tota gente sustinuerit, ipsa historia abundè docet. Nec eadem tacet morituri dicta pręclarissima, quibus progeniem suam ad perseuerantiam inflammat.

1. Mac. 2.

Act. 17.

1. Mac. 2.

IVDAS, huius filius.

Patrem uirtute etiam superat flagrantissimi animi iuuenis & plane gigas. Quàm plurimum is fiducię in deo habeat, demonstrant actorum exitus, ne dicam uerba, quibus suorum uires incendit: Ipse dominus, inquiens, conteret hostes antea faciem nostram. Neꝗ enim aliunde est ista uirtus, ista pectoris magnitudo, ista Achillæa firmitas, præterꝗ à deo suo, quo fisi, seruantur. À quo item copias petunt, cui uendicant uictoriam, & agunt gratias. Accincti ad aciem piè dicunt: Sicut uoluntas in cœlo fuerit, ita fiat.

1. Mac. 3.

1. Mac. 4.

1. Mac. 3.

CÆTERI FILII.

Iudaico sanguine omnes æque clarent, & eodem ardore labentem religionem utcumꝗ restituunt Iudæ fratres. Quibus gestis ęternam sibi laudem parant. In horum indice ponenda est mater pijss. planeꝗ mascula fide, cum septem filijs, qui sanguinem suum Tyranno hauriendum pro aris tradunt. Talia fermè de Felicitate muliere Christianiss. leguntur. Nec non de matre Symphoriani. Item de uxore Hadriani. Atꝗ ô fortunatam mortem, quæ naturæ debita, pro Religione redditur. Nos igitur eadem cogitatione armemur, odientes animas nostras, ut inueniamus eas. Mors nobis uita sit, & contrà uita hæc mors. Simus uiri, & fortiter dicamus: Est hic animus lucis contemptor. Sciamus Abrahę sinum dilatare sese, ut nos suscipiat filios. Sciamus generum Cereris præstolari suos quoꝗ & parasse, quo eos excipiat, ignem æternum. Neque enim moriemur inulti.

2. Mac. 7.

Ibidem.

1. Petri 4.

Iohan. 12.

2. Thess. 1

Prophetæ

PROPHETÆ, quorum extant monumenta.



Vocati missiq; à deo omnes illi, amicti spiritu in mundum uenêre, quibus tamen is indignus erat. Præsertim uero in unam Syriæ partem, quam Palæstinam uocamus. Venêre uerò primum uates Messiæ ab alto exorituri. Nam huic omnes prophetæ testimonium perhibent. Deinde doctores Synagogæ Iudaicæ, adeoq; monitores ac correptores. Postremo prænunciatores super gentem istam excidij, siquidem nõ audirent, imò cõtra subsannatores erant nunciorum dei, & contemptores sermonum eius, & illusores prophetarum eius, ij. Paralip. ult. Sic iiij. Reg. xix. Quo factum, ut pati eos oportuerit, & ad crucem pijs paratã, iter sternere. Sunt prophetę Angeli dei, sunt serui dei, Amos v. Sæpius & uiri dei appellantur. Maxima deniq; illorum dignitas est, quòd Christus prophetarum dominus, propheta dici uoluit. Scripta illorũ per se lucida, nobis aliquãto obscuriora sunt, quæ proprio, hoc est, humano sensu enarrari non licet: Nimirum super quæ extructa est Ecclesia dei Ephe. ij. Lucem ijs præbent Apostolicæ literæ, & historiarũ omnium plena cognitio. Linguæ ubiq; plurimum prosunt. Aduersitates scholia sunt optima. Breuiter ipse in te sit spiritus oportet, idem animus, eadem mens, cuiusmodi illi habuere, si germanè uoles singula intelligere. Commentarij ueterum ac recentiorum adhibendi sunt quidem, sed ut commentarij, non ut oracula. Semper ad rectius aspirandum, & ad perfectius enitendum. Porrò intellecti prophetæ in Ecclesia prælegendi sunt, non secus ac Apostoli. Euangelizant em̃ & ipsi regnum dei, et de salute animarum scrutatores eos Petrus scribit. Fulciunt fidem, uocant ad μετάνοιαν, terrent, comminantur, consolantur: &, ut concludam, nostris moribus corrigendis, si quid aliud, q̃ maxime conueniunt. Faxit Deus Opt. Max. ut se sequamur unum, & cum sancto sancti reddamur: cui honor & benedictio in omne æuum, Amen.

Hebr. 11. Luc. 1. Act. 10. Matth. 5. 23. Deuter. 18. 2. Petr. 1. 1. Thessal. 5. 1. Petri 1. Id est, resipiscentiam. Psalm. 17.

Vtriusq;

VTRIVSQVE TESTAMENTI COMPRAEHENSIO, AVTHORE TVRTIO RVFFO ASTERIO.



Antemus socij Domino cantemus honores.
Dulcis amor Christo personet ore pio.
Primus ad ima ruit magna de luce superbus.
Sic homo cum tumuit primus ad ima ruit.
Vnius ob meritum cuncti periere minores.
Saluantur cuncti unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua ianua leto.
Ex qua uita redit, sola fuit mulier.
Frater iniquus erat, iustum qui perculit olim.
Damnator Christi frater iniquus erat.
Transitus ille monet, quid prima amisit origo.
Quid uentura paret, transitus ille monet.
Arca leuatur aquis, homines ne perderet æquor:
Ne pereant homines, arca leuatur aquis.
Summe pater populos pro nati uulnere cunctos,
Cum tradis Christum sume pater populos.
Hostia summa patris tacitis signata figuris,
Quam referat Christus, hostia summa patris.
Claudicat ecce uidens dominum dum præualet hęres,
Aspera gens Christum claudicat ecce uidens.
Reppulit ille famem frater, quem uendidit auro.
Venditus ab Iuda reppulit ille famem.
Perfide corde peris, dum uastant omnia plagę,
Dum cessant plagæ, perfide corde peris.
Agnus ab hoste sacer conduxit sanguine patres.
Sanguine nos reuocat agnus ab hoste sacer.
Obruit unda nefas populo gradiente per æquor
Nunc mundi populis, obeuit unda nefas.
Murmurat impietas Manna ueniente refecta.
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Plebs sibi dura caput terræ cultoris adoptat.
Abstulit heu Christum plebs sibi dura caput.
Lex dedit indicium ueteris de crimine pœnæ.
Quodq; salus ueniat, lex dedit indicium.
En lapis irriguus satiare incredule fonte,
Qui Christum reprobas, en lapis irriguus.

Carpitur igne sacro munus, uotumq; priorum.
Seditiosa tribus carpitur igne sacro.
Regna beata patris legis non contigit hæres,
Christus dispensat regna beata patris.
Destruit arca dei muros dum circuit hostem.
Sic hostem mundi destruit arca Dei.
Area uellus habet madido sed uellere sicca est.
Siccum tota madens area uellus habet.
Vincis honore Dei promisso munere gentes,
Effectum natæ uincis honore Dei.
Tu decus omne tuis, qui sternis cæde Goliam,
Qui uincis mundum tu decus omne tuis.
Maxima dona dei cuncti cecinere prophetæ,
Impleuit Christus maxima dona dei.
Pondera dura tulit mandatum legis, & iram,
Gratia mandati pondera dura tulit.
Virgo Maria nitet nullo temerata pudore,
Post partum pueri uirgo Maria nitet.
Filius hic hominis fit maxima quæstio mundi,
Nobiscum Deus est filius hic hominis.
Gaudia magna dei mundus percepit, & ambit,
Respuit heu mundus gaudia magna Dei.
Signa mouent populos, cernunt magnalia cæci,
Nulla tamen duros signa mouent populos.
Aspera mors populis ligno deducta cucurrit,
Aufertur ligno aspera mors populis.
Ipse tulit Dominus pro pœnis munera seruis.
Pro seruis pœnas ipse tulit Dominus.
Vita beata necem miseris auertere uenit.
Depulit à miseris uita beata necem.
Lumen adesse Dei persensit Tartarus ingens.
Nec cernunt homines lumen adesse Dei.
Mors fera per hominem miserum sibi subdidit orbem,
Subdita congemuit mors fera per hominem.
Suscitat ecce genus morti pater ille prophanus.
Ad uitam Christus suscitat ecce genus.
Hic populus dominum dura ceruice negauit,
Suscepit primus hic populus Dominum.
Sanguine læta redit fuso gens impia Christi.
Gustato Christi sanguine læta redit.
Crimina cuncta suis terrenus contulit author.
Dissoluit Christus crimina cuncta suis.

Libera

Libera corda ſibi facinus deuinxerat olim,
Nunc reficit Chriſtus libera corda ſibi.
Fortia uincla dedit peccati ſæua poteſtas,
Dulcis amor Chriſti fortia uincla dedit.
Iam ſuper aſtra ſedet, cuncti exultate fideles.
Perfide quid ſæuis? iam ſuper aſtra ſedet.
Mortuus ille tonat, cœlum, terramq; ſubegit.
Quid faciant hoſtes? mortuus ille tonat.
Pellitur umbra die Chriſti ueniente figura,
Chriſtus adit gentes, pellitur umbra die.
Te properare docent & ſigna & ſæcula prima.
Nos ſacra quæ gerimus te properare docent.
Vnicus aduenicns firmauit uota priorum.
Vota dedit nobis unicus aduenicns.
Paſſio Chriſte tua compleuit munera legis,
Munera noſtra replet paſſio Chriſte tua.
Hic homo qui deus eſt ſpes eſt antiqua priorum.
Spes cum fine pijs hic homo qui deus eſt.
Munus erit fidei toto credentibus æuo,
Qui dedit ut credant munus erit fidei.
Te ueniente deus, mundanus concidit error,
Concidit hic mundus, te ueniente deus.
Gratia plena dei eſt, quæ totis gentibus extat.
Abſcedant ſectæ, gratia plena dei eſt.
Sola columba redit, quæ totum circuit orbem.
Diſcedant corui, ſola columba redit.
Adueniet Dominus, dare digna pijs, mala prauis.
Credite iam miſeri, adueniet dominus.
Viſio Chriſte tui tormentum & pœna malorum eſt,
Gloria cuncta bonis uiſio Chriſte tui.
Gloria magna patri, ſemper tibi gloria nate:
Spiritui & nato gloria magna patri.

ADVENTVS DOMINI.


LAbitur Empyreo ſortis tibi miſſus ab orbe
Nuncius, æterni referens pia iuſſa Tonantis,
Concipis aſſenſu ſubito ſine ſemine natum,
Qui iuſſu cœlum ſtruxit, qui ſydera, terras
Condidit, æterni ſoboles æterna parentis.
Aſt ubi conceptus, terrenæ munera ſortis
Induitur, uoluitq; nouem geſtarier aluo

Ex Francisco Pico Mirandul.

Menſibus integris ſacrato flamine cluſus.
Iam quibus elapſis ſolida mitiſſimus aula
Actutum effulſit, ſplendentis lampados inſtar
Humanos nimium diuina potentia captus
Exuperat, qui ſemper erat ſine matre, fideli
Mox prodit è matre, noui miracula partus
Ex illo cultæ in templis tellure ſubacta
Mox ueteres fugêre deæ per opaca ſilentûm. &c.

Hoc habitu iam plena deo, montana petiſti
Cognatam uiſura ſacro, quæ pignore uentris
Læta laborabat, cui ſexti in limine menſis
Exultauit ouans, & matris mótus in aluo,
Infanti Chriſto aſſurrexit maximus infans.
Loturus refluo Solymos Iordanis in amne.
Quod templis etiam pingunt, ſed & illa refulgent
Gaudia paſtorum, qui ſpectant lumine opaca
Afflari noctem, & mulceri carmine ſancto,
Cum tuus è clauſa ſubito cum prodijt aluo
Filius & Genitor, quem tectum paupere panno,
Et paſtum lacte in uili præſepe reponis,
Et medium flatu placido iumenta tuentur,
Atq; nouo paries præſentat ſydere ductos
Ad Nati cunas Nabathæo à littore Reges,
Qui procumbentes genibus tria munera promunt,
Thura, aurum, myrrham, regemq; hominemq; deumq;
Teſtati, plantas poſito diademate lambunt,
Linquentes gazam, &c.

Andreas

ANDREAS APOSTOLVS.



Ndreas frater Petri, ut maiores nostri prodiderunt, Schytis, & Sogdianis, & Saccis prædicauit Euangelium domini nostri Iesu Christi, & in Augusta ciuitate prædicauit, quę cognominatur Magna, ubi est irruptio Apsari, & Phasis fluuius, illic incolunt Æthiopes interiores. Sepultus est autem Patris ciuitate Achaiæ, cruci suffixus ab Ægea præfecto Edesenorum. Ex Hieronymo.

Præteriensq; uidet ponti per littora fratres, Ex Iuuenco, Matth. 4.
Præsolidum Simonem dignum cognomine Petri,
Andreamq;, simul sinuosa uolumina lini
Piscibus insidias disponere marmoris undis.
Nunc inquit pisces capitis maris æstibus altis,
Sed me si libeat sectari, fortia uobis
Prouenient hominum perpulchra indagine lucra,
Illi confestim firmato pectore certi,
Retibus abiectis, pariter præcepta sequuntur.
Post fratres geminos Iacobum Ioannemq;, marinis
Insidias gregibus, maculoso innectere textu
Vt uidit, similemq; dedit de littore uocem.
Illi Zebedæum genitorem in puppe relinquunt
Illico, sectantes pulcherrima iussa salutis.

Protinus ergo uiros ex piscatoribus aptos Ex Sedulio.
Humanas piscari animas, quæ lubrica mundi
Gaudia sectantes tanq; uaga cœrula ponti,
Cæcaq; præcipites tranant incerta profundi,
Discipulos iubet esse suos, talesq; supernæ
Conciliat uitæ, quos non uentosa loquendi
Gloria, nec uana de nobilitate superbus
Sanguis alat, sed fama tacens, humiliq; refulgens
Mente nitor cœlo faciat de plebe propinquos,
Nanq; stulta potens elegit, & infima mundi
Fortia confundens Deus & sapientia perdens.

S. Hieronymus ad Marcellam de blasphemia in spiritū sanctum, meminit Sancti Andreæ Apostoli in Achaia, & Thomæ in India, &c. Vrbs marittima in Pincentinis, Amalphis dicitur, in qua S. Andreæ sepulchrum uisitur. Hierony. aduersus Vigilantium, de Reliquijs S. Andreæ sic scribit: Dolet Martyrum reliquias precioso operiri uelamine, & non uel pannis, uel cilicio colligari, uel proijci in sterquilinium, ut so-

lus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem uilissimam, & cineres dissolutos in serico & uase aureo portauerunt? Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquijs, & tanta lætitia, quasi præsentem uiuentemq́ prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palæstina usq; Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem una uoce resonarent? Sanctus Cyprianus in libello de duplici Martyrio hæc de Andrea Apostolo habet: Beatus Andreas, ut habet humana quidem historia, sed satis probatæ fidei, gaudens sibiq́ gratulans ibat ad crucem. De S. Andrea sic Augustinus in libro de uera & falsa pœnitentia, Cap. viij. In hoc, inquit, desyderio erat Andreas, qui in cruce positus, à Domino requirebat: Tempus est, ut cõmendes terræ corpus meum. Volebat enim eum plebs de cruce deponere. Ipse autem cœpit dominum rogare: Ne me permittas domine descendere uiuum, sed tempus est, ut cõmendes terræ corpus meum: tamdiu enim iam portaui, tamdiu super commendatum uigilaui & laboraui, quòd uellem iam ab ipsa obedientia liberari, & isto grauissimo indumento expoliari. Reliqua legat studiosus presbyter in loco citato.

BARBARA VIRGO ET MARTYR.

Georg. Vuicelij.

NIcomediensem fuisse accepimus puellam hanc, Barbaram quidem nomine, sed minime barbaris moribus, imò sapientiæ studijs & excultam, & omni uirtutum genere cumulatam fuisse heroinam illam, res ipsa loquitur. Parens huius Dioscurus, nephandi Iouis cultor, à quo traxit & nomen, impietate erga filiam orbi percelebris effectus est. Etenim crudeliorem hostem homo hominem uix unq; habuit, atq; filia patrem istum. Iuuenculam etiamdum conclaui ceu carcere clausit inhumanus ac uerè barbarus, non tam illius formę metuens, quàm ne Christianæ religionis odor ad eam usq; penetraret pręcauens. Verum hæc naturæ dotibus ornata, quippe liberali ingenio, & prudentiuscula ridere primis etiam ætatis annis cœpit Idola deorum χειροποίητα, ratiocinans, mortales fuisse Iouem, Saturnum, Martem, Neptunum, Triptolemum, Herculẽ, Venerem, Dianam, Vestam, & id genus portenta, idcirco non esse, cur numinis instar adorarentur à mortalib. Atq; hic contemptus planè pius seminariũ fuit odij & persecutionis. Interim

uelutí

ueluti flatu quodam cœlesti pulsa Deum existere cognouit, id quod uel è mundi prælustri machina potuit colligere. Cum uero nihil certi haberet de deo uiuo, soloq́ue cui fidem daret solidam, spretis iam idolis omnibus, commodum ab Alexandria uenit Origines Adimantius Antiochiam accersitus Mammeæ Augustæ literis, nostri Euangelij audiendi gratia, cuius historiæ Eusebius Cæsarien. etiam meminit. Quo rumore percepto, statim exarasse ad Theologum literas dicitur, quibus significarat suum plene cognoscendi Dei desyderium, posteaq́ue eò uenisset notitiæ, ut non dubitaret semel omnia gentium dæmonia abominari. Origenes, ut erat rei Christianæ propagator maximus, puellæ literis non respondit solum de Deo, atque hoc trino, uerum etiam unà ablegauit ad hanc Valentium Christi sacerdotem, qui nimirum copioso Euangelij sermone, adeoq́ue catechistικῶς puellam Christo proprie dicatam institueret erudiretq́ue. Cuiusmodi disponente prouidentia Dei nostri, quibuscunque occasionibus Nicomediæ factum esse, in custodia etiam uirginis quantumuis munita haudquaquam est dissimile ueri. Instituta igitur Barbara, & nostram edocta fidem, per energiam diuini spiritus & Valentij ministeriū, sacrum baptisma suscepit. Hoc licet cælarat patrē, non potuit is tamē eam rem aliquando nō rescire. Abit tempus, uirgo Christiana proficit & ætate & Euangelio. Tandē adrepit malignus anguis, sanguinē Barbaræ sitiens. Parcerat paganæ, Christianam ferre nequijt. Proinde offert occasionem, qua proderetur, Dioscuri filiam Euangeliū Iesu Christi recepisse. Extruit Balineum pater, de mutata filiæ religione nihil dum suspicans. Sed cum illa duabus fenestellis tertiam addi iussisset hoc in ædificiolo, paterq́ue caussam ternionis sciscitaretur, libere confessa est, Trinitatem Dei Opt. Max. qua uniuersus terrarum orbis ceu unico ac perpetuo cœli Astro illustratur. Ea responsione quātumlibet simplici, seniorē ita perculit, ut educto ferro innoxiam interempturus fuerat, ni illam ab oculis furiosi tyranni ademisset bonus Angelus. Auxit iram hominis, quod casta puella obfirmato animo repulerat procos, præsertim ethnicos: Nolebat cogi uel ad impar coniugium, uel ad idololatriam, quam deseruerat. Sed parens seu potius hostis fugientem Barbaram, Dei nunc filiam, Christi sponsam, templum sancti Spiritus furore percitus immodico insectatur, sumpturus de ea pœnam abnegatę paganitatis. Equidem latere illa & hostiles manus fallere formidine mortis uoluit, sed quando aliter Deo fuit uisum, uestigauit eam crudelis pater, uestigatam cepit, captam uerberauit, uerberatam præsidi illudendam atque excruciandam tradidit. O uiscera genitoris saxea, O truculentas ac barbaricas manus eius, qui auxilium ferre natæ debuit. Sistitur puella iudici, hoc est, lupo datur ouicula, fit de fide quæstio, incidit dissertatio. Puella metu posito, & expuitis ab animo perturbationibus, intrepidè confitetur Euangelium. Nec id solum, sed acriter etiam intonat ad-

uersus

uersus idololatriam omniũ gentium: recinens unum atq; alterũ uersum è psalmo centesimo decimotertio, prætereq; quod antehac inspuerat in simulachra seu penates patriæ domus. Profecto uirile pectus in fœmina insit oportet, à quo procedunt corã iratissimis iudicib. hæ uoces: Vestri dij dæmonia sunt, ligna & lapides sunt, os habent & non loquuntur, guttur habent & non clamant, oculos habent & non uident, manus habent & non palpant, pedes habent & non ambulant. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Porrò præses sategit primum, ut blandis alloquijs Barbaram à religione auulsam, pristinæ superstitioni redderet, inhortans ad sacrificandum. At illa erecta spiritu libero malum suasorem confutans, se Christo Iesu sacra facere affirmabat, Dei uidelicet filio, authori ac opifici rerum uniuersarum, in cœlis, in terris, in inferis. Qua sermonis libertate pariter & ueritate offensus præses, adeoq; in furiam uersus, iubet Christianam cædi, lacerari, discerpi, usq; dum omnia pudici corporis artus cruore commaderent.

Sanguis erant lachrymæ, quæcunq; foramina nouit
Humor ab his largus manat cruor, ora redundant.
Et patulæ nares, sudor rubet, omnia plenis
Membra fluunt uenis, totum est pro uulnere corpus.

Attamen ne sic quidem ad abiuratam paganitatem redacta, fidem prodidit. Tam inuicti roboris in uase etiam imbecillo Christi spiritus est. A' tam immani supplicio in tetrum carcerem abducitur uirissa illa, ibi cœlitus consolata & consolidata, uires grauiora patiendi colligit. Quanta hic & q̃; efficax precatio, quanta dilectio, qualis raptus, quod deniq; desyderium coronæ promerendæ. Iam uerò redintegratis uiribus, denuo trahitur ad lanienam. Admouentur lateribus ardentes faculæ, amputantur mammillæ, atq; eo pacto fœdata, ut spectetur in terrorem, circumducitur. Inter quæ ludibria uirgo Christi nihil nisi precari, & inuocare fortem Deum. Vltimo tot tormentorũ uictrix, eripitur à patre filia è carnificum cruentis manibus, non ut curaretur, quod patrẽ decuerat, sed ut trucidaretur. Neq; enim satiarat iracundiam tam lamentabili spectaculo, non homo, sed Tygris. Abductam igitur suis consceleratis manibus iugulat, & fundit sanguinem, quem ipse genuerat, plus q̃; astorgus, plus q̃; filicida belua. Habet nunc Ecclesia quoq;, contra quas disserat Medęas. Quo martyrio soluta anima in cœlum subuolauit ad sponsi oscula, corpusculo interim Ecclesijs relicto, non ut adoretur, sed ut honoretur à fidelibus, qui tam inusitata Barbaræ martyris constantia ac fortitudine ad crucem pro Christo & Ecclesia ferendam animantur. Passa est triumphaliter, Imper. Maximiano. De hac Raphaël Volaterranus sic: Barbara uirgo Nicomediensis Dioscori nobilis uiri filia: à quo in turrim est coniecta, q; se Christianam profiteretur: ac post omnibus probris nudatum, conuerberatumq; corpus, ab eodẽ

ad præsi

ad præsidem ducta, iugulataq́; in eadem urbe sub Maximiano est. Demum Venetijs, quo deinde translata fuit, nunc condita.

Ex Petro Chalybe.

Vrbs est bellipotens Nicomedia, deniq; paruæ
Pars Asię, templis diuûm, populisq́; refulgens.
In qua diues erat, claro quoq; stemmate natus
Discorus, infoelix diuûm tamen ipse nephanda
Cultura atq; sacris, hominũ q̃q; sanguine gaudẽs.
Huic erat insignis uirgo, pulcherrima forma,
Pulchrior & uita, morum grauitate pudica
Barbara, quam proceres urbis magniq́; petebant
Præfecti, ornatu nymphæ, splendoreq́; uultus,
Moribus & claris inducti. Barbara Christum
Quæ imbiberat, cultum tacito sub pectore uirgo
Christicolum portans (quamuis mysteria nondũ
Cognorat fidei, nec aquæ purgamina sanctæ
Quid facerent) procerũ spernit sponsalia, magnis
Nec precibus capitur, neq; auri pondere fului.
Huic pater atq; timens, Pario de marmore turrim
Splendentiq́; iubet celsam coniungere, & auro,
Atq; coloratis ornare cubilia passim
Segmentis: operi accingunt se protinus omnes
Artifices, ferro quadrantq́;, cauantq́; uicissim
In partesq́; secant lapides, & uomere multo
Vertentes terram, turris fundamina iactant.
Hinc superædificant, manibusq́; in celsa recuruis
En lapides tollunt, certo quos ordine iungunt.
Crescit opus tandem, tenues surgitq́; per auras
Egregium, in tota quo non formosius urbe.
Interea quid agant famuli, qua deniq; mente,
Vel quibus acceperint animis commissa, requirit
Discorus: at postquam uidit ex ordine cuncta
Arbitrioq́; suo manibus fabrefacta peritis,
Laudat opus, spectatq́; diu: tandem imperat illic
Binas ut faciant disiunctas rite fenestras.
Hinc comitatus abit turba, confinia terræ
Intrat, & officio commissa negocia tractat.
Confestim uirgo diuino numine tacta
Desuper, æthereos axes, & sydera coeli,
Irriguos fontes, terram, pulcherrima terræ
Munera, totq́; hominũ species, tot deniq; cultus
Contemplata diu, submissa uoce locuta est:

Quum nec ab æterno mundus sit origine, semper
Nec steterit, proprijs nec se formauerit ipsum
Viribus, aut hominis sit opus, deus inde necesse est
Vnus & omnipotens, æternus, & integer, almus
Vt sit qui mundi posuit primordia uasti.
Ergo dijs patrijs (quoniam sunt dæmona) uirtus
Condendi nulla est mundum, nos fallimur omnes
Ignari: nam quos diuos ueneramur, & aras
Nos quibus incensis stolidi inflammamus ubique,
Mortales fuerant quondam, nunc morte perempti
In Stygijs recubant lacubus sua damna gementes.
Dixerat, extemplo diuini feruor amoris
Cor subit ignitum, magis & magis inde perurit.
Barbara dehinc Christo cupiens adiungier, alto
Consilium sub corde tenet, quibus ipsa medelis,
Vel quibus æterni ualeat sponsalia tandem
Læta modis Christi, sanctæ quoque fœdera uitæ
Contrahere, & diuûm consueta relinquere sacra.
Vir fuit exemplo, doctrina, moribus, arte
Magnus, Origenes fidei defensor, amicus
Christicolum fidus, culturæ osorque nefandæ.
Illi per celeres notas secreta reuelat
Pectoris, atque petit fidei rescribere sanctæ
Dogmata, quis ualeat uitã modo ducere honestam.
Doctus Origenes tabulas ut uidit apertas,
Lætus abit, sociumque uocat, remque ordine narrat,
Et iubet, ut properet Nicomediam, atque puellam
Fortius instructam, sacro mox flumine mundet.
Perfidus interea rebus iam rite peractis
Discorus ad patriam rediens de more puellam
Congreditur, dumque alta petit, tres ecce fenestras
Conspicit, austero uultu, Proh Iuppiter, inquit,
Sic mea iussa capis? mea sic tibi munera curæ
Barbara sunt? agedum quæ te sententia traxit?
Sed uirgo uultum nil transmutata serenum,
Sic loquitur: Tria cuncta beant, tria singula lustrant,
Et tria saluificant, mundum tria sacra gubernant.
Est deus in tribus personis unus & idem
Trinus, tres igitur iussi formare fenestras:
Non tamen ut tres sint, sed ut unus nomine trino.
Hic numerus mihi sanctus erit, nec pectore ab isto
Vnquam discedet, uiuens moriensque tenebo.

At pater his uerbis infoelix territus (anguem
Vt qui calcauit pedibus sub cespite nudis)
Arma rapit subito, Furijsq; agitatus acerbis,
Irruit in teneram, manibus tunditq; puellam,
Defoedat faciem: uinctam quoq; turpiter ipsi
Marciano adducit præfecto, uertere mentem
Si posset duram, Stygijsq; adiungere diuis,
Christicolumq; fidem iuuenili euellere corde.
Barbara sed duro repetens sub pectore Iesum,
Facta patris perfert constanti pectore sæui,
Laudando Christum semper, nec iudicis ora
Formidat rabidi, magni nec murmura uulgi.
Marcianus formam, generis quoq; stemmata magni
Virginis admirans, placido sic pectore diuam
Alloquitur: Nunc parce tibi ueneranda puella,
Parce precor teneris membris, alienaq; linque
Sacra, deos nec sperne tuos, qui numine sancto
Tot tibi præclaræ tribuerunt munera uitæ,
Qui genus omne tuum, qui te quoq; nomine tanto
Splendore & uultus, natura, moribus, inde
Diuitijs placidi ornarunt, qui tempus in omne
Teq; tuumq; fouent patrem, tu linquere diuos
Stulta putas tantos Christi documenta sequendo?
Quem gens uana deum peruerso murmure garrit,
Turpiter in ligno qui pendens corpore nudo
Inter tot gentes uitam cum morte mutauit.
Barbara Marciani spernens conuicia, dixit:
Tune meo Christum coloratis pectore uerbis
Euelles unquam? Dominum me spernere, seruum
Accipere atq; iubes, heu seruum qui Phlegetontis
Antra colit, similes cui sunt, fientq; uicissim
Illi (proh dedecus) qui credunt, munera soluunt,
Et sacra cum precibus patrio de more ministrant.
Ante leo Libicus, tigris foret ante capistrum,
Ante leues liquidas prestet Vulcanus & undas,
Testudo leporem uincet, canis ante elephantem
Robore, formicam fugiet Iouis aut prius ales,
Ante lupos inter timidos quoq; pax erit agnos.
Christi q; nostro transibit pectore uultus.
Sic ait, atq; palam cunctis cernentibus ultro
Conspuit in facies diuûm, uerbisq; malignos
Detestata deos, Christi præconia tollit

Altius, & fidei confirmat dogmata ſanctę.
Marcianus ergo tanto pro munere nudam
Turpiter expaſſis manibus ſuſpendere in altum
Imperat, & neruis corpus pertundere duris.
Hæc ubi carnifices captarant iuſſa, puellam
Denudant hilares, populo ſpectacula inerti
Exhibuiſſe quidem gaudent, ſed Barbara ſponſi
Pollicitis confiſa ſui, dum uerbera dira
Multiplicant famuli, feſſi tandemq́ꝫ recedunt,
Sic ait: Omnipotens rector rerumq́ꝫ poteſtas,
Conditor & cœli, bonitas, ſapientia, ſplendor,
Qui terram palma, qui Tartara, deniq; Olympum
Solus comprendis, dominum quem cœlica noſcit
Cōcio, quemq́ꝫ timēt flammantis ſtagna Acherōtis,
Aſpice quæ patior, quantis me Chriſte fatigat
Verberibus gens dura nimis, ſed candida uirtus
Per te ſponſe quidem mentem ad cœleſtia tollit
Gaudia, nec patitur diuis me ſacra parare,
Quos ſibi finxit iners populus, qui corpore nullas
Virtutes ſterili geſtant, phantaſmata uulgo
Qui inſpirant, donec mentes ad Tartara flectant
Humanas, tenebriſq́ꝫ inuoluant undiq; longis.
Talibus incenſus dictis, furijſq́ꝫ repletus
Marcianus, diuam alloquitur: Pulcherrima uirgo,
Cur tibi tam dura es rogito? cur uerbera perfers,
Nec grauiora times, gladios, tormenta, faceſue?
Aſpice ꝙ placido noſtri tibi Barbara diui
Arrident uultu, quantis uel honoribus ornant,
Nec cupiunt de te uindictam, corpore multos
Sed potius ſano uiuas fœliciter annos,
Exoptant, agedum tibi conſule, & elige, mortem
Seu uelis indignam perferre, aut ſacra per aras
Spargere thura dijs patrio de more benignis.
Sic fatur præſes: faciem ſed uertit, & aures
Quantumcunq; poteſt uerbis ſeiungit ab illis
Barbara: non aliter, uirides ꝙ lubricus anguis
Dum ſacra uerba timet cantantis, forte per herbas
Caudam circumagitat, linguam criſpatq́ꝫ triſulcam.
At pater infœlix nondum ſatiatus Erynnim
Sed magis excreſcens, gnatam tunc exuit ipſam
Veſtibus, & teneras præcidit ſponte papillas.
Interea uirgo ad Dominum pia murmura Chriſtum

Effundens, ait: Omnipotens qui singula uestis,
Qui terram uiridi circundas tegmine, pennas
Qui tribuis uolucri, uulpiq; cubilia pręstas,
Da precor ex alto uestem, ne corpore nudam
Hirquis aspiciat me gens petulanter ocellis.
Dixit, confestim splendor de nubibus altis
Erumpens, oculos multa caligine fuscat,
Astantum in medijs uersatur uirgo tenebris,
Anxia sollicitis precibus gens numina poscit,
Et manibus frustra tenues diuerberat auras.
Interea Christus alto delapsus Olympo,
Sponsam congreditur lætam, diuinaq; pręstat
Pharmaca, quis cunctas abstergit corpore plagas.
Postq; lux abijt, cernunt mysteria apertis
Luminibus, qui aderant, consultant illico diuos.
Hinc præses (quoniam sola hæc medicina laboris
Restabat) sanctam iussit mox tradere morti.
Quam pater arreptam nimium sæuerus, in altum
Educit montem: uirgo sed candida Christum
Supplicibus pulsat precibus feruenter, & orat:
Annua qui sacris ornabunt festa loquelis,
Martyrij memores nostri, deus obsecro uitam
Illis perpetuam tandem post funera, at illic
Ante diem mortis condona Christe reatus,
Ac culpæ ueniam, sanctæ & conuiuia mensæ.
Dixerat, hinc reboat tenues uox clara per auras,
Exaudita ueni, quoniam coronaberis, ipsa
Vicisti uictrix constanti pectore mundum.
At pater exerto gnatam petit ense pudicam,
Et ferro niueam ceruicem à corpore uellit.
Extemplo è cœlo crescentia fulmina surgunt,
Vindice missa deo, patremq; uelociter igne
In cineres uertunt, animamq; ad Tartara mittunt.

NICOLAI EPISCOPI MYRENSIS.

Pataram rerum scriptores tradunt, urbem fuisse in terra Lycia nobilem inter primas, Eiq; si cætera defuissent ornamenta, quibus tamen plurimis affluebat, poterat sane uel hoc uno nobilitari præcipue, q Magnum Nicolaum Myrarum Episcopum tulit, uirum profecto, quem in Republica Christiana nemo propè sanctorum omnium in omni uirtutum laude facile anteiret. Nam Pataræ natū *Ex Leonardo Iustiniano Patritio Veneto.*

illum cõstat, & claro quidẽ genere. Mater eius fœmina fuit sanctissima, atq; grauis. Patri uerò non tam uitę splendor, q̃ integritas, non tam populi q̃ dei cultus, non tam diuitiæ, quàm eleemosyna fuerunt in pretio. Mundi itaq; relictis illecebris, nullum erat illis nisi bonarum actionum studium, atq; uoluptas. Hi tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum in tempore suo speciosissimum edidere fructum, infantem uidelicet hunc, cuius cœlestis indoles futuræ uirtutis præsagium præ se ferret. Illum autem primum mater pariter, atq; postremum tulit. Infœcunda posthac cum charissimo coniuge perseuerans, siue desperante natura, per illos posse huic similem alterum in lucẽ producere, siue ut puer hic multifariam Baptistæ similem in hoc quoq; cum illo quodammodo conueniret. Ille enim infœcundæ matris dissoluit uterum, atq; sterilitatem: Iste fœcundæ matris uterum obstruxit. Sic itaq; parentum diligentia omnis, studia, & uoluptates in hunc unum diuinæ ornandum, instituendum'q; sunt collectæ, ut quẽ carnaliter genuerant, spiritualiter educandum, & omnibus sanctissimarum institutionum ornamentis excultum, admirabilem cunctis mortalibus redderent.

Infantem autem hunc (quis dubitet) in ipso statim natiuitatis exordio, diuino fuisse numine afflatum, sanctificatum'q;, qui nõ prius uiuere, quàm deum uenerari, nõ prius comedere quàm ieiunare cœperit? Compertum enim habemus, illum, cum reliquos dies, noctes'q; omnes nutricis ubera sugeret crebro, quarta tamen sexta'q; feria nisi semel duntaxat, & id uesperi quidem, lac uoluisse gustare. Atque hoc semper certo immoto'q; seruauit ordine, ut nullis posset blanditijs, nullo nutricis lenocinio, nulla naturę necessitate à ieiunio cœpto deflecti. Quamobrem uel improbum quemq; bonarum rerum interpretem planè fateri oporteat, non fortuitu illud, aut intemperie stomachi factum esse, sed quasi consulto, & Dei afflante spiritu. O miraculum singulare, & inter rarà omnium sęculorum spectacula, per ecclesias merito decantatum, & dignum uiuendi principium, cui tam excellens uita succederet, quandoquidem, crescentibus annis, debebat eius quoq; uirtutibus tum natura, tum studio & gratia, partis fieri accessio admiranda.

Postea enim q̃ è pueritia excessisset, castissimos mores, & disciplinam ab optimis acceptam parentibus in melius redigens, ipse quoque suapte natura, & ingenio non desinebat, uelut generosa quædam, & fertilis gleba, nouos quotidie honestatis, & pietatis fructus edere. Inde ætate poscente, ad capiendum animi cultum, traditur studio literarum. Vbi tum ingenij magnitudine, tum uelocitate discendi, breui admodũ æuo, multa ingenuarum disciplinarum scientia imbutus, ab omni humanæ laudis cura abhorrebat. Æqualium uerò sodalitates, conuiuia, consuetudines uitabat omnino, quia in illis cerneret, sicut festiuitatis multum, ita plurimum esse intemperantiæ, atq; periculi. Mulierum non modo

colloquia

colloquia, uerum etiam conspectum, tanq̃ iuuenilis animi pestilentissimam labem fugiens, totũ se honestati, pudicitiæq; addixit. Libidinum uero, & carnis incendio, quibus æstuare plæriq; omnes adolescentes solent, quotidiani labores, ieiunia, uigiliæ extinguebant. Talibus instructum artibus, totum sese accepimus ad Christi seruitium contulisse. Schola illi erat, ac diuersorium Dei templum, ut se dignum pararet templum, in quo Deus ipse pernox & perdius habitaret. Neq; bonarum disciplinarum studia aut legendo, aut audiendo, aut meditando intermittebat, in quibus tantum excelluit, quantum magno futuro antistiti opus erat. Sed quo uita recta, doctrinis omnibus longe maxime præstabilior est, eo plus in componendis, formandisq; moribus nauabat operæ, ac laboris, quo iuuenilis, fluctuantisq; ætatis inconstantiã senili quadam firmaret grauitate. Quem enim admodum non illud senium laudamus, in quo non emineat par senio, in annis modestia, sic etiam solemus iucunde admirari, multaq; laude dignam existimare adolescẽtiam, quæ plane didicerit eiusce ætatis compescere motus, & senectutis grauitatem, ac molestiam retinere. Est enim si iuuentus in sene turpis, ita pulcherrima quidem in adolescente senectus.

Habuit autem Nicolaus auunculum nomine Nicolaum, a quo nunc nostrum, arbitror, id nominis usurpasse. Is cum nepotem animaduerteret religioni, & sanctimoniæ deditum, mundo se penitus abdicasse, parentes hortatur, ut adolescentem sacerdotalibus sacris initiari permittant: illi in sententiam uenere faciles. Cur enim gratos homines pigeat reddidisse, quod gratis acceperint, & fidelium more debitorum æs alienum, cum ipsa etiam usura persoluere? Nam in ueteribus memorijs scriptum inuenimus, Nicolai nostri parentes aliquandiu steriles, & propemodum de sobole desperantes, multa prece & lachrymis a Deo hunc filium impetrasse, atq; illum propterea Deo, qui dederat, reddidisse libentius. Perhibent autem auunculum, sancto afflatum spiritu, de nepote uaticinantem præcinisse in illo cœlestium donorum redundantiam. Cum enim initiaretur, ad astantes cõuersus, Nouum, inquit, fratres, terris solem oriri uideo, & humano generi grande solatium comparat. O gregem felicem, qui hunc sibi pastorem sit habiturus. Nunc enim uidebitis, errantes oues ad pietatis pascua reuocantem, Hunc periclitantibus salutem, calamitosis opem, laborantibus præbere quietem. Neq; secus, atq; iste prædixit, omnia euenisse insequens sermo docebit. Nulli autem mortalium admirabile uideri debet, uel nepotis præclara facinora, usq; adeo mundum illustratura, sui splendoris uatem aliquem habuisse, uel auunculum prophetandi spiritum meruisse, quem admirandæ uitæ integritas, ecclesiæ iudicio inter cœli sydera collocarit. Nam duos fuisse Nicolaos constat, auunculum illum, hunc nepotem, sanctos ambos, episcopos ambos, illustres ambos, quanq; longe illustrior quidem nepos est

habitus,

habitus, is, cuius nunc uitam, & facta conscribimus, cuiq; propterea Magno cognomen fuit. Igitur factus sacerdos, morum & uitæ seueritatem pariter cum dignitate augendam putauit, naturæ sapientiam imitatus, quæ arbores ipsas, quo se celsius in cœlum tollunt, eo altius demissis in terram radicibus, firmiores reddit. Sacerdotij autem, quis dubitet, solidissimas esse radices, integritatem uitæ, misericordiam, pietatem, continentiam, sobrietatem, reliquasq; uirtutes id genus, quibus potissimum propius ad Deum acceditur? Itaq; corpori suo bellum indicit, nō quod illud necaret, aut contereret, sed quod domitum, & omni petulantia exutum, redigeret in seruitutē. Igitur somno, & quotidiano cibo, quantum ratio permittebat, detrahit, ieiunijs, nocturnisq; uigilijs solito plus indulgens, uino parcissimo utebatur, sæpius aqua sola contentus. Veste si non sordida, ut hypocrita, & uanus ostentator, nullo tamen conspicua luxu deinceps est usus. Crebrior illi fuit ad delubra aditus. Nulla penitus nisi sacrarum literarū lectio. In uultu & gestu modestia maior. Sermo rarior, & grauis quidem, & qui nihil haberet inanitatis & fuci, ut his præditus ornamentis uideretur in corpore mortali immortalium uitam degere.

Per id autem temporis Nicolaus auunculus templum nobile sub sacræ Syon nomine struit, eiq; pari dignitate monasterium addit. Cui, cum de præficiendo gubernatore pro rei amplitudine cogitaret, uisum est, id negocij nepotis curæ, sapientiæq; cōmittere. Tum ut admirabiles eius uirtutes usu & exercitatione uegetiores redderet, tum quia nemo erat in promptu, qui rem illam aut sapientius, aut sanctius, aut diligentius gubernaret. Nepotem itaq; præfecit, eiq; plurimos præstantes adiungit monachos, ut uelut in re militari & imperatorem exercitus, & exercitum imperator pari uirtutum cultu & uoluntate haberet. Hoc itaq; munus ita Nicolaus administrauit, ut dignitatē monasterij gubernatoris præstantia facile superaret. In eoq; perstitit, quoad ipse uisendorum sacrorum locorum gratia in Palæstinam est profectus: Quod iter paulopost plusculis attingemus. Sed me iam uideo de narrationis semita declinasse. Prius enim quam de monasterio dicerem, erat de parentum interitu, & hæreditatis distributione dicendum, quem locum nunc paucis absoluamus. Parentes eius in illius pestilentiæ uastitate, quę Lyciam ea tempestate depopulata est, intra triduum morientes, hæredem illum testamēto instituunt: Quorum mortem omni officio ac pietate ita est prosecutus, ut nihil omitteret, quod ab amantissimo filio parentibus optimis præstari par sit. Hæreditatem igitur adiens, & non tam possessorem se, quàm hæreditatis dispensatorem relictum intelligens, cœpit, non quo modo patrimonium augeret (id quod plærique omnes mortales factitant) cogitare, sed quo pacto patrimonium seminando, uberiorem sibi frugem in cœlo colligeret. Quid enim aliud agat

uir constans

uir constans & sapiens, qui ab ineunte ætate funditus ex animo terrenas eiecerat cupiditates, nisi ut duriore iam ætate contemnat, quod teneris annis animo magno & excelso contempserit? ne uitæ præclara exordia à succedentis ætatis actionibus dissentirent. Itaq; non ad congregandas diuitias, sed ad congestas dispertiendas animum appulit, ut nil aliud patula manus, quàm egenum & pauperem cogitaret. Cæterum quemadmodum tellus ipsa omnium longè liberalissima herbis, frugibus, arboribusue sic alimenta, atq; uitæ præsidia porrigit, ut nemo quidem omnino id sentiat. Ita noster hic egenorum alumnus clam quidem, & nullo sciente mortaliũ, misericordiã suam incredibili studio, in pauperes exercebat, Cuius reliquas eleemosynas intelligemus facilius, si hoc unum è pluribus celebre illius factum subijciemus.

Fuit Pataræ uir genere nobili, qui (ut fert humnæ felicitatis fragilitas) ab honoribus in contemptum, à diuitijs in egestatem deciderat. Ei erant tres filiæ corporis, formæq; uenustate, & morum elegantia longe præstantes, uirgines omnes, & quarum ætas (si patris calamitas non obsistat) nuptias flagitaret, Has inops pater omni rerum egestate calcatus, non modo uiro tradere, sed ne alere quidem quoquo pacto poterat, neque spes ulla miserum hominem solabatur, qua quotidie crescentis inopiæ uim perferret. Heu rem dictu fœdam, heu quo mortalium mentes insuperabilis uis egestatis impellit, Tetrum, atrox, immane facinus, patrem paternæ pietatis memorem ne, an immemorem potius dixerim, exagitat filiarum decus, ac pudicitiam deserentem, ut natis esurientibus non deesset, cœpit enim de illarum uirginitate alienæ prostituenda libidini, cogitare, ut turpissimo & flagitioso quæstu, uitam pereuntis familiæ tueretur. Iam uesana fames reluctantem patris animum ægre perfregerat. Iam crudele, & humanis indignum luminibus spectaculum parabatur. Quid enim tam ualidum est, tamq; munitum, quod necessitas nõ prosternat? Sed affuit de cœlo miserator dominus, qui escam daret timentibus se, Qui patris in filias inuitam crudelitatem nõ pateretur, Qui uirginum castissimas lachrymas miseratus à tam fœtido flagitio liberaret. Sed quo pacto id facies dulcissime deus, uniuersæ misericordiæ pater & fons, aut quo ministro auxilium tuum oppressæ familiæ porriges? Angelum profecto tute tibi Nicolaum delegisti, quo nemo mortalium esset, qui tua iussa meliori aut studio, aut consilio, aut pietate perficeret. Tua igitur miseratione factum est, ut crudele consiliũ famulus tuus, nescio quo, nisi te uolente, sentiret, cuius animus, tum rei atrocitate, tum insita pietate cõmotus, in auxiliũ periclitantium totus accingitur. Stimulabant misericordem animũ esurientis familiæ lachrymæ. Stimulabat castarum puellarum prostituenda uirginitas. Stimulabat amantis patris misericordia, qui in pudicitiã inuitus agebat, ne in uentrem crudeliter agere uideretur. Sed seruus tuus, qua ratione

Deus impleat præcepta, non uidet: cum enim iubeas misericordes nos esse, uetas tamen sinistram scire, quid faciat dextera nostra. Ardet animus misericordiæ faciendæ studio, sed humanum sui beneficij testimonium refugit, quippe qui tibi soli benefactorum gratissime retributor placere conetur. Tantum enim uir Dei ab omni humanæ laudis desyderio abhorrebat, ut quantum cæteri sua maleficia, tantum ipse iste benefacta sua coelare studeret. His agitatus stimulis impiger animus, credo, te domine inspirante, in tempestæ noctis silentio è strato prosiliens, auri haud mediocre pondus sacculo belle insutum, sumit, domo egreditur clanculum, miserandæ familiæ domum tacitus adit, circumspectat sagaciter omnia, animaduertit tandem, luna ipsa adiuuante, fenestram apertam paululum, ea cubili inseruiebat, in quo infoelix pater membra quieti tradiderat. Tunc Nicolaus pulcherrimam sibi à Deo oblatam occasionem ratus, auro per fenestram immisso, domum se statim proripit. Manè pater auri comperto miraculo, stupens, cum tanti muneris datorem suspicari non posset, dæmonum eam esse, aut callidi cuiuspiam hominis fallaciam putat, adulterioq́ credit se lusum auro. Inde cum aurum digitis contrectaret, iamq́ rei cognosceret ueritatem, incredibili lætitia gestiens, lachrymas ubertim effundit. Miratur rem, animo uersat omnia. Et cum humanũ benefactorem conjectare non posset, in Deum hoc muneris transferens: Quid faciam nunc miser, inquit, ne tanti beneficij ingratus arguar? Certum est, peccatũ meum diluere, & impio me ac nefario scelere expiare. Filiam, in cuius pudicitiam crudelissime sæuiebam, à foedo periculo eruam. Aurum uirginem redimat, quæ meo scelere auri gratia perdenda erat. Hæc itaq́ secum reputans, primam ex tribus filiam honesto marito locat. Nicolaus non minus dato, quàm ille accepto munere gaudens, ubi uirginem uidet à periculo liberatam: liberabo, inquit, & reliquas. Auriq́ tantundem uoctu, ut antea, per patentem fenestram immittit. Diluculo pater, cum secundum aurum inuenisset, uix sui compos humi supplex sese prosternit, Tum ora, pectusq́ largis irrigans fletibus: Deus, inquit, misericors, esurientium liberalis alumne, fac (quæso) domine, ut sciam, quo ministro tu flagitiorum meorum periculum sustulisti, ut te domine in illo laudem, te in illo magnificem, te in illo contempler: Domine, qui me iampridem sanguine tuo redemisti, & nunc auro pereuntem familiam redimis, ostende mihi dispensatorem hunc tuum, & Angelum profecto in terris, cuius ope ecce secundam quoque filiam, diabolo crudeliter maritandam, sancto connubio honestabo. Hæc cum dixisset, non prius destitit, quàm alterum quoq́ generum sibi asciuit, nec minore certè gaudio duplicis coniugij celebrati, quàm spe tertij quoque properè diem celebrandi. Iam enim tantum sibi de Dei misericordia pollicetur, ut sese putaret tertiæ quoq́ filiæ dotem tenere manibus. Ita ab inferno ereptus

ereptus homo noctes diesq; perpetuos, ereptoris sui desyderio estuabat. Statuitq; noctes insomnes per excubias ducere, quoad quisnam esset hic exploratum haberet. Nec minus admirabilis noster, tertiam quoq; filiam nuptijs tradi cupiebat. Profunda itaq; nocte ueniens tacito (ut assolet) pede, per eandem fenestram tertiam introiecit dotem, ac peruigil pater decidentis auri strepitu monitus, quanta potest pedum uelocitate prosiliens, Nicolaum tandem fugientem assequitur, comprehendit, tenet, atque illius pedibus aduolutus, redemptorem suum, adiutorem, saluatorem pereuntium animarum flens, gaudensq; compellat. Nisi enim miserationes tuas, inquit, misericors excitasset dominus, dudum iam perierat infelix cum tribus infelicioribus natis pater, sed clementissimus Dominus per te saluauit nos, & à crudeli peccati casu liberauit Dominus, suscitans inopem à terra, & de stercore erigens pauperem. Talia lachrymantem, beatosq; osculantem pedes, Nicolaus ægre compescuit, qui cum beneficium suum, quanta potuit humilitate attenuasset, multis tandem adiurationibus, ut rem nulli mortalium patefaceret, frustra precatus est. Vna igitur hæc ex innumeris prope misericordis hominis huius eleemosynis. Quod si reliquas quoq; recensere pergemus, quoties indigentibus opem tulit, quoties pauit esurientes, quoties alieno grauatos ære leuauit, immensi propemodum laboris id fuerit.

Postea uero quàm perfecta iam & absoluta uiri uirtus illum maiore Dei familiaritate dignum effecit, cœpit eum solitudinis cupiditas ingens, in eoq; desyderio diutius immoratus, statuit tandem ab omni hominum cœtu secedentem in abditam aliquam eremum sese recondere, ut remotior mundo, Deo fieret propior. Eremus enim quietis atque tranquillitatis animi optima parens & nutrix, comes uerò atque tranquillitas cogitationum diuinæq; contemplationis fructifera radix, certaq; pronuba cum Deo coniugij spiritualis. Itaque cum ueteri uisendæ Palæstinæ desyderio teneretur, ubi Saluator noster ante Crucem inter mortales uersatus est, nauim in Ægyptum redituram conscendit, ut inde ad loca sancta profectus, solitudini se deinde dicaret. Sed Palæstina, & eremo intermissis, nauigationi ipsi paululum indulgeamus. Igitur è portu tranquillo cœlo soluentes recta in Ægyptum enauigant. Cum aũt docti naturæ nihil aduersi suspicaretur, quos tamen diuturnus usus futurarũ tempestatum præscios solet facere, Nicolaus illis horrendas uentorum, turbinumq; procellas iminere prænunciat: Etenim uidere se, ait, humani generis hostem iratum, nauim stricto gladio ingressum, atq; rudentes, omniaq; simul mali, & claui retinacula concidere cupientem, molientemq; nauim, quasi rapidis uorticibus circumactam, in profundum cum uiris ipsis demergere. Vix ea fatus erat, cum de repente, quasi signo dato uehemens, atraq; uis tempe-

flatum exoritur, undique horrendo fragore erumpunt turbines, mare uertitur funditus, tolluntur fluctus in cœlum, trepidi nautæ subito metu perterriti, ad genua se Nicolai prosternunt, orant misere, periclitantibus opem ferat, Dei auxilium pro se imploret, quibus nulla reliqua sit spes salutis. Tunc uir Dei confidere illos iubet, ac breui hoc periculo liberatum iri, modo iactent spem suam in domino, qui saluos facit sperantes in se. Post cum paululum orasset (mirabile dictu) sedantur fluctus, turbines in leuem auram dissoluuntur, lux atram caliginem dissipat, & iam undique læta tranquillaq; pereuntibus dies redit. Tum nautæ à lachrymis in gaudium uersi, ex animo gratias cum Deo, tum admirabili famulo eius habere fatetur, duplici uiri admiratione cōmoti, quòd & futurum prędixisset periculum, & præsens tam facile sustulisset. Auxit aūt illorum admirationem insequentis quoq; rei miraculum: Conscenderat nauta supremum antennæ cornu, ut solutos carbasi funiculos religaret, Is dum incautior descendere pergit, & manus illum falleret, magno lapsu super nauis tabulata corruit, contusum corpus iacet exanime, & sine dubio è uita migrarat. Tum Nicolaus misericordia uehementer motus, defixis in cœlum luminibus, orauit intentius. Inde rediens, & primum cœpit illum lachrymans cōtractare, mortuus quasi è leuissimo somno excitatus resurgit, et corpore ut prius integro ad obeunda munera nauis redit. Post hæc, uir Dei pandere illos uela iubet. Illi toto sinu flantem à tergo Corum accipiunt, nec prius illos fœlix deseruit aura, quàm Alexandriam adducti sunt. Ibi nautæ peruulgatis, quæ uiderant miraculis, ciuitatem incredibili huius uiri uisendi studio excitant. Hic bone Deus multa per seruum tuum mirabilia Ægyptijs ostendisti. Et erat operæpretium, magnalia illa tua Domine uirtutum singula recensere, nisi hoc esset negocij nimis longi. Magnus etenim factus ægrotantium hominū ad eum concursus, magnus calamitosorum opem petentium, magnus ab immundis spiritibus uexatorum, magnus mœrentium, & infestis fortunæ casibus laborantium. Sed quis, donorum largitor Deus, quis, inquam, æger non sanus abscessit? Quis mœrens non lætus? Quis arrepticius non mundatus? Sed quid hæc ad te Domine, qui fecisti cœlum & terram in intellectu? Non tuam igitur incomprehensibilis Deus omnipotentiā admiramur, sed ministrum hunc tuum, quē suæ uirtutis merito uiuentem mortuumq; per omnia sæcula nouis quotidie signis clarescere uoluisti. Hunc iure miramur, hunc uniuersus orbis immortali gloria dignū laudat & extollit. Tua tamen hæc laus est Domine, quia sine te laus ista non esset. Sed iam reliquum itineris absoluamus.

Ex Ægypto itaque soluens, & in Palæstinam (ut constituerat) ueniens, ascendit in Golgatha, ubi pro salute generis humani Christi patibulum fuit. Inde cum ad diuinæ crucis lignum uenerandum incederet,

deret, & uexillum intercepisset, ferunt templi fores tunc clausas ueni enti ultro cum fractis uectibus patuisse. Nec mirum id quidem, quippe cui coeli ipsius patebant portæ. Non enim caruit cumulata mercede ista profectio: uberiorem enim spiritus sancti gratiam, maioraque deinceps omnium uirtutum atque signorum dona perpetuo eum habuisse accepimus. In Palæstina itaque quantū par fuit moratus, in solitudinem sese colligere parat. Cæterum Dominus, qui ciuitatem supra montem positam abscondi uetat, et ardentem lucernam poni sub modio, illi per uisum semel atque iterū imperat, ut ad oues, quas reliquerat in Syon, confestim redeat. Quod ubi diuinū id esse mandatū manifeste deprehendit, seipsum abnegans, colla impiger diuino iugo submittit. Nauem Alexandrinam conduxit pretio, cum qua è Palæstina in Lyciam remearet. Ast eum improbi nautæ dolo fallere aggressi, suæ propè dederunt poenas improbitatis. Nam sumpta mercede, cum è portu soluissent, non quo pepigerant, sed Alexandriæ proras obuertunt. Iam erat in conspectu patria illorum tellus, cum repens exorta procella, clauo, antennaque confractis, ultimum illis exitium minabatur. Tunc nautæ conscij perfidiæ suæ ignosci sibi postulant, & supplices, ut deinde pro sua exoret salute, magno flagitant studio (miram dictu rem) uix illi sermonem compleuerant, cum subitò uis omnis tam sæuæ tempestatis compressa resedit, & nauis, nouis surgentibus austris, in Lyciam pulsa applicuit. Descendens itaque Nicolaus sese ad monasterium confert, quod auunculus eius (ut pauloante dicebamus) sub nomine sacræ Syon, magnis ædificarat sumptibus. Eum fratres incredibili gaudio excipiunt, amplectuntur, osculantur, & quasi Angelum à Deo sibi redditum, uenerantur. Hunc sibi locum Nicolaus, quasi tranquillum aliquem portum delegerat, in quo à turbulentis mundi actionibus ad contemplandam futuræ uitæ foelicitatem conuersus, deinceps quieturum sese sperabat. Sed breuis admodum ea spes, eaque quies fuit. Non enim passus est, qui omnia sapienter gubernat Deus, ut locupletissimus iste omnium uirtutū thesaurus humi lateret defossus, ex quo erat futura sæcula innumeris beneficijs ditaturus. Voluit enim, ut magnum hoc lumen, quod ipse immensa sua accenderat prouidentia, super magnū erectumque candelabrum suis radijs uniuersum orbem per sæcula illustraret. Itaque dum in secretiorem aliquando locum sese orandi contemplandique gratia, uti insueuerat, recepisset, uox eum de coelo alloquitur: Nicolae ad mundi, inquit, palæstram tibi redeundum est, si meam coronam expetis. His uerbis exterrito, cogitantique, quid nam uox ista portenderet, Iterum uox eadem acrius intonans: Nicolae, inquit, nō hic est ager, in quo fructum, quem ex te flagito, proferas, Ad homines redi, ut in te nomen clarificetur meum. Tunc hac uoce Nicolaus plane sibi imperatum à Deo intelligit, ut relicto ocio ad deferendum miseris mortalibus, quam posset

opem, redeat. Hic cum Deo parendum existimaret, diuq; secum uersasset animo, in patriam ne, ac inter notos, an alio terrarum orbe sese habitaturus reciperet, fecit tandem humanæ laudis odium, atque contemptus, ut neglecta Patara & suis, Myras, ubi nemo quisquam illum nouerat, commigraret.

Forte autem fortuna per eos dies Myrensis pontifex é uita migrarat, cuius rei gratia (quoniam ea ciuitas Lyciæ Metropolis erat) prouinciales Episcopi, quos Suffraganeos uocant, frequentes illó conuenerant, ibi de sufficiendo antistite actum est. Tum diuino operante spiritu, incredibilis quædam cupiditas cœpit non Episcopos modo, uerum etiam uniuersum clerum, ut sactissimum atq; ornatissimum aliquem præsulem sedes illa pro sua dignitate, amplitudine, atque gloria consequeretur. Quód tametsi multi præstantes uiri nominabantur, non tamen unusquisq; facile ostendebatur, in quem huius concilij suffragia consentirent. Ita cum uaria (ut in conuentibus hominum fit) studia eorum essent, uariæq; sententiæ, placuit tandem, precibus, omniq; supplicationum genere orari Deum, ut reuelaret, quis nam esset huic obeundo muneri deligendus. Magno studio diutius oratum est, nec ieiunia etiam, nec plæraque pietatis opera defuerunt. Tandem de cœlo Dominus, non tam precantium meritis, aut sedis dignitate, quàm huius immensi luminis patefaciendi gratia, uoces eorum exaudiuit. Præficiendumq; antistitem uni ex suffraganeis episcopis, uenerando senio, & uita præstabili reuelauit, hoc pacto: Huic enim antelucanam cum cæteris episcopis orationem facienti, apparuisse quendam ferunt, habitu angustiore quàm humano, eiq; imperasse, ut ab oratione confestim ad templi excubias se conferret, & quem primum in templum uenientem deprehendisset, illum esse, ad quem diuino consilio episcopatus & ecclesiæ gubernacula deferantur, hominiq; Nicolao nomen esse. Hæc iste cum cæteris episcopis nunciasset, uisum est omnibus ita fieri, quemadmodum episcopo sanctissimo reuelatum fuerat. At ne qua posset humana suspitio Dei uoluntatem labefactare, omnisq; tolleretur huius rei in fraudem nunciandæ occasio, decretum est, ut nemo quisq; omnino de templo ante rei finem egrederetur. Tum omnibus ad orationem conuersis, hic unus ad exequenda Dei mandata pro templi foribus excubat. Habebat suspensus omnes (ut est humanus animus sollicitus futurorum) huius tantæ rei diuiniq; iudicij expectatio. At Nicolaus media nocte ad confitendum tibi clementissime Deus de more surrexerat, ignarus certe uoluntatis tuæ, cui tamen se totum addixerat. Et cum in tuis laudibus (ut solebat) nocturna silentia absumpsisset, anteq; primos radios rutilans aurora diffunderet, ortumq; solis ægris mortalibus nunciaret, in templum, te inspirante Domine, securus ire pergit, quo cum primus omnium aduenisset, explorator iste diuinorum iudiciorum ingredienti

ingredienti Nicolao templi uestibulum, siste gradum, inquit, fili mi, dic quæso, quis es, quoue nomine uociteris? Tum uas istud electionis nil tale suspicans, mansuete uerecundeq́;, Peccator, inquit, sum, & seruus inutilis, nomine Nicolaus. Tum ille uultus, & morum grauitatem, uerborumq́; modestiam conspicatus, & uiri præterea nomen sibi cœlitus designatum, non dubitauit hunc illum esse, quem diuina uisio futurum Episcopum prædixisset. Non erat enim nescius, in quos soleat Deus respicere, in mansuetos uidelicet, & humiles corde. Itaque incredibili plenus gaudio, sicut qui inuenit spolia multa, aut in absconditum agri thesaurum incidit, sequere me, inquit, fili mi, & apprehensum dextera ad reliquos introducit episcopos. Illi audita re, nouum episcopum non humano certe, sed plane diuino suffragio declaratum, insolita quadam ueneratione excipiunt, uenerantur, Deoq́; laudem & gloriam decantantes, in medium templi statuunt, non tam reluctantem, quàm noui huius uelut prodigij stupore uix compotem sui. His continuo promulgatis (quid enim est ocyus fama rerũ, præsertim admirabilium) ad tantæ rei spectaculum innumerabilis propè confluit multitudo. Tum surgens episcopus ille, qui uisum habuerat, docet, quàm chari habendi sunt, quàmue à populis honorandi rectores animarum, illi præsertim, à quibus iustè, sanctè, humaneq́; gubernarentur, nihilq́; propemodum felicius esse illa ciuitate, cui istiusmodi antistitem habere contigisset, propterea lætari oportere Myrinensem populum, & Deo per quàm maximas habere gratias, qui eum esset præsulẽ consecutus, à quo plane sperare liceat, quicquid ab optimo atq; sanctissimo pontifice expectari par sit. Neminem enim dubitare oportere, hunc uirum esse omnium uirtutum arcam atq; thesaurum, & iucundissimum spiritus sancti diuersorium, qui non humano consilio, non episcoporum suffragijs, non cleri, aut populi electione, sed sola Dei miseratione sit pontifex declaratus. Inde omnibus quemadmodum euenerant, accuratè expositis, abire illos læto animo iubet, & gratias unumquenq; Deo pro immortali ac inæstimabili beneficio reddere, se cum cæteris episcopis ad unctionem nouitij pastoris iturum, quem spiritus sancti digitis inunctum manifeste iam perspiciant. Cum dicendi episcopus finem fecisset, uniuersus hominum cœtus in lætitiam, lachrymasq́; profusus, discedit. Synodus frequens ad noui præsulis unctionem conuenit. A' quo magno tandem labore impetratum est, ut se pateretur inungi, tum magistratus magnitudine, tum uirium suarũ, ut ipse putabat, imbecillitate deterritum, quanq; Dei hoc esse imperium multifariam plane cognouerat. Quo igitur die Myrensem thronum conscendit, secum ait: Hic dies Nicolae, hic locus mores alios affert, iam non tibi, sed alijs est uiuendũ, quandoquidẽ alijs uiuere, hoc est profecto sibiipsi perquãmaxime uiuere. Iste cum sibi uideretur cleri populiq́; uitia partim corrigenda, partim tollenda esse, non soli

Deo,

Deo, ut ante, sed hominibus quoq; uitam suam palàm faciendam esse putauit, ut illi exemplo sui facerent, quod prece, aut imperio, aut ratione fortassis facere noluissent. Erãt eius pristini mores, ut iam expressimus, absolutę uirtutis, & formæ, atq; accurata quadã castigatione compositi. At quoniam alia est priuati hominis ratio, alia magistratum gerentis, uitam omnem moresq; pro magistratus dignitate, transformandos esse putauit. Igitur in omni corporis cultu, maiore quàm ante incuria, & negligentia fuit. Nihil erat in eo uenustum, nihil elegans, nihil accuratum, præter mores, uiuendiq; disciplinam. Vestis plus solito uilis atq; neglecta, in qua nullus esset omnino nitor, aut fastus, sed castigatæ potius humilitatis, & modestiæ significatio, nec enim alio quouis pacto poterat sapientius, aut facilius sacerdotũ in uestitu luxuriem amputare. Nam quis tam impudens fuerit, qui priuatus pretiosam, & nitidam uestem non erubescat, cum magistratum amplissimum uideri uulgariter, & negligenter indutum? Ego præterea sic arbitror indumentorum splendorem hunc, & plus quàm regium luxum, quo nostri antistites nunc utuntur, aut nullis ecclesiasticis, aut his solummodo magistratibus conuenire, quibus nulla excellens uirtus auctoritatem uendicet, aut uenerationem, ut quod propria luce non possunt, externo fulgore oculos uulgi perstringant. At in quo uniuersæ honestatis, ac modestiæ eluceat species, maior certe gloria est, atq; hominum admiratio ex ueste uulgari. Semel edebat quotidie, & uesperi quidem, ut publicis negocijs, quæ pro magistratus amplitudine magna erant, multaq;, diem licentius cõmodaret. Nec cœna tamen publico uacabat munere, quandoquidem triclinium eius suo consilio, aut ope indigentibus patebat semper, & cœna sæpius pro negociorum opportunitate intercidebatur. Cibus erat eiusmodi, qui ad ieiunitatem, & abstinentiam, quàm ad saturitatem potius inuitaret. Carnes ab ineunte ætate ita dimisit, ut illas nunquam in omni reliqua uita resumpserit. Non plus uno ferculo cœnauit unquam, nisi hospitum gratia, quorum dignitas aut affluentiorem escam, aut delicatiorem expeteret. Nunquam sine sacrorum librorum lectione cœnatum est. Post epulas uerò grauis aliquis sermo sanctissimo, atq; doctissimo conuentu dignus inducebatur. Nam sacerdotes aliquot eruditione, & uita probatos, perpetuos sibi conuiuas delegit, à quibus suauiore aliquo animi cibo aleretur. A' mensa in cubile semisatur sese recipiens, totus in cœlestium contemplationum campum diffundebatur, & animum diurnis alienisq; curis distractum, nocturna meditatione collectum refouebat. Cumq; inter has delicias aliquantum noctis absumpsisset, membra tandem humi demissa, somno tantum indulgebat, quantum ad perferendum diei labores sat putabat. Inde surgens socios aduocabat, quibus cum antelucana oratione resumpta inter psalmos, & hymnos aurora expectabatur, tum unà cum sole in templum

prodiens

prodiens, diuina exoluebat officia, à quibus ad pascendū curandumq; gregem reliquū lucis accommodabat. O antistitem admirandū, & ab Ecclesia meritò Magnum cognominatum, qui utranq; uitam ita complexus est, ut nunquam à diuinarum rerum cōtemplatione negocium, aut à negocio contemplatio læderetur.

Vt autem suorum morbi facilius sanarentur, medicos ad eam rem præstantes magno studio undiq; conquisiuit. Nam primum omnium id curauit, ut unaquæq; ex suis Ecclesia eius generis rectorem haberet, à quo exemplo, atq; doctrina, atq; studio uitia populi tollerentur, praui corrigerentur mores, uirtutum atq; religionis cultus induceretur. Iis medicis utebatur, ab ijs discebat quotidie, si quid insigne in animis, corporibusue uspiam locorum suorum esset, quod suum auxilium aut pręsentiam flagitaret. Incredibile aūt est, quanto studio & charitate opē suam quoquo modo laborantibus impartiebat. Non labores ulli hominem fatigabant, non sumptus deerat, quo oppressos aliqua siue corporis, siue animi mole leuaret, animo grauius laboranti medendo erat impiger iste, & longo, si oportebat, confecto itinere accurrebat. Iacebat quispiam ægroto corpore pauper & egenus, nunquam, quantum necesse fuerat rerum et pecuniarum, in hominis auxilium defuit. Non eñ à Myrensibus tantum, uerum & à uicinis urbibus, haud parum argenti in eleemosynas dispertiendi quotidie ferebatur. Quòd si necessitas aliqua occurrisset maior, q̄ ut ei posset præsenti pecunia subueniri, ab diuite aliquo misericorde, quos multos habebat in promptu, pecuniam uel mutuo, uel dono accipiebat. Nam præter necessaria corporis operimenta, & supellectilem tenui uitæ per opportuna nihil ei reliquū erat, quod uel pignori, uel uenum posset dari. Nam etiam, quos legebat libros, mutuo petebantur. Ita semper uoluntariam paupertatē omnibus diuitijs facile antetulit. Hoc autem elegans in eo, atq; præcipuum fuit, q cum perfacilis eius ad omnes, & omnium item ad eum accessus esset, amplitudinem tamen, & dignitatem magistratus ita retinuit, ut dignus pro sua grauitate uideretur, qui non modo Lyciam, sed multas quoq; prouincias gubernaret. Habebant Myræ nobiles quasdam matronas, uita, moribus, & religione præstantes, quæ se totas ad misericordiæ contulerant studia. Iis Nicolaus (quoniam sexus iste ad eiusmodi obeunda munera uidetur impigrior) quasi exploratoribus & ministris utebatur, quibus uinctis ægrotantibus egenis, indigentibus omnibus opem ferret. Nec ei deerant graues aliquot ciues, à quibus disceret, si quid in ciuitate fieret tum publice, tum priuatim, quod sua suiq; magistratus cognoscere interesset, ut ea cogitatione posset aut nascētibus malis occurrere, aut iam natis remedium adhibere. Haud multo autem postea, q̄ Episcopatum iniuit, prouincialem habuit synodum, in qua pleraq; multa tum ad dei templorumq; cultum, tum ad uitam, moresq; cleri decreta præ

clare & sapienter instituit, partim uetera corrigendo, antiquandóue, partim noua condendo, quibus uniuersa prouincia Lycia uteretur. Atque quotannis prouincialia Concilia, quoad uixit, Kalendis Septembribus conuenêre, in quibus de institutis ac disciplina Cleri, deq; omni Ecclesiarum statu accuratissime agebatur, nec improbis censuræ ac pœnæ deerant, nec bonis faces, quibus ad meliorem uitam accenderentur. Initio autem Magistratus sui ferunt, cum exoluendi officij debitiq; reddendi magnitudinem formaret, eum lachrymis & gemitu Deum sæpius intensissime deprecatum, ut ab se intolerabilem hanc molem tolleret. Nam cum hinc animaduerteret de singulis sibi subiectis, qui innumerabiles propè erant, sibi reddendum esse rationem, illinc uires suas, quanquam erant magnæ, ualidæq;, nihil pro sua humilitate existimaret, in desperationem satisfactionis adductus, animo incredibiliter angebatur, Atque sæpius ob id, cum uberes lachrymas effudisset, uocem tandem audiuit de cœlo, in hæc ferè uerba: Ne timeas Nicolae, ut à me, mea negocia fideliter gerens, ingrate destituaris. Hac uoce maxime recreatus, & spem suam omnem in Deum conijciens, opem sibi à Deo pollicebatur, sed ita pollicebatur, ut omnia tamen à seipso petenda putaret, quæcunque opera & consilio præstare potuisset. Sciebat enim Deum eos non iuuare solitum, qui seipsi negligenter deseruissent. Itaque uires suas omnes tum animi, tum corporis ad gerendum id negocij explicauit, quas cum (ut dicebamus) imbecillas existimaret, duos sibi quasi consiliarios adiungit, Paulum uidelicet Rhodium, & Theodorum Aschalonitam, uiros in omni Græcia celebres, & quibus explorata uirtus atque doctrina, & diuturnus præterea rerum usus auctoritatem pepererat. Horum fide atque consilio priuatim publiceq; plurimũ utebatur, à quibus ita sciebat se diligi, ut nihil illi magis in eo cuperent, quàm ut Deo placeret quàmmaxime. Ad eorum itaq; sententiam quasi ad fidele aliquod speculum proprios ornabat mores, & ad magistratum aptos accommodabat. In obeundis insuper Episcopatus negocijs, si quid paulò difficilius iudicandum, agendum'ue accidisset, hos sibi continuo adhibebat, cum quibus de re ipsa statueretur.

Interea uetus humani generis hostis ira crescentis Christianæ religionis feroces animos Diocletiani, Maximianiq; solito atrocius instigat, crudelioremq; quàm antea persecutionem parat. Veniunt itaque ab Imperatore edicta in omnes, qui Christianã fidem profiterentur, quibus carceres, tormenta, uincula, postremò truculenta nox indicebatur. Hæc cum Myris publice legerentur, aderant pariter Imperatorij carnifices, Christianis non obtemperantibus, extrema omnia minitantes. At contrà Nicolaus pastor intrepidus, acerrimusq; Christiani gregis propugnator, fidelibus omnibus clypeum sese præstat, & Christi

fidem

fidem, quanto potest ardore, ubiq; intonat, liberi profecto atque sanctissimi pastoris officio fungens. Tum urbis præfecti ægreferentes, contemni ab eo Regia mandata, illi, nisi desistat, decernunt supplicia. At Nicolaus perquam (erat enim Martyrij cupidus) contemptis minis, acrior tum insurgens, tandē uinctus in longinquas custodias abducitur, in quas & Christiani multi ex uarijs ciuitatibus erant cōiecti. Vbi non parum æui omnibus incommodis captiuitatis affectus, tanta mentis constantia ac firmitate fuit, ut eum inter delitias uitam degere arbitreris. Nec exemplo modo, uerumetiam assiduis cohortationibus imbecilliores adiuuabat socios. Et uelut agricola bonus, teneras plantas religionis & pietatis riuulis irrigabat, ut eorum radices infertili stabiliq; solo defigeret. Robustiora uero pectora ad martyrium inflammare, ardorem illis & spiritum addere, quàm speciosa esset in conspectu Domini mors sanctorum eius, disserere, & prædicare quotidie, nihilq; omittere, quo illi celso firmoq; animo breuem hanc miseramq; uitam pro beata illa & immortali contemnerent, non cessabat.

Interea uerò benignus Dominus de cœlo suum populum miseratus, qui solem post tenebras, & post tempestates tranquillitatem solet seruis suis inducere, dissipare protinus ac perdere crudelia sceptra parat, ac sui nominis inimicos de medio tollere, Diocletianos scilicet & Maximianos, & quotquot cum eis suo populo impie præfuerunt. Erigit autem cornu salutis plebi suæ, & cœlesti crucis signo Constantinum Constantij & Helenæ filium aduocat ad Romanum Imperium. Ille non ignarus, quis nam hic esset, à quo cœlitus uocaretur, omnem spem suam in eum conijciens, Maxentio confestim exacto, dignitatem nominis Christiani in propriæ maiestatis solium exaltauit, uertitq; priorum lætitiam Imperatorum in luctum.

Tum per orbem edicta profert, quibus iubet idola, & gentium delubra euerti, solui eos, qui pro Christi nomine uincti essent: instaurari Christianorum sacra, templa refici, & pristinum ornatum resumere. His Constantini dictis ubique promulgatis, Christi confessores soluti, unusquisque in patriam suam redit. Sicq; Myrensis populus Pontificem suum recipiunt, martyrem profecto uoluntate ac desyderio, atque incruentum athletam & bellatorem: à quo cum cœlitus collata sibi dona miris modis exercerentur, tanta creuit apud populum de illius uirtute opinio, ut iam plane miraculo omnibus esset.

Hic cum uideret dæmonum delubra quædam, nonullasq; gentilium aras adhuc superstites, nō exiguamq; impiorū ac uarij generis hominum multitudinem ad eas confluere, atque id mali serpere quotidie latius, incredibili ardore accensus insurgit, & undique Dei uerbum prædicans, ubi idolorum aram quampiam conspexisset, funditus euertebat, nulli parcens, neminem metuens: Nihil nisi de Dei gloria, homi-

numq; salute sollicitus. Sic itaque omni dæmonum cultu eiecto, puram gregi suo tranquillitatem & requiem comparauit.

Hæc cum Christi miles, imò Imperator & dux, aduersus principes tenebrarum non minus feliciter, quàm fortiter auderet, cœpit continuò illum libido, quatinus ne ab ipso Dianæ templo abstineret, facinus sic quidem desyderandũ potius, quàm sperandum. Erat eñ ædes hæc admirabili pulchritudine, & magnitudine singulari, & quæ à Myrensi populo inter primaria urbis ornamenta præcipue coleretur. In hanc igitur cũ robustissima iuuenũ manu impetum faciens, nõ solo illam, ut cæteras, æquasse contentus, fundamenta quoq; radicitus euulsa disiecit, nullo prorsus ciuium obsistente. Horrenda res erat, profligatorum dæmonum audire ululatus immurmurantiũ, terribiliq; stridore inclamantium, nunc se per iniuriam è sedibus proprijs eijci, atq; fugari.

Hic itaque triumphus armis eius & militiæ aduersus infideles finem fecit: Non autem animo corporeq; in alienum auxilium exercendo, aut mirabilibus faciendis, quæ quoniam multa sunt, non omnia idcirco silentio patiemur obrui & obliuione, sed strictim paucula attingemus, si prius ostenderimus, qualem se ipse præstitit in illo celebri, & omnium nobilissimo Christianorum conuentu, qui iterum Niceæ est habitus. Constantino igitur, qui primus Christianorum cultum in uniuersam suam ditionem induxit, Romanum Imperium gubernante, Iulius, qui summus tunc erat Pontifex, non modo Constantinum, uerũ etiam cæteros omnes, quibus præerat Imperator, ad orthodoxæ rectæq; fidei ritum & disciplinam assidue inflammabat. Et cum Arrianus error haud paruam orbis partem occupasset, Pontifex tandẽ effecit, ut suo Imperatorisq; iussu, uniuersale Christicolarum Concilium Niceam conuocaretur. Vbi dogmata incorruptæ fidei Christianorũ Comitiorum firmarentur auctoritate, pariterq; ut Arrius Arrinæq; stultitiæ sectatores, damnati è Republica Christiana abigerentur. Ei Concilio affuerunt trecenti decem & octo Episcopi, inter quos Nicolaus non minor doctrina, quàm uita, neque sermone, quàm opere in refellendis Arrianis fallacijs iudicatus est. Hæresim illam acutissima ingenia tuebantur, & uiri omni doctrinarum genere cultu & elegantijs expoliti, quos contra non modo disputationibus & lingua, uerũ multo maxime supplicationibus & assiduis ad deum precibus Nicolaus pugnabat. Ita cum illorum tandem argutias & errores ipse cum cæteris ueritatis defensoribus dissoluisset, Canonemq; ipse, & reliqui synodi patres, orthodoxæ fidei præscripsissent, ὁμόσιον, hoc est, consubstantialem patri, & æqualem credendum esse Christum, resarcita scissura Ecclesiæ. Inde discedens ad proprium gregem regressus est, cui neque doctrina, neque exemplo, neque assidua exhortatione defuit, quo magis omnes ad uirtutẽ, ad mores, ad animi cultum, ad pietatẽ, religionemq; perpetuò concitaret.

Accidit

Accidit autem ea tempestate, ut terram Lyciam ualida uexaret fames, tantaq; Myris, alibiq; tritici egestas esset, ut iam ad interitum hominum res spectaret. Tum Nicolaus ad horrea Dei, hoc est, ad orationem confugit. Per id autem temporis mercator quidam in terra Sicilia magnam frumenti uim in nauim intulerat, exportandi in Hispaniam, dandiq; uenum causa. Huic noctu dormienti Nicolai symulachrũ sese per uisum offert: imperat, ut Myras triticum statim tempore aduehat, ex eo grande pretium relaturus, fidemq; uerbis, tribus datis aureis, facit. Excitatus ille cum aureos propè, & cubile clausum inuenisset, admonitum se diuino numine ratus, Myras sine mora frumentum uehit, preciumq; accipit, quod dormienti sibi spoponderat Nicolaus. Eo pacto Myræ sæuientis iam inediæ uim repulêre. Ita cum mercator rem omnem, ut sibi euenerat, cunctis palàm fecisset, Myrenses suum præsulem maiori deinceps, quàm hominem uenerari par sit, honore & laude sunt prosecuti.

Ea tempestate Constantino nunciatũ est ab nõnullis rerum nouarum cupidis, seditionem haud negligendam, in superiori Phrygia excitatam. Tunc Constantinus tres ad eos reprimendos motus Legatos mittit, Nepotianum uidelicet, Vrsum, & Herpilionem. Hi celere cum armis ad negocium sibi datum profecti, Andriaciama appulêre. Id erat in terra Lycia oppidum, subiectum Myrensibus. Ibi milites aliquandiu aduersa maris tempestate detenti, emendorum ciborum gratia in terram egressi, tandem (ut est eiusmodi genus hominum rapax, & alieni appetens) ad prædam incolarum sese uertunt, multa rapiunt per uim, plurima temere deuastant: Quorum improbitas cum indies augeretur, uicit tandem incolarum patientiam effrenata licentia militum. Igitur agrum omnem armat iniuria, seditio & tumultus exoritur, & iam in mutuam cædem utrinque ruebatur. Cum Nicolaus (is enim rem perspiciens, citato pede ad locum uenerat,) adesse nunciatur, tunc oppidum omne, nec non & ipsi Imperatoris legati ac milites (tanta erat in omni Lycia Nicolai auctoritas atque nomen) depositis armis, uenientem Episcopum, obuiam progressi, incredibili quadam ueneratione ita excipiunt, ut nullum penitus tumultus, aut irarum uestigium appareret. Nicolaus rem sedatam animaduertens, benigne legatos congressos, in urbem honorifice perhumane que inductos, hospitatus est. Dum illi se, placatis uentis, ad nauigandum expediunt, adsunt Myrenses aliquot anxij, flentes'que. Hi ad sancti uiri pedes prouoluti, celeritatem & auxilium conclamant, contra nequissimi hominis uim, atque iniuriam: Eustachium enim præfectum urbis auro uictum, tres innocentissimos ciues capite damnasse, ciuitatem omnem in luctu esse, unam reliquam superesse in NICOLAO spem, Qui si affuisset, ille nunquam tam immane facinus in animum induxisset:

opus esse maturato: ni cito accurrerit, de capite & fortunis insontium actum esse.

Hæc illi cum flentes lamentarentur, uir Dei, diuinæq; misericordiæ imitator, rei crudelitate uehementer percitus, iter arripit, Constantiniq; legatos contra præfecti uim, si oporteat, sibi comites & adiutores adiungit. Itaque cum in locum, cui Leo nomen est, aduolasset, obuios quosdam rogat, si quid de tribus his damnatis ciuibus exploratum haberent. Illi reliquisse eos aiunt, in Castoris & Pollucis campo, tractos ut mactarentur. Tum Nicolaus ad locum uelox contendit, ut illorum præueniat necem. Iam miseros illos crudelis carnifex tyranni iussu ad portam loci pertraxerat, ubi capite damnatos plecti mos erat. Quò Nicolaus incredibili ardore flagrans, cum irrupisset, uidet magnam mortalium uim undique circumfusam, & tres (miserum dictu) manus post terga uinctos, & lumina linteolo uelatos, nuda colla carnificis securi præbentes. O miserum spectaculum, & indignum profecto, quod humanos oculos suæ immanitatis testes haberet. Iam carnifex securim erexerat, & furenti similis, truculentos oculos in miseras ceruices defixerat, nihil aliud quàm crudelitatem atque cruorem gestu, uultu fœdaq; uoce significans. At diuinus hic noster, ut primum pia lumina nefario iniecit spectaculo, non tumultuans quidem, aut temerarius, sed grauiter admodum, & cum seueritate carnificem compellat: Quid agis scelestes? securim contine. Simulq; accedens intrepidus, & fiduciæ plenus, cum regia quadam auctoritate, securim è manibus extortam abijcit, tribus damnatis lumina & manus reddit, bonoq; animo esse iubet.

Hæc cum ita fierent, nemo tamen quisquam ausus est ex omni apparitorum turba non modo Nicolao obsistere, sed ne in eum quidem uel attollere oculos, Tanta erat moribus auctoritas, gratia, atque maiestas, tantaq; de illius uirtute omnium mortalium existimatio. Rei præterea indignitas illis (ut arbitror) manus & linguam ademerat. Tum tres illi, sanctissimi uiri beneficio in lucem restituti, quanta poterant uoce, cum lachrymis beneficium extollebant, simulq; uniuersus campus, in quem facti misericordia ciuitatem propè omnem conciuerat, in eius laudes resonabat.

Inter hæc præfectus urbis cum aduenisset, ei Nicolaus neque obuiam ire, neque uenientem inspicere passus est. Tum ille siue sceleris sui conscientia, siue pœnæ metu (si Constantinus factum rescicsat) in pœnitentiam uersus, Episcopum benigne congreditur. Ille repulsum seuera increpat uoce, Affirmat hanc se publicam iniuriam non passurum, imploraturumq; non modo ultoris Dei, uerum etiam Constantini iustitiam in eum, qui auro corruptus, magistratum sibi traditum fœde & crudeliter administrasset.

Cumq;

Cumq; illi extrema minaretur supplicia, praefectus uehementius sibi timens, iam non uerbis modo, uerum & lachrymis supplex sibi ueniam postulat, omniq; poenitentiae significatione Nicolaum sibi conciliare studet, In Symonidem & Eudoxium Myrensium principes iniuriç culpam falso transferens. Tum incredibile est, quam ea res charum omnibus hunc uirum reddiderit, ut in eius laudes fusa multitudine, confestim ea res tota Lycia celebraretur.

Sed iam Constantini legati, confecta re, abeundum rati, Nicolai benedictionem efflagitant, pulcherrimum tutissimumq; itineris sui uiaticum. Ea accepta benigne dimissi, proficiscuntur in Phrygiam, ubi cum motus illos sapienter compescuissent, Bizantium ad Imperatorem regressi, honorifice & perhumane excipiuntur. Nouis honoribus atque donis aucti, quippe quorum opera atq; consilio id incendij tute matureq; extinctum esset, Iamq; inter primos Constantino chari, & caeteris omnibus illustres & conspicui habebantur. Caeterum hanc eorum felicitatem non diutius pertulit, laudum semper & gloriae hostis inuidia. Ii enim, quibus erat cum tribus istis de honore contentio, Bizantij prçtorem clam adeunt, conficta in illos crimina afferunt, quod scilicet illi pecunia uicti, in auctores seditionis non animaduertissent, seminaq; eiusce mali reliquissent, breui maius periculum paritura. Caeterum accusationem hanc per se infirmam atque suspectam, grandi pecunia praetori data, communiunt. Praetor corruptus, ad Constantinum omnia defert, comperta se habere horum peccata affirmans. Tum opinionem Imperatoris de legatorum fide & integritate uicit suspitio, quae regum animos facile occupat, ac dominatur. Praetori itaq; ab Imperatore datur potestas, Nepotianum, Vrsum, Herpilionem huius accusationis ignaros, uinculis & custodia cohercendi. Tum praetor se satis accusatoribus fecisse arbitratus, quod illos cohercuisset, pariter intelligens ficta illa contra insontes crimina fuisse, Neq; ad quaestiones, neque ad crimina quouis pacto discutienda accedit. Sic ergo cum aliquantulum aeui effluxisset, ueriti accusatores, ne si uincti inopinato dissoluerentur, periculum patratae fraudis in suam redundaret ceruicem, ad praetorem redeunt, eum perquam multo concitant studio, ut negocium rerum intermissum resumat, efficiatq;, ut illi factorum suorum poenas luant, Neque sibi, neque praetori conducere, ut illi liberati acceptam iniuriam ulciscantur. Praetor & ipse sibi pro auro ab accusatoribus sumpto, metuens ad Imperatorem redit, uultu, gestu, oculis se malae rei nuncium uenire dissimulat. Tum ubi fandi copia data est, legatos, ait, nondum odiũ suũ satis expleuisse, ex his quae contra Imperij maiestatẽ gessissent in Phrygia. A' quibus tantum aberat priorum flagitiorum poenitentia, ut etiam uincti & custoditi, noua non desinant pericula moliri, quibus nisi occurratur, anteq; ueniant, frustra cum uenerint, occursurum.

Cum

Cum itaq; suam fraudē prætor lachrymis contexisset, Imperator uera atq; comperta sibi afferri putans, simulq́; motus tum ira ob illorum ingratitudinem, tum metu sui periculi, mortem reis in crastinum decernit. Erat custos carceris uir tum humanitate præditus, tum ueteri consuetudine cum tribus his legatis coniunctus, quorum calamitatem ægre admodū & molliter semper tulerat. Ad eum igitur cum tristis crastinę cædis nuncius aduenisset, exclamans, Me miserum, inquit, & hominū longe infelicissimum, quem tam funesti ludi spectatorem fortuna delegit: φ noluissem unquam hos carceres conspexisse: φ præstabat, in ultimis terrarū finibus nūc abesse. His uocibus custos omnē cōpleuerat carcerem, neq; largi fletus lamentis deerant. At tres illi, quibus uitæ, factorumq́; innocentia dudum & mortis & pœnæ metum ademerat, ad subitū nuncium consternati, Quæ nos, inquiunt, aduersa fortuna in hoc miseriarū atq; calamitatis impulit? Quę tanta in nos falsa suspitio potuit, ut insontes sceleratorum hominū supplicio damnaremur? Tum amicis, cognatisq́;, qui aderant, frustra imploratis, quandoquidē aiunt, nihil præsidij innocentibus in terris est, Deum ipsum & integritatis nostræ testem, & iniurię atq; necis ultorē inuocamus. Inter hæc dei miseratione effectum est, ut Nepotianus in memoriā Nicolai ueniret, iamq́; uersaret animo, quo pacto ille damnatis Myrensibus succurrisset, Qua ui atq; misericordia eos ab interitu uendicasset. Hæc cum socijs in memoriam reuocasset, Et quid, inquit, spei nostrę saluti superest, nisi ut hunc ipsum innocentiæ nostræ patronum ex animo imploremus, qui pulchre didicit insontes ab omni mortis periculo liberare? Tum & duo reliqui ad orationem lachrymis & mente conuersi, sanctissimi uiri patrociniū inuocant. Exaudiuit aūt eos dominus de excelso sancto suo, & de cœlo in terram aspexit. Audiuitq; gemitus cōpeditorum mirabilis dominus in sancto suo, cuius nō est passus frustra patrocinium implorari. Voluit enim, ut discerent reges, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ, regum regem in cœlis esse, qui non spernat iniurias pauperum, qui soluat iniuste compeditos, & elisos erigat. Noctu enim per quietē Imperatori Nicolaus apparuit ore profecto sicuti uenerando, ita & terribili formidolosoq́;, atq; illi imminens: Surge confestim Imperator, inquit, & Nepotianum, Vrsum, & Herpilionem uinculis & custodia solue: fal so ēm & per inuidiam accusati sunt, & iniuria abs te damnati. Id nisi feceris, intolerabile tibi bellum indico, & fœdam insuper stragē, turpissimumq́; tibi domuiq́; tuæ interitūuerus Dei præco denuncio. Tum Imperator rei nouitate perculsus, miratusq́;(ut sæpe in somnis solet)cum uiri maiestatē & uerba, tum φ intempesta nocte in regiam, regisq; penetrasset cubile: Et quis tu es, inquit, qui hæc mihi denuncias, & minaris? At ille, Nicolaus sum, Myrarū Dei miseratione antistes. Quo dicto, ab eo euanuit. Et Allabio prætori tunc quoq; dormienti sese per uisum offert,

eodem

eodem oris habitu, iisdemque uerbis, quibus Cōstantinū terruerat. Tum Constantinum somni terrore excitatum, secumque tum minas horendas, tum minantis speciem reputantem, pauor non mediocris occupat, idque uisum minime negligendum ducit. Eodem pauore, eademque animi cogitione cum teneretur prætor, ab Imperatore adueniunt nuncij, qui uisa ab eo per quietem accurate exponant. Tum prætor metu adaucto, ad Imperatorem confestim uenit, quæ uidisset, quæque audisset, quantum potest, uerissime explicat. Ita cum singula utriusque somni conuenirent, & uelut ab eodem imperante, quasi signo dato, in utraque cubicula irruptum esset, tandem uisum est, reos ipsos è uinculis accersiri. Qui cum coràm destitissent, rogantur: Num disciplinam magicam didicissent? Cum negarent illi, & studia eorum omnibus manifesta esse contenderent: Rex, num, inquit, de interpretandis aut inducendis somnijs exploratum habetis aliquid? Cum illi negarent, Constantinus se per uim (quandoquidem uoluntarie non licet) ueritatem ab illis extorturum minatur. Illi regis iustitia implorata, neque magicam, neque ullam somniorum disciplinam usquam attigisse affirmant, se à parentibus ab ineunte ætate ita educatos, institutosque, ut nihil didicerint, nisi Imperatorem uenerari, illum colere, illum rebus anteferre omnibus, quas mortalium animus solet concupiscere. Hoc institutum ita constanter, & perpetuo tenuisse, ut nihil nisi pro augenda Imperij maiestate dixerint fecerintue: si secus compertum habuerit, nulla se prorsus misericordia dignos putet. At si nonnihil quandoque tuendi extollendique Romani imperij causa fecerint, si uitam sæpenumero minimi pro illius dignitate æstimarunt: Si data sibi ab eo negocia castè integreque gesserunt, iam non præmia, quibus amplissimis eiuscemodi facinora donari solent, sed fama tantum nomenque ut sibi restituatur suum, supplices postulare. His uerbis cum uultus, gestus, lachrymæ oculis obortæ facerent, cœpit Constantinus de illorum innocentia cogitare, & suæ pœnitere sententiæ, quippe qui Dei iustitiam formidaret, uerereturque, ne si ipse innocentes damnaret, nocens ipse diuino iudicio damnaretur. Iam itaque benignus illos inspicit, benignus alloquitur, ut uultus uerbaque pœnitentiam animi sui facile indicarent. Tum illi paulò fidentius Constantinum intuiti, Nicolai simulachrum continuo uident assidentis Imperatori, & nutu sibi ueniam & misericordiam pollicentis. Tum Nepotianus, & duo reliqui deinceps uehementiore animi exultatione permoti, sublatis in cœlum oculis conclamant, Deus misericors, Deus Nicolai, qui tres innoxios olim Myris ab interitu liberasti, libera innocentes sperantes in te, ne Angelus hic tuus frustra uideatur nostrum patrocinium suscepisse. Miratus hunc sermonem Constantinus, quid sibi hæc uerba uelint, rogat, quiue hic Nicolaus sit, quosue tres ab interitu liberarit? Tum Nepotianus ordine exponit omnia, & quid ipsi Myris uidissent,

& quo pacto in uinculis illius auxilium implorassent, quem pone assidentem conspexerint. Constantinus (ut par erat) miraculo rei commotus, neq; immemor domesticæ clementiæ, ac lenitatis, quam à maioribus acceptam magno ipse semper studio auxerat, utroq; somnio cum istorũ narratione collato, solui confestim tres uinctos iubet, & pristinæ dignitati restitui, atq; ad illos conuersus, abite ad eum, inquit, qui me de fortunis, & capite uestro sollicitus territat dormientem, & gratiam illi reddite, eiq; meo nomine nunciate, quid sui gratia fecerim. Hæc cum dixisset, Euangelium aureis literis proferri iubet, aureumq; thuribulum gemmis, & arte insigne, & duo præterea puro ex auro candelabra, ea omnia imperat, ut Nicolao offerant, quibus inter sacrificandum utatur, suæ pietatis perpetuum monumentum. His alijsq; admirabilibus uiri factis, eo usq; nomen eius diffusum est, ut iam uel remotas orbis terrarum plagas attingeret, essetq; calamitosis & periclitantibus certissima spes, atq; profugium, quibus ille uocatus deesset nunquam. Qua uero misericordia atq; pietate nauigantes olim è faucibus mortis extraxerit, operæpretium arbitror enarrare.

Ferunt enim nautas quosdam horrenda disiectos tempestate, furentiq; pelago propè absortos, Nicolai, quem nunquam uiderant, auxilium inuocasse. Audierant enim, quàm multos sæpe è summis periculis liberasset. Itaque iam non manibus fidere, non clauo, non uiribus ullis, aut arte nauigandi, sed toti in sanctissimi uiri innocentiam proiecti contra procellarum rabiem, hoc quasi tutissimo scuto sese tueri, illum inuocare, illi manus tendere, illi tota mentis cogitatione inniti. Tum hic noster impiger humanarum calamitatum adiutor, inclinante iam naui, & pelagus imbibente, oculis omnium manifestus: Ecce, inquit, adsum, quem inuocatis, opem, si sperabitis, allaturus. In Deo confidite, cuius ego minister adueni, simulq; clauo, cernentibus cunctis, arrepto nauim erigit gubernatq;, inde mare minaciter increpans fluctus confestim, sæuientesq; procellas placat, ut nautæ dicerent, quis est hic, quia mare, & uenti obediunt ei? & ipse Christi promissis fidem faceret, dicentis: Amen dico uobis, qui credit in me, signa quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ita cum procellarum omnis illa superbia resedisset, eisq; placidam reddidisset nauigationem, ex oculis eorum euanuit. At nautæ, ut primum illos optata tellus excepit, Myras, quæ stadia xx. à mare aberant, recta contendunt, saluatoris sui uisendi cupiditate incensi, ubi cum sciscitantes didicissent, beatum hunc in templo cum reliquo clero diuina officia exoluentẽ, templum ipsi anxij petunt. Erat sanctissimus hic noster sacerdotum choro immixtus, nihilq; habebat insigne, quod à cæteris secerneret. In quem simul atq; nautæ oculos coniecerunt, quasi bacchantes per confertam turbam ad illum irrumpunt, prostratiq;: Hic est, inquiũt, hic est, cui uitã planè debemus, hic est,

cuius

cuius ope ab interitu erepti sumus: hic est, qui inuocatus, ut parens misericors laborantibus presto fuit. His uocibus cum in se circumfusos Myrenses cõuertissent, rem omnẽ, ut ab initio gesta fuerat, edixerũt. At Nicolaus ora ingenuo quodã rubore suffusus, Date inquit, gloriã deo filij, ego peccator sum, & seruus ꝑfecto inutilis, ipse est, qui facit mirabilia magna solus. Inde illos seorsum euocatos, cũ placida quadam seueritate admonet, ut post acceptam corporis salutem, animi quoq; salutẽ nõ negligant. Habebat em̃ ex spiritu sancto, quẽ in illũ Deus ubertim effuderat, ut alieni cognosceret cordis arcana. Ex quo nautas istos sciebat peccatis quibusdã & diabolo esse obnoxios: Cognoscite igitur, inquit, cognoscite filij errata uestra, & corda motusq; uestros in tutiorem portũ traducite, deumq; horrendũ iudicẽ formidate. Estis em̃ (ut inquit Paulus) dei templũ: qui uero dei templũ corrupit, ut corrumpat et destruat illũ Dominus, æquũ est. Ego (ut dicitis) uestræ corporalis salutis adiutor, spiritualis nunc periculi nuncius uenio. Et cum post hæc secretiora quædã illorũ peccata ꝑferret, eos iusta admiratione et pœnitentia repletos dimisit. O medicum expetendum, & omnium mortaliũ linguis per sæcula celebrandum, qui cum corpora omni periculo liberaret, animos quoq; sanctificare non neglexisset, ut totum hominem sanum redderet, eius nullam omnino partem incuratam ꝑtermisisset. Quamobrẽ uere putandum est, deum ipsum hoc tantum terrarum cœliq; ornamentũ suis plasmasse digitis, & inter primas suas delitias habuisse, dedisseq; animo illi ꝑfecto cœlesti habitaculũ pari omnium elegantiarũ ornatu preditũ. Sic em̃ inter ueterũ memorias literis Græcis mandatũ inuenimus, beatissimum hunc cœlesti quadam oris & uultus uenustate fuisse, moribusq; senili ac ueneranda grauitate iocundis, & ueluti sanctificationẽ quandam & gratiam ex se spirantibus, in cuius intuitu ea esset uniuersæ honestatis species & exemplum, ut sibi congressos aspectu solo à uitijs ad uirtutem facile reuocaret. Si quem aũt nactus esset ulla animi molestia laborantem, nunquam non abunde consolatum atq; lenitum ab se misisset. Tradunt præterea, ex eius uultu uelut coruscantia fulgura micare solita, faciemq; super humanum eluxisse splendorẽ. Sermo erat admirabili quodam lenocinio & suauitate suffusus, grauis, modestus, & in sententiam facile etiam reluctantes trahens. Compertum enim habemus, multos illum de ueritatis curriculo declinantes, & in hæreticam foueam delapsos, ad catholicæ fidei semitam reuocasse, ut in opere atq; sermone iuste sit habitus efficax.

Hic itaq; tantis preditus ornamentis, sic inter mortales uersatus est, ut cœlo semper, & immortalitate omnium consensu dignissimus uideretur. Qui cum diutius, quasi liliũ intra Myrenses hortos iucundissime redoluisset, & ueluti unguentum fragrans diuinarum uirtutum odorem atq; suauitatem ex se spirasset: tandem dierũ sanctorum plenus, in

uiridem senectutem inducitur. Iamq; cum communi hominum lege litandum esset naturæ, in breuem, eamq; leuem ægritudinem incidit. Ita cum intelligeret, hinc sibi migrandum esse, beatus iste superioris Hierusalem ueteri desyderio flagrans, in hymnos & gratiarum actiones totus diffunditur, omniq; lætitiæ significatione, ualedicto, in coelum, quod sibi apertum cernebat, euolat, longæuam illic & sempiternam acturus uitam, angelorum splendoribus consors, diuinæq; pulchritudinis perpetuus contemplator. At uenerabile corpus, singulare orbis terrarum ornamentum, Episcoporum, uniuersiq; cleri, & populi laudibus, & lachrymis decoratum humatur in templum, quod Myris maximum atq; pulcherrimum ea tempestate fuit.

LVCIA VIRGO ET MARTYR.

Georgij Vuicelij.

SYracusanam patria Luciam, genere nobilem, & bene honesteq; educatam esse tradunt. Quibus in Lucia mundi ornamentis coelestia dona, & hæc quidem egregia, Magni regis gratuito beneficio accesserunt, ut laudaretur eius inexhausta gratię profusio. Hæc igitur cum esset Christianis orta parentibus, & peragendo cultui diuino, iam inde à pueritia assuefacta deditaq;, uisum est Eutychiæ matri uirginis illius nostræ, ut Catanam iter faceret, percelebrem tumbam diuæ Agathæ uisere, nec non, precibus ardentissimis patrē coelestem solicitare. Matrem filia morigera comitatur. Ventum est in templum, peragitur Liturgia, oratur, & iuxta auscultatur, quid uerborum pro more Ecclesiastico lectitaret diaconus. Forte uerò legitur Euangelica historia de Æmorrhoussæ pręstito beneficio. Tum per eam occasionem Lucia ad Eutycham conuersa, Mater, inquit, nihil dubito, te tuo quoq; profluuio liberatum iri, si hisce uerbis Domini, quæ publicitus recitata sunt, ex corde credas, ac fidas. Laborabat enim & matrona illa eodem morbo q; grauissime. Præter uerbi fidem à matre exigebat etiā filia, ut ad memoriam sanctæ Agathæ, manus in coelum tendens, precaretur Deum pro sanitate reddenda. Expectas euentum? Vtraq; pernoctant in delubro illo, prostratæ ad sepulchrum miraculorū ferax prolixe orant, & Agatham reliquosq; cum Christo diuos, ut secum orent, compellant. Inter orandum, ita ut fit, sopore oppressa Lucia, insomniū faustissimum de sananda matre percipit. Et eò profecisse, precationem suam cum fide coniunctam, simul & Agathæ in coelis cooperatricē intercessionem. Verum simulatq; illuxit postera dies, sistitur fons pudendi sanguinis in Eutychia: uoti sui compotes illæ magno cum studio domum repetunt, gratias agentes Deo, cuius bonitati potius, q; suę supplicationi incolumitatem ferebant acceptam. Hinc autem filia audentior facta, liberius posthac cum matre agit, ut quæ diuinitus tanto impetrato beneficio

beneficio, in posterum sit æquior ac remissior futura. Quare ab ea petit præcipuum, ne se posthac nuptiarum mentione grauet, nam nolle se nubere. Atque hoc ueluti præmij loco postulat pro communicata interpellatione Cathanensi. Præterea uelle se, quicquid hæreditate obueniret, dispergere in egenos. Nec enim magnis opibus ei fuerit opus, quæ uitã coelibem agere decreuisset. Coniugium uorax magnopere est, & in erogandis eleemosynis tenax. Mater grauatim assentiens, illud à filia modo postulat, ut se uiua parcat opibus: Ab obitu autem ex animi sententia illas aut asseruet, aut expendat. Hic filia quasi Nuthetico quodã aspe riore matrem ad beneficentiam exhortans (ut erat spiritu superior matre) in hunc modum ait: Heus mater mea, dare tu quidem uis pauperibus iamiam moritura, nunc incolumi uita dare renuis? Qua præpostera largitione eum animum præ te fers, quod nunquam quicquam sis datura, si perpetuò uiuere liceat in hoc sæculo. At uerò quia hinc emigrandum est tibi, dari non uetas: quandoquidem nosti, opes te in alterum sæculũ non comitari. Quæ, obsecro, merces hinc tibi? Quam eo animo inibis gratiam à domino? Proinde si me audis, ô charissima mater, confer coelestia cum mundanis, æterna cum caducis, contemne, atque animo eijce philargyriam, hoc est, amorem pecuniæ, & fac tibi amicos de iniquo mammona, dum uiuis, dumque bene habes, da tua, non aliena manu, da copiose, da candide, nec aberit, quin pater noster coeleste tabernaculum olim tibi redditurus sit. Illiusmodi orationem Lucia matris tenaces manus expugnauit, hucque adegit, ut posthac è domo illa opulenta eulogia pauperum usibus effunderetur. Resciuit hoc adolescens, qui Luciam in uxorem ambierat. Is ut erat sæculo huic deditior, religionẽ nostram nihil morabatur, contemptor tam Euangelij quàm legis Christi. Nulla mora, procurrit frustratus amator (ut qui repulsam coniugij tulerat) ad Paschasium uirum consularem, accusat Luciam Christianismi, flagitij scilicet capitalis. En tibi crucem occasione bonorum operum: quod idem in diuo Laurentio uidere est. Puella non fide tantum, sed factis quoque Christiana, ad impium tribunal accersitur. Fit inquisitio de religione. Affirmatur Christianismus citra dissimulationem. Consul obijcit Imperatorum Decreta, quibus cauebatur, ne quis Christianus fieret. At Lucia non superioris & ordinatæ potestatis, sed impij decreti contemptrix, respondit, ad se nihil pertinere eius generis inhibitiones. Tu, inquit, ô Paschasi, principum tuorum decreta custodi, ipsa Dei mei legẽ custodiam. Metuis tu quidẽ reges & præsides, ego Deum timeo. Offendere non uis homines, & ego offendam Deum? Quinetiam ambis illis placere, & mihi succenses, quod Christo meo placere studeam. Agedum, fac tuo pro libitu, mihi curę erit, ut quod Christianam decuerit, quodque animæ meæ fructuosum fuerit, strenue faciam, uel renitentibus inferorum portis, nedum Romanorũ armis. Paschasius audita uirginis apo

logia, diffidebat se illam in superstitionem gentilium posse retrahere, quandoquidē fortiter responderet, se nullo modo dijs sacrificaturam: simulq́ꝫ docens, quidnam sit uerum sacrificium, ac deo placens: Nimirū uisitare pauperes, & illis in necessitatibus subuenire. Adeoq́ꝫ addiderat, semet nunc offerri uelle, postquàm sua omnia ceu Christianam oblationem in pauperes expendisset. Ira igitur incaluit homo, & conuersus ad conuitia, Luciam impudicitiæ notabat, & quæ hæreditatem suam nequiter prodegisset. Illa mendacij Paschasium arguens, respondit, se patrimonium suum tuto in loco posuisse, nec sibi consciam esse de ulla libidinis macula. Atqꝫ hîc reprehendit paganos, tanquā corruptores mentium, nedum corporum. Peruersa enim illorum cum sit religio, consectaneum est, ut uita eorundem omni scelerum genere operta sit. Pręter hæc iactauit æternitatem uerbi diuini, seq́ꝫ ipsam exhortari ac consolari dictis Euangelicis, pulchrum duxit. Post longam disputationem, uidebatur Paschasio haud abs re fore, si puella uirginitatis soluta zona, cuiuis in libidinē putri prostitueretur: Nam hoc actu futurum, ut amisso casto spiritu, experta probrosa uoluptate, desereret disciplinā nostram, ac ad pristinum errorem licentiamq́ꝫ rediret. Procurat impurus, ut lenonum turpissimorum turba ad Luciam uentitet, illiq́ꝫ quod possunt persuadeant, donec firmum pectus expugnetur. Sed nihil effecerunt foedi. Dein tentatum est alia uia: uerum ne sic quidem processit. Virgo in sententia ac proposito castitatis fixa & immota perdurans, uerba fecit de pudicitia, uidelicet, quæ auferri non queat à quoquam, si animo relucteris: Non, inquit, inquinatur, nisi de cōsensu mentis. Quòd si me inuitam corrumpi præceperis, nihil aliud feceris, q̄ꝫ quòd hic mihi coronam castitatis auctam reddideris. Ecce corpus meum ad omne supplicium paratū habes. Hæc Lucia. Mox igne torquetur, nec tamen assentit uel errori, uel turpitudini. Ferunt inter tormenta uirginis ipsum Paschasium suæ tyrannidis dedisse poenā, ultore Deo. Virgo morti destinata, multa sermocinata fuerat ad populum, admixtis etiā uaticinijs. Efflauit autem animam, transfixo gutture, ubi tamen prius acceperat sacram Eucharistiam. Acta sunt anno Domini CCCX. sæuiente Maximiano & Diocletiano Christicida. Huius rei testis est Her. Cōtractus. Quo loco meminit etiam Viti Modesti, & Crescentiæ in Sicilia, pro Christo trucidatorū. O nympham coelesti throno dignam, dictam à Luce, qui Christus est, Luciam, præ qua gentilis illa Lucina tenebrosa fuerit. Rapha. Volaterranus de Lucia & Lucina sic: Luciæ item duæ martyres, altera uirgo Syracusana, altera Romana uidua iam annis xxxix. unà cum Geminiano, quem à lymphatione liberatum, ad fidem deduxerat: gladio cæsa est sub Diocletiano. Lucina uirgo item Romana diues admodum circa ea ferè tempora Christianos sumptibus iuuabat, martyresq́ꝫ in agro suo sepeliebat. Eius Romæ sepulchrum in templo Sebastiani, &c.

Hæc

Hæc Raph. Habuit eadem nostra Ecclesia olim Lucium uirum Dei, de quo Eusebius Cæsar. in hanc sententiam scribit: Lucius autem quidam Christianus uir, uidens tam temerè datam sententiam, ait ad Vrbitium: Quid quæso causæ est, ꝙ neq; adulterũ, neq; corruptorem, aut homicidam, uel latronem, raptoremq;, aut alterius cuiuslibet facinoris reum, sed tantum pro nomine Christiani, quod hoc se uocabulo confessus est nuncupari, ad mortem duci hominem præcepisti? Non sunt hæc digna pio Imperatore, nec sapientissimo puero filio eius, neq; sacro senatu, quæ agis, ô Vrbici. At ille nihil aliud inquirens, ait ad Lucium: Videris mihi & tu Christianus esse. Cumq; Lucius respondisset: Hoc planè sum: etiã ipsum Vrbicius duci pariter iussit ad mortẽ. Ille: Gratias (inquit) ago, ꝙ me nequissimis dominis absolutũ, ad bonũ & optimũ patrem & regem omniũ Deum remittis.

ODILIA VIRGO.

E Nobili Francorũ seu Gallorum genere natam Odiliam esse perhibent, patre magnate in superiore Burgundia, cui nomẽ Attico, tempore Hilderichi regis, qui inter Francorum reges à Roberto Gang. decimusquartus numeratur, in uenatione cum uxore Vlcide occisus. Hæc ab incunabulis se colendo Deo mancipauit, accepto inter baptizandum peculiari lumine suæ mentis. Nam gratia dei & opus spiritussancti est per filium, ut natura cæci, ad cognitionem rerum diuinarum oculati reddamur, alioqui Adamica illa cæcitas Christum Nazarenum, saluatorem mundi, precium emendis siue liberandis nobis à patre donatum, perspicere fidei oculis haud quaquam potest. Tametsi non incredibile putamus, Odiliam etiam corporeis captã extitisse, & cum Baptismi sacramento uisum accepisse. Nec fidem excedit, eandem immiti patre defuncto precum assiduitate profuisse. Nos potissimum in hac Gallica puella spectamus, ꝙ contempto sæculo, calcatisq; uoluptatibus, se tanta fide Christo obstrinxerit, malens monasticorum degere abiecta, ꝙ aulicorum uiuere splendida. Christi uirgo Odilia rectè iudicauit, diuinæ Maiestati placere castitatem, ieiunia, precationes, eleemosynas, lectiones, præ connubijs, cõmessationibus, obtrectationibus, rapinis, litibus. Studuit facere secundum Euangelium, non credere tantum: abnegans semetipsam, mortificans & crucifigens carnem suam, ambulans spiritu, uirgo sancta tum corpore, tum animo. Iam malorũ annorum iuxta & operum bonorũ plena, decessit in Domino, simulatq; è calice sumpsisset Dominicum corpus & sanguinem. Vt hæc Odilia Monacha, ita alius Odilio Monachus extitit, tempore Othonis Tertij, uir æditis miraculis clarus. De isto legitur: pauperibus cõpatiens manu largissima tribuebat, ut etiam famis tempore sacra uasa & coronas, ab Impera-

Georg. Vuic.

ab Imperatore oblatas Ecclesię distraheret, & pecuniam acceptam erogaret. Hæc Petrus de Natalibus. Anthonius Sabellicus de Odilia lib. ij. Nec minus, inquit, tetrice Odilia corpus afflixit, ursina pelle pro stragulo usa, pro puluino muricoso lapide. Monasterij hęc, quod in Bauaris uisebatur montibus, sacerdos fuit maxima, sed sororum omnium abiectissima & esse & uideri uoluit.

CONCEPTIO MARIÆ.

Ex Baptista Mantuano.


Ed quia longæuam fecit discordia litem
Conceptus ne sacer fuerit, uel sorde paterna
Illitus.
His igitur ne membra malis obnoxia sanctæ
Parthenices essent, ista Pater obstitit arte.
Ante tener sacra foetus quàm uiueret aluo
Conceptus ne prima nouos exordia pullis
Induerent maculis: mens ne syncera nitensque
Communem imbiberet labem, ne pigra liquore
Pectora Lethæo fierent: quæ lactea magno
Pabula & amplexus fuerant latura Tonanti,
Semine confusas sordes & uirus inustum
Dissecuit, foelici anima mox imbuit artus.
Sunt tamen audentes contra sentire, nec illos
Incusamus, habent quo se tueantur, & olim
Ista hominum communis erat sententia: uerum
Iam senio exangui frigens sua robora sensim
Perdit, & amissa iam maiestate recedit
Sponte sua, cæditque nouo Latonia Phoebo.
At quoniam sacræ legis de fontibus hausta
Creditur, ex omni nondum est explosa theatro,
Iudicio nec dum sancti damnata senatus
Qui Vaticani Romana palatia saxi
Et piscosa regunt sulcantem cerula puppem,
Sed prior ut nobis æquum sentire uidetur
Dignior est, & grata magis Nato atque Parenti,
Nam legi assurgens Mariæ decus addit, opusque
Materna dignum attribuit pietate Tonanti
Adde quòd & multis fert adiumenta, fidemque
Roborat infirmam, nam nec uenisse sub aluum
Sorde laborantem tali sublimia coeli
Numina non nulli ingenio præstante putarunt.
Religio maior, pietas animosior istam

Consu-

Consummata fides legumq́ peritia fecit.
Altera uerborum textum & fastigia tantum
Summa uidens, abstrusa Dei mysteria nescit.
Quod si sýderei tanto splendoris honore
Fulget, ut æterno qui temperat ordine mundum
Gestarit gremio, lactauerit ubere, dulci
Strinxerit amplexu, summoq́ uocauit olympo,
Quare illam in nostras opus est detrudere sordes
Et turpi incestare luto? mortalibus æquas
Cui Pater æthereas mentes subiecit & astra?
Scrutandum potius si quæ præconia iungas
Eius ad inuentas per plurima sæcula laudes.
Nulli adeo uiuax animi solertia, nulli
Tam fœlix aderit florentis gloria linguæ,
Vt Mariæ possit laudes æquare loquendo.
Quæ data sunt illi, nunquam mortalibus ullis
Antea concessit: nec post concedit olympus.

Venerabilis presbyter Ecclesię legat Equilini episcopi Petri de Natalibus scriptum de festo Conceptio. Mariæ. Ibi non inueniet à ueritate quicquam dissonum, quod quidem ad disputationis materiam attinet. Alij alijs immoderatius ineptiusq́, non enim dicam absurdius, ea de re pro rostris disserunt. Vellem nos simplicitate & puritate fidei contentos, altiora non uestigare, nec ociosa sectari. Legat item presbyter, si quidem illi libet, Homilias Origenis in Lucam, quæ extant in Merlini Parisiensis æditione. Apud uulgus tacere præstat, quàm eiusmodi mouere Camarinam.

EVLALIA VIRGO.

Hispanica uirgo, à S. Donato presbytero in ciuitate Barcinonensi catechizata, puerilibus etiamdum annis Martyrij palmam cupide assecuta est sub præside Daciano. Caussa mortis erat, Idolorum abominatio. Aiebat se soli Deo, qui in cœlis habitat, sacrificare solere, huiusq́ Vnigenito dedisse fidem. In qua sententia cum firma perstaret, cedens neq́ ad dextram neq́ ad sinistram, multo atrocissimis pariter & creberrimis tormentis, usq́ dum animam redderet, discruciata fuit. Et quod in muliebri ac sanè quàm imbecillo sexu magis mirere, bene locuta est Eulalia (suo uidelicet nomini respondens) in Christo Iesu inter has ipsas laminas, uugulas, fustes, cultros, flagra, haud secus ac si accubaret in uiridario quodam procul à carnificum cruentis & ferinis manibus. O uirtutem Dei ostensam in testaceo uasculo. O turpiter confusam potestatem robustissimi Behemoth. Hispaniæ decus Georg. Vuicel.

haud uulgare, hæc Eulalia, Satanicam tyrannidem deuicit in domino, qui est benedictus in sæcula. Meminit Eulaliæ Her. Contractus, recensens eam inter sanctos Ecclesię homines sub Diocletiano Imper. passos.

AVRELIVS PRVDENTIVS AEDIDIT HYMNVM IN *laudem Eulaliæ uirginis ac Marty. quod ascribere libet.*

GErmine nobilis Eulalia,
Mortis & indole nobilior,
Emeritam sacra uirgo suam
Cuius ab ubere progenita est
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Vrbe potens, populis locuples,
Sed mage sanguine martyrij,
Virgineoq́ʒ potens titulo.
Curriculis tribus atqʒ nouem
Treis hyemes quater attigerat,
Cum crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices
Supplicium sibi dulce rata.
Iam dederat prius indicium
Tendere se patris ad solium,
Nec sua membra dicata thoro
Ipsa crepundia reppulerat,
Ludere nescia pusiola.
Spernere succina, flere rosas,
Fulua monilia respuere,
Ore seuera, modesta gradu,
Moribus & nimium teneris:
Caniciem meditata senum.
Ast ubi se furiata lues
Excitat in famulos domini,
Christicolasq́ʒ cruenta iubet
Thura cremare, iecur pecudis
Mortiferis adolere deis.
Infremuit sacer Eulaliæ
Spiritus, ingenijq́ʒ ferox
Turbida frangere bella parat,
Et rude pectus, anhela Deo
Fœmina prouocat arma uirũ.
Sed pia cura parentis agit
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure & ab urbe procul,
Ne fera sanguinis in pretiu m
Mortis amore puella ruat.
Illa perosa, quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste mouet,
Septaq́ʒ claustra fugax aperit,
Inde per inuia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris,
Per loca senta situ, & uepribus,
Angelico comitata choro,
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium.
Scindere qui tenebrosa potens,
Nocte uiam face perspicua
Præstitit, intereunte Chao.
Non aliter pia uirgo uiam
Nocte sequuta diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica quum fugeret
Et super astra pararet iter.
Illa gradu cita peruigili,
Millia multa prius peragit,
Quam plaga pandat Eoa polũ,
Mane superba tribunal adit,
Fascibus adstat & in medijs.
Vociferans, rogo quis pudor est
Perdere præcipites animas,
Et male prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremq́ʒ negare deum?
Quæritis ô miseranda manus
Christicolûm genus? en ego sum

Dæmonia

Dæmoniacis inimica sacris,
Idola protero sub pedibus,
Pectore & ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus & ipse nihil.
Illa nihil, quia facta manu:
Hic, manuum quia facta colit:
Friuola utraque, & utraque nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, uoueatque suis
Numinis caput ipse suum,
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine pascitur innocuo,
Corporibusque pijs inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet & excruciare fidem.
Ergo age tortor adure, seca,
Diuide membra coacta luto.
Soluere rem fragilem facile est,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait, rape præcipitem
Lictor, & obrue supplicijs,
Sentiat esse deos patrios,
Nec leue principis imperium.
Quàm cuperem tamen, ante necem
Si potis es reuocare tuam
Torua puellula nequitiam,
Respice gaudia quanta metas
Quæ tibi fert genialis honor.
Te lachrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus & thalamo.
Non mouet aurea pompa thori,
Non pietas ueneranda senum,
Quos temeraria debilitas,
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitij.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facibus data fumificis.
Flebiliterque ululanda tuis
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis,
Thuris & exiguum digitis
Tangere uirgo benigna uelis,
Pœna grauis procul abfuerit.
Martyr ad ista nihil, sed enim
Infremit, inque tyranni oculos
Sputa iacit, simulachra dehinc
Dissipat, impositamque molam
Thuribulis pede prosubigit.
Nec mora, carnifices gemini
Iuncea pectora dilacerant,
Et latus ungula uirgineum
Pulsat utrinque, & ad ossa secat
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi domine,
Quàm iuuat hos apices legere,
Qui tua Christe trophæa notãt,
Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Hæc sine fletibus & gemitu
Læta canebat & intrepida,
Dirus abest dolor ex animo,
Membraque picta cruore nouo
Fonte cutem recalente lauant.
Vltima carnificina dehinc
Non laceratio uulnifica,
Crate tenus, nec arata cutis,
Flãma, sed undique lampadibus
In latera, stomachumque furit.
Crinis odorus & in iugulos
Fluxerat, inuolitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia,
Virgineusque lateret honos,
Tegmine uerticis opposito.
Flamma crepans uolat in faciem,

Perq; comas uegetata caput
Occupat, exuperatq; apicem:
Virgo citum cupiens obitum,
Appetit & bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens,
Martyris os niue candidior
Visa relinquere, & astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur,
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ouans,
Templaq; celsa petit uolucer.
Vidit & ipse satelles auem
Fœminæ ab ore meare palam,
Obstupefactus, & attonitus
Prosilit, & sua gesta fugit,
Lictor & ipse fugit pauidus.
Ecce niuem glacialis hyems
Ingerit, & tegit omne forum,
Membra tegit simul Eulaliæ
Axe iacentia sub gelido,
Pallioli uice linteoli.
Cedat amor lachrymantũ hominũ
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat & officium,
Ipsa elementa iubente Deo
Exequias tibi uirgo ferunt.
Nunc locus emerita est tumulo
Clara Colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & uiridante rapax
Gurgite, mœnia pulchra lauat.
Hic ubi marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor,
Et peregrinus, & indigena
Reliquias, cineresq; sacros
Seruat humus ueneranda sinu.
Tecta corusca superrutilant
De laquearibus aureolis,
Saxaq; cæsa solum uariant
Floribus ut rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas uiolas,
Sanguineosq; crocos metite,
Non caret his genialis hyems,
Laxat & arua tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos.
Ista comantibus è folijs
Munera uirgo, puerq; date,
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.
Sic uenerarier ossa libet,
Illa Dei sita sub pedibus
Ossibus altar & impositum,
Prospicit hæc, populosq; suos
Carmine propitiata fouet.

NICASIVS ET EVTROPIA.

Georg. Vuicel.

FRater & soror Nicasius & Eutropia Galli natione, Christi Euangelio toti addicti, quæsierunt Regnum Dei atque iustitiam eius, & ambulauerunt in uia domini irreprehensibiles. Erat autem Nicasius episcopus Remensis, tempore Vandalicæ persecutionis, Auiano Aureliæ agente episcopum. Atq; ô lamentabiles Ecclesiæ casus. Non sat erat ipsos olim Romani orbis Imperatores, in Christianorum capita iuratos hostes multipliciter sæuire, nisi exteros etiam Scythas, quibus nihil inhumanius, aduersus Ecclesiam suscitaret armareq; Diabolus ueterator ille millies execrandus. Pax nostris erat à domesticis

mesticis persecutoribus, utpote Cæsaribus iam Ecclesiæ filijs factis, & ecce adest Ate noua, imo multo exitiabilior Tisiphone ab ipsis inferis immissa, ne uidelicet infelici Ecclesiæ ulla tranquillitas afforet, usq; adeo nimirũ irato Satana, & ulciscente, quod à se suoq; tenebrarum regno, baptismatis obstricti sacramento defecerimus. Porro hæc Vandalica persecutio ut non prima, ita nec ultima fuit. Primum omnium Gothi, ex ipso opinor Acherontis lacu prodeuntes, late uagantes Europam Christianam truculentis armis inuaserunt. Sic scribit Eusebius. Per idem tempus, nempe Valentiniani Augusti, in orientis regno Gothorum gens sedibus suis pulsa, per omnes se Thracias infudit, armisq; urbes & agros uastare feraliter cœpit. Astipulatur Eusebio Nicephorus Monachus græcus, qui de Hypogothis etiam scribit: item de Alanis, quorum Paulus quoq; Diaconus meminit. Hos Barbaros una cum Sarmatis antea bello superarat Constantinus Mag. Sed Valens Impe. postea, inualescenti Gothorum exercitui non potuit æque obsistere, imo ab his uictus, misere perijt: nec illi quicq; profuit, quod Gothica gens Arianismo consenserat, cuius sectæ propugnator Valens Imperator, Ecclesiam catholicam hostiliter adflixit. Putabat bene secum actum esse Valens, ubi missis prædicatoribus sui Euangelij, Gothorum exercitus deceperat, inq; Arij sectam traxerat, idq; cõsulente Eudoxio, qui aiebat: Communio unius dogmatis, firmiorem faciet pacem. Eo tempore præfuit bello Atalaricus rex Gothorum, iuxta Historiam Tripart. quem tyrannum Paulus Diaconus Athanaricum uocat. Defuncto Valente creuit Gothorum rabies in Italia, ducibus Alarico Valamero (de quo apud Bedam) Theoderico, Ataulpho, Radagaiso, Totila &c. Contra uero strenue pugnatum est ab Imperat. Roman. Valentiniano Valentis filio, Gratiano, Theodosio, Arcadio, Honorio, Iustiniano, Martiano, & sæpenumero de Barbaris illis reportata uictoria. Interim exurgũt Hunni, post Belam, duce Attila, qui se Terrorem orbis & Virgam Dei appellabat. Is secundum Chronicum Vngaricum, quinquies centena milia militum duxit in Europam, unde Gothos fudit expulitue, ut ipse Romano Imperio solus dominaretur: erat enim impatiens consortis regni. Circa idem tempus irruerunt etiam Vandali, duce Genserico & Helderico, qui adiunctis Alanorũ copijs, per Gallias ac Hispanias maximo omnium terrore grassati sunt, domitores & uictores Christianorum populorum. Accessit huic malo, quod Gensericus Ariana iam doctrina infectus, Catholicos immaniter trucidauit, idq; in Aphrica, quo tempore locoue S. Augustinus uixit. Tum capta fuit à Genserico Carthago, qui idem Siciliam adflixit: Quinetiã Hunni Thraciam & Illyricum uastarũt in ijsdem Ecclesiæ procellis. Athanaricus rex Gothorum, referente Paulo Diacono, Christianos in sua gente crudelissime persequebat, adq; coronam Martyrij sublimauit. Præterea Vandali, regnante Thra-

te Thrasimundo, catholicas ecclesias clausit, & ccxx. Episcopos in Sardiniam deportauit exilio multandos. Horrenda mala narro: Romanã urbem à Gothis antea captã, Hunni quoq; expugnarũt et diripuerunt. Mox denuo Gothi, regnante Totila. Quid ea tẽpestate rebus Christianis potuit funestius accidere? Nihil tum cõtemptius, nihil abiectius Ecclesia, nihil abominabilius catholicismo. Verũ ubi Deo iudicanti uisum fuit, cessauit illa uastatio. Missi enim fuerunt duo uexilliferi à Roma. Imperatore, Narses scilicet & Bilisarius, qui forti manu Getas illos expulerunt tam Aphrica q̃ Europa, terrasq; fœda barbarie purgatas Imperio Roma. restituerũt. Multo post deleuerat reliquias Hunnicæ gentis Carolus Magnus, teste Donato. Attamen totum Scythicæ huius familiæ seminariũ usq; in hunc diem extinctum haudquaquam est, siquidem Hunni Hungariam seu Pannoniam obtinuerũt, ibiq; fixerunt stabilem sedem, & Gothi Gothiam ad latus Daciæ, & Vandali Vandaliam seu Lusatiam. Nec non æterno Marte celebres Alani alicubi gentium existunt. Durauit ista per Europam & Aphricam Ecclesiæ perpetuis lachrymis deflenda calamitas CC. amplius annis. Sed quia calamitatem calamitas comitari solet, en Italiæ aut potius Romano Imperio aliud ex alio malum. Non enim ita magno temporis interuallo post, mouent arma aduersa Longobardi, & de integro Italicas Gallicasq; urbes depopulantur, duce Alboino. Huic populo è Scandinia oriundo successit nihil non ex sententia uicta Italia regnarunt aliquot annis: dehinc Italicæ regionis partem nacti, quæ ab his Longobardiæ nomen trahit, quieti mansitarunt. Ais: Quando tandem pax Imperio? Tum'ne, uidelicet prostratis Scythis & Longobardis suum in nidum coactis? Heu minime. Nam post Gothos, Hunnos, Vandalos, & nunc etiam Longobardos sub Iustino & Tyberio, fatali quadam infelicitate Persæ contra Romanum Imperium excitant, nempe regnantibus Phoca & Heraclio. Tum enim temporis elato animo Cosdra rex Persarum orientem, Romanis tributarium, crudelissime debellat, capta Hierosolyma, & expugnatis ciuitatibus plęrisq; Iudæę in Imperij ludibriũ triumphat: hostis religionis nostræ summus. Sed Heraclius, per Deum uiuum ac uerum potentior, Persicam beluam repressit. Sub eosdem annos exoritur extrema mundi pernicies Arabs Mahumeta. Prætereo in Hungaris ueterem Hunnorum rabiem ueluti renouatam. Etenim imperante Ludouico vij. Arnolphi filio et Kunrado, Hungari iunctis armis socialibus, fortasse ad ultionem de Carolo capiendam, Italiam subegerunt. Quin & Germaniam nostram ingressi, multas ciuitates expugnarunt, ac omnia passim sanguinolentis cladibus implerunt. Multis post annis compressit illorum ferociam, cæsis aliquot milibus, rex Otto, mox Imperator. Cæterum istæ calamitates Christianismi iam olim destiterunt, Mahometica noxa hoc etiam die perseuerat, in nocẽdo pertinacissima. Equidẽ primo tempore

quum

quum Arabes desciuissent hortatore simul & antesignano Mahometa à Romano Imper. ac plærique Cæsares, præcipue Tyberius, Absimarus & Anastasius Artemius huius defectionis causa iusta bella gereret aduersum illos, inflammati hinc atque concitati fuerunt Saraceni, ita ut frequenter irruptionem facerent in Italiam, seseque de Romanis uindicarent. Atque ista discordiæ acerbitas quotidie in maius euasit. Profecto nostra ætate experimur isthuc, ut historiarum lectione opus non admodum sit. Nunc ipsi, inquam, sentimus, quod sæculis prioribus factitatum esse legimus. Ecclesia tot retro annis à Scythico populo uexata, nunc compluribus etiam sæculis à longe immanissimis feris, quos Turcas uocant, ultra omnem modum molestatur. Gothorum, Hunnorum, Vandalorum & Longobardorum usurpata potestas, finem accepit in Europa ac Aphrica: at Saracenorum tyrannis in omnes horas augescit, non habitura finem, hoc quidem rerum statu. Est hæc Antichristi tyrannis, & Draconis rabies, qua tot milia Christianorũ hodie miserrime pereunt. Huiusmodi obiter percurrimus, dum, quænam fuerit Vandalica persecutio aduersum Nicasium, presbyteris rudioribus subindicare uoluimus, alioqui ferè extra institutum. Tametsi ea historiarum repetitione palam fit, quàm infinita sanctorum milia, non solum Nicasius cum sua Eutropia, in Scythicis istis cædibus interempti fuerint, quorum nomina licet nos lateant, uolumus tamen & illorũ quotquot sunt, memoriã in Nicasij ferijs renouatã celebrari. Vnus Nicasius in Vandalorũ furore occisus, repræsentat nobis multas myriades ueterum Christianorũ in istis barbarorum impressionibus partim trucidatorum, partim spoliatorum exilioque damnatorum. Celebramus quoque in Nicasio & Eutropia omnes fratres sororesque nostras in Christo, quotquot Turca trux tyrannus ardens oculis, animoque fremens tam præteritis quàm nostris annis, in Græcia, in Italia, in Pannonia, uelut oues mactauit. Vincit hæc Turchica immanitas Gothicam: hæc sæuitia superat Hunnicam, hæc crudelitas antecellit Vandalicam. Incidimus eheu nos in longe deteriora tempora, atque illa fuerunt, quæ nobis Chronographi de ueterum Romanorũ atque Aphricanorum ærumnis in scriptis reliquerũt. Scythæ loris, Turcæ scorpionibus cædunt Ecclesiam. Antiochus olim ad Soleimannum collatus, columba uideri possit. Siculi tyranni, & qui Athenis ui damnabantur, tantum non amici fuerint, si hos Saracenos, inimicos tales, aspicias. Quis strages, quas ædidit homo ille perditionis, quis funera fando explicet? Nicasius uerum agens pastorem, irruentibus immani ira comitatis homicidis pro populi salute solicite orans, gladiorum ictus fortiter excepit, sicque in confessione S. Euangelij mortem obijt. Eadem fide & exemplo ciues occubuerũt, Pretiosa mors in conspectu Domini. Accidit res admiranda, Remenses à Vandalis iugulati, uicerunt. Atque inde nomen Nicasius habet. Sit benedictus Deus.

Sabbat

SABBAS ABBAS PALÆSTINÆ.

Georg. Vuicel.

PAtria Cappadox, Christianis parentibus Sabbas, cuius nomẽ in Græcorum quoq; Ephimeride legitur. Is patre in militiam proficiscente: siquidẽ isthuc iubebat Imperator Theodosius; proripuit se in Monasterium, partim ut in eo, quippe loco semotiore, à seculari strepitu tranquillius Deo seruiret, uitæ innocentia, precibus, ieiunijs, meditationibus, Psalmodijs, partim ut commodius pijs utriusq; Testamenti literis operam daret. Quæ duo Monachũ Christianum decent, nimirũ Deo & studijs uacare. Extra illum binariũ Monachus nihil aliud est, q̃ telluris inutile pondus. Monachus mundo familiaris, Deo odibilis est. Monachus prauis cupiditatibus indulgens à caupone nihil differt. Non cucullus, sed uirtus facit Monachũ. Sub cucullo hypocrisis latere potest, in bona mente non potest. Eò processit sanctimoniæ Sabbas, ut per eum miracula quædam ederet omnipotens. Diabolum uicit uarijs modis, tanta ualebat uirtute dei. Vitam beatus uir in Palæstina consumpsit, ubi in domino obdormiuit, Hierosolymis sepultus. Rapha. Volaterranus de Sabba illo ita commemorat, lib. xix. Sabbas abbas imperante Theodosio è Cappadocia uenit Hierosolymam, ubi usq; ad extremum uixit, paruo sibi ædificato tugurio, quotidie loca religiosa lustrando. Eius deinde reliquiæ Venetias translatæ.

IGNATIVS EPISC. ET MARTYR.

Ex D. Hieronymo.

IGnatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commouente persecutionem Traiano, damnatus ad bestias, Romam uinctus mittitur. Cumq; nauigãs Smyrnam uenisset, ubi Polycarpus auditor Ioannis Episcopus erat, scripsit unam Epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos: & inde egrediens scripsit ad Philadelpheos, & ad Smyrnæos, & proprie ad Polycarpum, cõmendans illi Antiochensem Ecclesiam: in qua & de Euangelio, q̃d nuper à me translatum est, super persona Christi ponit testimonium, dicens: Ego uerò & post resurrectionem in carne eum uidi, & credo quia sit. Et quando uenit ad Petrum, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce, palpate me, & uidete, quia non sum dæmonium corporale. Et statim tetigerũt eum, & crediderunt. Dignum aũt uidetur, quia tanti uiri fecimus mentionem, & de Epistola eius, quam ad Romanos scribit, pauca ponere. De Syria usq; ad Romam pugno ad bestias in mari & in terra, nocte dieq;, ligatus cum decem leopardis, hoc est militibus, qui me custodiũt: quibus & cum benefeceris, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum, mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestijs, quæ

mihi sunt

mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi ueloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendũ me, ne sicut & aliorum martyrũ non audeant corpus attingere. Quòd si uenire noluerint, ego uim faciam, ut deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ uidentur, desyderans, ut Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestię, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli, in me ueniant, tantũ ut Christo fruar. Cumq́ꝫ iam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, cum rugientes audiret leones, ait: Frumentũ Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniar. Passus est anno undecimo Traiani. Reliquiæ corporis eius Antiochiæ iacent extra portam Daphniticam in cœmiterio. De eodem S. Ignatio lege presbyter Eusebium, Hist. Eccle. lib. iij. cap. xxxvij.

DE EODEM S. IGNATIO.

Ex Baptista Mantuano.

PAstor in Antiochi celebres Ignacius agros
Venerat, & sacros Petri sortitus honores,
Sancta per Assyrios pascebat ouilia campos:
Iste super mira nascentis origine Christi,
Et teneri studijs æui, uitæq́ꝫ prioris
Moribus ad matrem dedit, accepitq́ꝫ tabellas.
His adeo incaluit patriæ cœlestis amore,
Obuius ut fatis ultro progressus in ipsos
Se tulerit Traiani enses, & in ora leonum.
Quin & defuncti scrutatus colla satelles,
Auratis inscripta notis inuenit Iesu
Nomina: sic grauibus dictis, suasuq́ꝫ potenti
Intima discipuli penetrarat pectora uirgo.
Ac si quis Partho missurus spicula cornu,
Cuspidis æratæ trahat, impellatq́ꝫ sagittam.

S. DAMASVS. EPISC. ROM.

DAmasus natione Hispanus, patre Antonio, Iuliani temporibus fuit, uiri certe egregij, si domi, si foris eius ingeniũ respicis. Nam & Eubolo sophista & Libanio philosopho pręceptoribus usus, liberalibus disciplinis ita erat imbutus, tũ Græce, tũ Latine, ut cuiuis optimo principi cõparari posset. Multę erat memorię, ingẽtis facundiæ, in amicos liberalis, ꝓuincialibus iustissimus, gloriæ cupidus. Verum hæc omnia ad extremũ euertit, dum Christianos persequitur. Callidior tamen cæteris persecutor non ui, neq́ꝫ tormentis primo, sed (Ex Platina.)

præmijs,honoribus,blanditijs,perſuaſionibus maiorē ferè populi partem,quàm ſi atrocior fuiſſet,elicuit. Vetuit autem, ne Chriſtiani autorū gentiliū ſtudia adirent, néue ſcholę, niſi his qui deos deasq́ʒ uenerarentur,paterent. Vni tamen pro hæreſio uiro doctiſſimo conceſſum eſt, ut Chriſtianos publice doceret, quam gratiam ipſe indignatus cõtempſit. Militare cingulum dari niſi gentibus uetuit. Statuit præterea procurationes prouinciarum iuriſq́ʒ dictionē Chriſtianis non debere permitti, quippe quibus lex ipſa Chriſtiana proprio uti gladio uetat. Athanaſiū tamen aperte oppugnat,atqʒ in exiliū mittit,à magis, ab auguribus inſtigatus,quorum artibus maxime delectabatur, ꝙ dicerent, Athanaſium obſtare, quo minus eorū artes in pretio eſſent. Cum Daphnius quoqʒ in ſuburbano Antiochiæ iuxta fontem Caſtalium litaret Apollini, & nulla ex his quæ quærebantur reſponſa ſuſciperet, cauſaſq́ʒ ſilentij percontaretur à ſacerdotibus, Dæmones aiunt ſepulchrum Babyllæ martyris propè aſtare, & ideo reſponſa non reddi. Tum Iulianus Galilæis imperat,(hoc enim nomine Chriſtianos appellabat) ut ſepulchrū martyris inde auferant.Qui dum ſepulchrum mira exultatione traherent, dicentes: Confundantur omnes,qui adorant ſculptilia,& qui gloriantur in ſimulacris ſuis: ita iram Iuliani principis concitarunt, ut multos præter inſtitutum ſuum interfici iuſſerit. Miror ego illud à Iuliano factum, cum diaboli artes iam uanas eſſe cognoſceret. Semel enim magū quendam in ſpeluncam ſecutus,cum uoces dæmonum perhorreſceret, ſigno crucis uſus eſt, quo fugati ſunt dæmones. Cum uerò Iulianus diceret, ſigno crucis aliquid mirum ineſſe, reſpondit magus, dæmones etiam genus illud ſupplicij formidare. Hanc ob rem Iulianus pertinacior ꝙ̃ antea factus eſt, adeo uanitati magicæ deditus erat, licet prius Chriſtianam religionem ſimulato animo amplexus fuiſſet,ut Conſtantij odium uitaret,legiſſetq́ʒ publice diuinos codices, ac baſilicā nomine martyrum ædificaſſet. Præterea uerò idem Imperator, quo noſtris ſtomachum faceret,Iudæis templum Hieroſolymitanum reſtituit,cum dicerent,ſe alibi ſacrificare non poſſe. Qui certe tanta arrogantia elati ſunt, ut maiore impenſa ꝙ̃ antea, reſtituere templum conarentur. Verum non ita multo pòſt terræmotu templū corruens, & multos Iudęos ſimul oppreſſit, & illud approbatum eſt, lapidem ſupra lapidem poni non debere. Sequenti autem die incendio diuinitus immiſſo, & ferramenta ipſa cõſumpta ſunt,& eo miraculo multi Iudæi perterriti ad fidem Chriſti uenēre. In Perſas uero proficiſcens Iulianus, quos intellexerat res nouas moliri in reditu ſuo, malam quidem rem Chriſtianis minatur. Cum autem ſuperatis hoſtibus incõpoſito agmine uictor rediret,apud Cteſiphontem confoſſus perijt. A' ſuis,an ab hoſtibus id factum ſit,incertū eſt:quanq́ʒ ſunt, qui ſcribant, ſagitta ex incerto miſſa transfixum fuiſſe, eundemq́ʒ exclamaſſe manu ad cœlum extenſa, Viciſti Galilæe, uiciſti: nam Chri-

ſtum

stum Galilæum appellabat, & fabri filium: unde illud adoscentis in Libanium sophistam, interrogantem, quid ageret fabri filius, Iuliano, inquit, locellum componit: nam paulo post eius cadauer locello auectum est. Sunt etiam, qui scribant, hunc antea clericum fuisse, ac postea à fide nostra defecisse, unde hominẽ apostatam uocant. Perijt autem post annum & octo Imperij sui menses: anno uero ætatis secundo & trigesimo. Huic deinde succedit Iouinianus, qui ab exercitu Imperator electus, nõ prius profiteri Imperatoris nomen uoluit, quàm omnes conclamarent, se Christianos esse. Quibus collaudatis, & imperium suscepit, & exercitum è manibus Barbarorum liberauit, Nisibi ac magna Mesopotamiæ parte Sapori regi Persarum relicta. Hic autem octauo imperij sui mense cruditate stomachi, siue tetro odore prunarum moritur. Damasus autem electus ad Pontificatum obeundum Vrsicinum diaconum competitorem habuit in basilica, quæ Sicinini appellatur, ubi multi utrinq; cecidere in ipso templo, cum res non suffragijs tantum, sed ui & armis tractaretur. Verum non ita multo post, sacerdotum ac populi consensu Damasus Episcopus confirmatur, & Vrsicinus ad Neapolitanam Ecclesiam traducitur. Damasus autem adulterij accusatus publico Concilio causam dixit: ubi & innocens absoluitur, & Concordius atq; Calistus diaconi falsi accusatores damnati ac reiecti ab Ecclesia sunt. Cautumq; lege est, ut deinceps pœnam talionis subeant, qui aliquem falsò accusauerint. Pacata tandem Ecclesia, Damasus ocio literario delectatus, uitas Pontificũ omnium, qui ante se fuere, conscripsit, easq; ad Hieronymum misit. Non destitit tamen & templa & cultum diuinum augere. Duas enim basilicas ædificauit: unam iuxta theatrum, alteram uia Ardeatina ad catechumbas. Dedicauit & Platoniam, ubi corpora Petri & Pauli aliquando iacuerant. Versibus quoq; elegantibus sanctorũ corpora eò loci sepulta exornauit ad memoriam posteritatis. Præterea uerò basilicam, quam ipse in honorem diui Laurentij non longe à theatro Pompeiano condiderat, maximis muneribus ornauit, patena argentea librarum uiginti, ama argentea librarum quindecim, scypho argenteo anaglypho librarum decem, calicibus argenteis quinque, coronis argenteis. V. domos quoq; circa basilicam positas dono dedit: fundum etiam Papyrianum agri ferentinatis: fundum Antonianum, balnea nõ longe à templo posita: ut Psalmi quoq; alternis uicibus in Ecclesia canerentur, in fineq; eorum uerba hæc ponerentur, Gloria patri & filio & spiritui sancto, instituit. Primus etiã Hieronymi scriptis autoritatẽ dedit, cum prius LXX. interpretũ scripta tantummodo in pretio essent. Nam & Biblia Hieronymi legi cœpta est, et Psalmi eiusdem fideliter ex Hebraico traducti, cum antea apud Gallos potissimum incomposite legerentur. Mandauit item, ut in principio celebrationis (quam Missam uocant) confessio diceretur, ut hodie fit. Idem uerò Damasus, ubi ex sa-

cris ordinibus quinquies habitis, presbyteros unũ & XXX. diaconos XI. Episcopos, II. & LX. creasset, moritur, ac sepelitur uia Ardeatina cum matre & sorore in basilica à se cõdita, tertio Idus Decembris. Sedit annos XIX. menses III. dies XI.

S. THOMAS APOSTOLVS.

Ex Eusebio. DE hoc Eusebius in hunc modum: Denique post resurrectionem atque ascensionem Domini ad coelos, Thomas Apostolus ex commonitione diuina Thattæum quendam, unum ex septuaginta discipulis, ad Edissenam ciuitatem Euangelistam & prædicatorem uerbi dei emittit, simul & quæ à domino promissa fuerant, impleturum. Idem lib. iij. cap. j. ait: Thomas (sicut nobis traditum est) sortitus est Parthos, Matthæus Æthiopiam, &c. Idem lib. xj. cap. v. sic scribit: Edessa Mesopotamiæ urbs fidelium populorum, Thomę Apostoli reliquijs decorata, &c. De S. Thoma Hieronymus sic: Thomas Apostolus, quemadmodum traditum est nobis, Parthis & Medis & Persis, & Germanis, & Hircanis, & Bactris, & Magis prædicauit Euangelium Domini. Dormiuit in ciuitate Calamina, quæ est Indiæ.

Libuit præterea huc attexere nonnihil ex sacro Sedulij poëmate, Ioan. xx.

Ex Sedulio.

CVm foribus clausis resideret turba fidelis,
Pace salutantis sese intulit, atque foratas
Expediens palmas, nudat latus. Ast ubi Thomas,
Cui Didymus cognomen erat, cum fratribus una
Non fuerat, dubioque fidem sub corde gerebat,
Donec rursus eò pariter residente ueniret,
Qui nunquam subtractus erat, tunc limine clauso,
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulis monstrare latus, tactuque probari
Vulneris, & mentem patienter ferre labantis.
Agnitus hinc potius quod sit dubitantis amicus.
Quisquis enim artifices cæca sub imagine fraudes
Instruit, & uarias cupit exercere figuras,
Non uult agnosci, non uult sua facta requiri,
Vt lateant sub nube doli, nebulaque recludens
Omnia, sollicitos odit simulator amicos.

Natalis

NATALIS DOMINICVS.



VA gratia, uel quibus laudibus hunc diem Natalis Domini prædicemus, prorsus ignoro. In tanta enim festiuitate ad magnificandum Deum humana loquela non sufficit. Nam si tunc cum nascebatur Christus, angelorũ uoce laudatus est, nũc humana laudandus est uoce, cum regnat. Supergreditur enim illius temporis festiuitatem nostra solennitas. Siquidem tunc stupuerunt illi tantum nascentem Dominũ, nos illum suspicimus nascentem, resurgentem pariter & regnantem. Tanto igitur facundior laudatio esse debet humani temporis, quanto sunt maiora miracula. Sed quoniam dignam prædicationem exhibere non potest humana fragilitas, ad angelorũ nos præconia conferamus. Et quia merito eos æquiparare non possumus, deuotione comitemur: hoc est, in ea festiuitate eadem qua illi lætitia, nos sententia persultemus, dicentes: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Digna plane & iusta sententia, quæ in natiuitate Christi, & Deo honorem repræsentat in cœlis, & hominibus pacem præsentat in terris. Ante saluatoris enim ortum nec cœlestia reuerentiã deferebant, nec terrena requiem possidebant. Sed uidete quid dicat ipsa sententia: pax in hominibus bonæ uoluntatis. Non in quibuscunque hominibus, sed bonæ uoluntatis hominibus, ut intelligas pacem Christi non debiti esse, sed meriti. Non enim eam meriti angeli in ea nocte, qua pastores nascentem dominum super gregem suum uigilias obseruantes primi præ omnibus didicerunt. Ipsi enim primi ortum Saluatoris ante omnes homines intimantibus angelis cognouerunt. Vnde mirum est, quod prius redemptionẽ sæculi potuerint scire, quàm principes. Non enim angeli annũciarant regibus, non iudicibus, sed hominibus rusticanis. Non ergo iam mirandum est, si Christi gratiam ante scire meruerit innocentia, quàm potestas, & prius cognoscere ueritatem simplex rusticatio, quàm superba dominatio. Quod enim cognouerunt pastores, principes cognoscere nequiuerũt. Vnde & beatus Apostolus ait: Quam nemo principum sæculi huius cognouit: & reliqua. Ergo in natiuitate Domini angeli pariter cum pastoribus sunt lætati. Excelsam uerò dicentes gloriam. Nam uicinis quodam modo & cunctis choris Dei gloriam prædicauerunt. Vnde & credo eosdem angelos in eiusdem Domini eadem festiuitate, simili nobiscum lætitiæ uicinitate gaudere. Nam qui solent propter Christi ortum alloqui pastores, nõ possunt propter eiusdem Christi gaudium non inquirere sacerdotes. Siquidem & quod tunc ad illos super gregem suum uigilias obseruantes, nocte intempesta locuti sunt, huius temporis mysterium designabant. Nam illo facto, hoc utique monstrabatur, gregem populũ, noctem sæculum, sacerdotes esse pastores, qui iugi super plebem sollicitudine

Ex S. Ambrosio.

dine uigilantes propter Christum ab angelis minime deseruntur. Hodierna igitur die secundum carnem natus est dominus, ita secreto, ita silentio, ut ortum eius sæculum penitus ignoraret. Ignorauit enim sæculum, quia & extra conscientiam patris natus, & extra ordinem naturæ conceptus. Nam Ioseph conceptum suscepit filium, quem non genuit: Maria partum ædidit, quem sexus consuetudine non creauit. Sic igitur natus est Dominus, ut ortum eius nemo futurū suspicaretur, nemo crederet, nemo sentiret. Quemadmodū crederēt hoc futurū, quod postea ꝗ factum est, factum esse uix credunt? Nam quod ita latenter & secreto saluator descensurus esset in uirginem, iam antè Dauid propheta testatus est, dicens: Descendet sicut pluuia in uellus. Quid enim tam silenter & sine strepitu fit, ꝗ cum imber in lanæ uellus infunditur? Nullius aures sono uerberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit: sed sine inquietudine hominū totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, unius meatus scissurā nesciens, solida mollitie plures præbens meatus, & quod clausum uidetur per densitatem, est patulū per tenuitatē. Rectè ergo Maria uelleri comparatur, quę ita concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore: nec eius discissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obsequiū, solida ad sanctimoniam. Recte inquam, Maria uelleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis uestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius agnus egressus est, qui et ipse matris lanicium, hoc est, carnem gestans, molli uellere cunctorum operit uulnera populorū. Omne ẽm peccati uulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine: & ut sanitatem recipiat, Christi indumento uestitur.

IN PRAECONIVM EIVSDEM NATALIS *summi ac maximi.*

Ex Sedulio.

A Solis ortus cardine
Ad usq; terræ limitem
Christum canamus principem
Natum Maria uirgine.
Beatus author sæculi
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberans
Ne perderet quos condidit.
Castæ parentis uiscera
Cœlestis intrat gratia,
Venter puellæ baiulat
Secreta, quæ non nouerat.
Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei,
Intacta nesciens uirum,
Verbo concepit filium.
Enixa est puerpera,
Quem Gabriel prædixerat,
Quem matris aluo gestiens
Clausus Ioannes senserat.
Fœno iacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Paruoq; lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.
Gaudet chorus cœlestium,
Et angeli canunt deo.
Palamq; fit pastoribus
Pastor creator omnium.
Hostis Herodes impie,
Christum uenire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Ibant

Ibant magi quam uiderant
Stellam sequentes præuiam,
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Katerua matrum personat,
Conlisa deflens pignora,
Quorum tyrannus millia
Christo sacrauit uictimam.
Lauacra puri gurgitis
Cœlestis agnus attigit,
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo sustulit.
Miraculis dedit fidem,
Habere se deum patrem,
Infirma sanans corpora,
Resuscitans cadauera.
Nouum genus potentiæ,
Aquæ rubescunt hydriæ,
Vinumq; iussa fundere,
Mutauit unda originem.
Orat salutem seruulo
Flexus genu Centurio,
Credentis ardor plurimus
Extinxit ignes febrium.
Petrus per undas ambulat,
Christi leuatus dextera.
Natura quam negauerat
Fides parauit semitam.
Quarta die iam fœtidus
Vitam recepit Lazarus,
Cunctisq; liber uinculis
Factus superstes est sibi.
Riuos cruoris horridi
Contacta uestis obstruit
Fletu rigante supplicis
Arent fluenta sanguinis.
Solutus omni corpore
Iussus repente surgere,
Suis uicissim gressibus
Aeger uehebat lectulum.
Tunc ille Iudas carnifex
Ausus magistrum tradere,
Pacem ferebat osculo,
Quam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,
Pium flagellat impius,
Crucicq; fixus innocens
Coniungitur latronibus.
Xeromyrrham post sabbatum
Quædam uehebant corpori,
Quas allocutus angelus,
Viuum sepulchro non tegi.
Ymnis uenite dulcibus,
Omnes canamus subditum
Christi triumpho Tartarum,
Qui nos redemit uenditus.
Zelum Draconis inuidi,
Et os leonis pessimi
Calcauit unicus dei,
Seseq; cœlis reddidit.

ALIVD IN EVNDEM NATALEM.

Ex Baptista Mantuano.

AVgustus rerum dominus regna, oppida, & ipsos
Indigenas redigi in scriptis mandarat: & ibant
Cæsareis omnes censum nomenq; daturi
Præsidibus: ueterem patriam Dauidis Ioseph:
Cum consorte graui Bethlemica regna petebat.
Iamq; suburbanas ædes intrarat, & urbem
Turba frequens complebat: erant plena omnia multo
Hospite, & ingenti strepitu, plenæq; sonabant
Confuso clamore domus, promiscua uulgi
Congeries atra sub apertis nocte iacebant
Porticibus, nulloq; tegi uagus aduena tecto
Iam poterat, &c.
At tulerat medio nox alta silentia cursu,
Astraq; per tenebras tremulis ardentia flammis

Lustrabant

Lustrabant dubio frigentem lumine terram.
Occiderant ignes, & caligauerat antrum,
Quom subito matris clausa puer æditus aluo
Expulit umbrosam cœlesti lumine noctem.
Aduenêre chori superum, promptiq; agilesq;
Dulce ministerium nato exhibuere Tonanti,
Et dulces cecinere modos: tulit ora repente
Territus hac nouitate senex, & strata cubili
Membra leuans, pueri numen recubantis adorat.
Iam leuis, & partu nullos experta dolores,
Sustulit infantem, pannisq; uolutum,
In præsepe tulit, iumentorumq; sub ora
Micia, ubi tractis alternus anhelitus auris
Spirabat pueri tepidos in membra calores.
Tum quoq; montanis lætum pastoribus agmen
Diuorum apparens, Regem clamauit Olympi
Quęrite, qui natus modico iacet abditus antro.
Ite citi: nec uos nox intempesta retardet,
Candida formosæ iam pendet ad ubera matris:
Infantem fouet ipsa sinu: noua gaudia mundus
Accipit, & rerum melior contexitur ordo.
Descendit promissa salus, pia numina mundo
Seruauêre fidem, fœlicia sæcula currunt,
Et cum prole noua cœlo noua labitur ætas,
Pax noua terrigenis oritur, noua gloria cœlo.
Hæc diui. Gressus illi mouere citatos,
Ingressiq; lares, dulcem uidere puellam
Pascentem teneros lactenti pectore partus.
Nam iubar immensum cœlo deduxerat infans,
Illustriq; die noctis disiecerat umbram.
Mirati lucem insolitam, summumq; decorem
Virginis, osq; uiri sanctum, capitisq; uerendi
Canitiem sacram, pulchræq; simillima matri
Pignora uirgineum labris mulgentia pectus.
Poplitibus flexis miti sub imagine clausum
Numen adorarunt: mox ad sua septa reuersi
Miserunt celebrem uicina per oppida famam.

PLVRA SVPER ILLO NATALI AVGVSTISSIMO.

Ex S. August. de Symbolo. lib. 4.

Vis non expauescat, cum audit, Deum natum? Audis nascentem: uide in ipso ortu miracula facientem. Aluus tumescit uirginis, claustrum pudoris permanet: Impletur uterus matris

tris sine ullo complexu patris: Sentit prolem quæ se ignorabat coniugem. Angelus ad uirginem loquitur: à uirgine cor præparatur: Christus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit mater & uirgo fœta & intacta: Nascitur filius sine homine patre, qui fecit & ipsam matrem: Factor omnium fit inter omnia: portatur manibus matris rector totius orbis: lambit ubera regens sydera: tacet & Verbum est. Necdum per linguam se demonstrabat quis esset: & uniuersa creatura suum natum indicat creatorem. Angeli pastoribus annunciant, stella Magos inuitat, rusticitas pastorum admonitione exigit Angelorum, curiositas Magorum instructa est lingua cœlorum. Magi Iudæorum regem prædicant, Iudæi abnegant. Illi quærunt adorare, isti quærunt occidere. Dicunt Magi Herodi regi, quem quærunt natum regem: dicunt Iudæi ex qua ciuitate Christus surgat regnare. Vtrique prædicant, utrique confitentur, sed illi aliter, isti aliter: Illi ut inuentus adoret, isti ut captus necetur. O Iudæi, ad hoc ferentes in manibus lucernam legis, ut alijs uiam demonstraretis, & uobis tenebras ingeratis? Ecce Magi primitiæ gentium Christo offerunt munera: non solum aurum, thus & myrrham, uerum etiam animas suas: & uos repudiat iniquitas propria, ut illum qui uos uenit obligatos liberare, dementes effecti, eum quæratis occidere.

DVÆ CAVSSÆ NATIVITAtis Domini Iesu.

VNa est, ut secundum hominẽ omnia patiendo pro nobis, à peccatorũ nos uinculis liberaret. Sic enim Esaias propheta prædixerat: Hic peccata nostra portauit, & pro nobis dolet. Et rursus: Ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra: Eruditio pacis nostræ in eo. Liuore enim eius nos sanati sumus. Altera uerò caussa est dominicæ passionis, ut nos, quos sanguine suo redemit à uitijs atque criminibus, non solum doctrinæ, auxilio & gratiæ, sed etiam exemplo suo ad studium sanctitatis accenderet, ne nos ut modo præcipientem dominum, sed etiam exemplo suo ad uirtutis fastigia prouocantem, maiore alacritate sequeremur, & iustissimum Dominum & pium Patrem, secundum sententiam beati Petri, filij imitatione coleremus. *Ex sermon. Augustini.*

IDEM DOCTOR ECCLESIASTIcus, & est tempestiua parænesis.

QVando peccatum quodcunque delectat aut subrepit, sit nobis in memoria, quòd iam deleta sunt peccata nostra. Non perdamus præmium sanguinis Christi, nec maculemus stolam animæ per iniquitatem, aut rapinam, aut concupiscentiam. Iacuimus, iam erecti sumus, uulnerati fueramus, iam sanati sumus. Non erit excusatio. Qualescunque

potest diabolus ad malum inuitare, non potest trahere, delectionem infert non potestatem, consilium ingerit non conflictum. Nunc ergo propter partum beatæ Mariæ sit mihi sermo ad uirgines, siue uiros, siue uiduas, siue fœminas, siue pœnitentes, siue pauperes, siue seruos, non est apud Deum nisi meritorum discretio.

RVRSVS IN NATALEM Domini.

Ex Cyprian.

ADest Christi multũ desyderata & diu expectata Natiuitas, Adest solennitas inclyta, & in præsentia Saluatoris grates & laudes Visitatori suo per orbem terrarum sancta reddit Ecclesia. Gaudia nobis cælitus nunciantur, lætitia imperatur. Nox ista sacri partus conscia &c.

IN EVNDEM.

Ex Gregor. Nazanz.

CHristus nascitur, gloriamini. Christus ex cœlis, occurrite. Christus super terram, exaltemini. Cantate domino &c.

IN NATALEM CHRISTI Regis.

Hæc Io. Gig. olim ad me.

IAni Calendæ nunc fores
Pulsant, hyems in uertice
Summo stat, hircus iam niuem
Inducit albam montibus.
Adest dies, quo natus est
Quem tremit orbis & polus
De quo Prophetæ sæpius
Fatidici prædixerant.
Iam rata sunt præsagia
Vatum futuro de duce
Qui liberet diuinitus
Hominem malis obnoxium.
Conditor orbis & poli
Fine & carens exordio
Paupere tecto natus est
Pecus ante brutum uagijt.
Stygij Iouis iam clauditur
Regia, cœlestis patet
Ianua, multos quæ dies
Surda stetit mortalibus.
Luenda patris crimina
Adæ recedunt, nubila
Cœleste depellit iubar
Redditq; lumen perditum.
Præuia lux ferentibus
Munus Magis è Perside
Monstrat salutis principem
Viasq; tutas indicat.
Nimium beata ciuitas
O Bethleem quæ sustines
Regem tremunt quem tartara
Cui paret orbis & polus.
Cuius triplex laudem canat
Mundus per omne sæculum
Cuius potentiam tremat
Quicquid hic orbis continet.

QVidquid algenti latitat sub axe
Quid uel Eois retinetur oris
Gaudeat, lætum Oceani triumphet
Littus utrunq;.

Psallat

Psallat in laudes genitoris almi
Gentium quicquid trifidum est per orbem
Vt modo excelso resonent Olympo
Iubila læta.
Cur ita? humanæ redeunt cohorti
Pax, salus, summo reparata rege,
Vita adest quam perdiderat per orbem
Degener ordo.
Venit Abrahæ puer à Prophetis
Sæpe promissus, genitrice pura
Prodijt ueræ dominus salutis
Fons & origo.
Perditæ turbæ reparat salutem
Regna Plutonis quatiet, tyrannos
Opprimet, uero populos amore
Ducet ad astra.
Liberet quo nos Stygijs ab undis
Induit, parens domino parenti,
Corpus humanum, paleisq; quieuit
Paupere tecto.

PRECATIO.

CHRISTE pia de Virgine
Nate, gregem quo perditum
Eriperes è faucibus
Orci, poloq; adiungeres,
Quem tremit orbis maximus
Quem dominum agnoscit polus
Da miseratus quo tibi
Iustas canamus gratias,
Fac ne malus nos occupet
Rursus tuo hostis lumine
Pressus, sed ut te principem
Toto colamus pectore.

AD HERODEM.

HEbræo frustra pfundis sanguine cunas
Nec quicq̄ multus tollitur ense puer
Nil tua Rex natus mortalia regna moratur
Nil facit Israël regia sceptra domus
Verum Iudæo princeps de sanguine natus
Rex cœli & rector totius orbis erit.

DE NATALI CRHISTI

PLaude puer, lætare puer, iuuenesq́ senesq́
Plaudite, lætitiæ pandite signa nouæ
Christidos abiecto lætetur turba dolore
Gaudeat, exultet quicquid hic orbis habet
Optatum rediit tempus quo palmifer ales
Carnea pro nostra membra salute subit
Tempus quo Maria uenit de Virgine natus
Humano generi spes pia, uita, salus
Hic nisi pro nobis mortalia membra subisset,
Essemus Stygio portio facta cani.
Ergo humana memor reparatæ turba salutis
Iusta Redemptori munera ferto tuo.

ALIVD.

EN iacet in paleis & inani & paupere tecto
Natus, inhumanum uagit & ante pecus
Qui sacri sacro fabricauit numine uerbi
Quicquid habet cœlũ quicquid & orbis habet
Non sunt regali magna atria splendida luxu,
Sed parua est magni pompa puerperii
Agresti apparet populo pecorumq́ magistris
Qui cœli & mundi fecit & auxit opes.

STEPHANVS DIACONVS & Protomartyr.


Istoriam sanctissimi ac fortissimi Stephani perq́ eleganter, copioseq́ descripsit S. Lucas in libro Praxeôn, cuiusmodi passim in omnibus Ecclesiis leguntur & decantantur.

Ex Aratore Diacono.

EMicat hinc Stephanus, primus qui in agone coronam
Nominis hæres habet, de quo prænuncia palmæ,
Vox cecinit, q; causa dedit: fere prælia martyr
Felices habitura neces, ubi gloria pœna est,
Et cadere est ortus, iugulisq́ parentibus æuum
Nascitur, æternæ complectens munera uitæ.
Vitæ principium fuit en fine fine beatæ.
Sic meruisse mori, lapides Iudæa rebellis
In Stephanum lymphata rapis, quæ crimine duro
Saxea semper eris, hunc deniq́ Christus adoptat,

Ad quem

Ad quem miles ouans per uulnera sacra uocatus
Sanguine fecit iter, cupiensq; in praemia uictor
Hac properare uia, niuei metitus honorem
Callis, ad excelsi pergit fastigia regis.
Et per tot lapides petrae coniungitur uni,
Quis furor iste nouus nulli feritate secundus?
Parcere nolle pio, uibrantibus acta lacertis
Saxa *iacis*. parat ille preces, nec respicit unde
Grando nefanda cadat, qui tẽpore mortis amicae
Pro populo peccante rogat: licet omnia tecum
Tela feras, silicesq; graues, & pondera libres,
Quem perimis uicturus erit, qui sine colono
Seminat exemplum, quo surgit uinea Christi,
Et calicem domini conuiuia festa coronent
Lumina cordis *habens coelos prospexit apertos*,
Ne lateat quod Christus agat, pro *martyre surgit*,
Quem tunc stare uidet confessio nostra sedentem
Cum soleat celebrare magis: caro uincta Tonanti
In Stephano fauet ipsa sibi, dux praescius armat,
Quos ad dona uocat: ne quis hic dimicet anceps,
Corpus in arce dei patuit pro munere testi.
Ad Sauli posuere pedes uelamina saeui
Infernum quod Hebraeus ait, iam constat utrisq;
Hinc meritum sentire suum, cum sydera martyr,
Carnifices infirma petunt sors prima reuelat
Exemplumq; creat, q; talia bella gerenti
Hoc de fonte fluit. sic occidentibus ut mox
Tartara succedant, morientibus astra patescunt.

PASSIO STEPHANI.

Ex Enchiridio Prudentij.

PRimus item init Stephanus mercedem, sanguinis imbri
Afflictus lapidum, Christum tamen ille cruentus
Inter saxa rogat, ne sit lapidatio fraudi
Hostibus, ô primę pietas miranda coronae.

DE S. STEPHANO DIVVS HIERONYMVS *lib. 13. in Ezechielem, cap. 43.*

Ex S. Hieronymo.

AIunt duos hoedos immaculatos post passionem Domini oblatos esse ad altare domini, Iacobũ & Stephanũ: quorũ alter de apostolorũ numero, alter de septẽ electis in ministeriũ dñi princeps fuit. Iste est Iacobus, qui transformatũ saluatorem uidit in monte: qui resurgentẽ filiã archisynagogi cũ Domino Petroq; & Ioanne intuitus est: qui cathalogo Apostolorũ, in quo bina iunguntur nomina, prior fratre ponitur.

Hunc interfecit Herodes, & quasi hœdum immaculatum post passionem saluatoris in die immolauit secunda. Stephanum quoq;, cuius sapientiæ & doctrinæ nullus poterat resistere: & qui stantem uidit filium ad dexteram patris, & dixit: Domine Iesu suscipe spiritum meum: lapipidibus obruère Iudæi.

Idem Hieronymus ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ, de S. Stephano inter reliqua sic: De Mose uerò & Aaron, quòd eis ex ueteri more sit planctus exhibitus, non mirandum est, cum & in Actis Apostolorum iam Euangelio coruscante, Stephano fecerint Hierosolymę fratres planctum magnum. Et utiq; planctus magnus, nō in plangentium exanimatione, ut tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarū frequentia intelligendus sit.

Miracula apud corpus S. Stephani.

De S. Stephano diuus Augustinus in ciuit. dei, lib. xxij. cap. viij. sic scribit: Ad aquas Tibilitanas Episcopo afferente, proiecto, reliquias martyris gloriosissimi Stephani: ad eius memoriam ueniebant magnæ multitudinis concursus & occursus. Ibi cæca mulier ut ad Episcopum portantē pignora sacra duceretur, orauit: flores quos ferebat, dedit, recepit, oculis admouit, protinus uidit. Stupentibus cunctis, qui aderant, præibat exultans, uiā carpens, & uiæ ducē ulterius non requirens. Memorati memoriam martyris, quæ posita est in castello Synicensi, quod Hipponensi coloniæ uicinum est, eiusdem loci Lucillus Episcopus populo pręcedente atq; sequente in manu portabat: fistula, cuius molestia iam diu laborauerat, & familiarissimi sui medici, qui eam secare uellet, operiebatur manus illius pię uectatione, ubi sanctas attigit reliquias, repente sanata est. Nam deinceps eam in suo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hispania Chalamæ habitans, ueteri morbo calculi laborabat, per memoriā supradicti sancti martyris, quam Possidius illò aduexit Episcopus, saluus factus est. Idem ipse postea morbo alio præualescente mortuus sic iacebat, ut ei iam pollices ligarētur, opitulatione memorati martyris, cum de memoria eius reportata fuisset, & super iacentis corpus missa ipsius presbyteri tunica, suscitatus est. Fuit ibi uir in ordine suo primarius, nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum à religione abhorrens Christiana. Habebat sanè fidelem filiam, & generū eodem anno baptizatum. Qui cum eum ægrotantem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent, ut Christianus fieret, prorsus abnuit, eosq; à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius ut iret ad memoriam sancti Stephani, ut illic pro eo quantū posset, oraret, ut Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu & fletu, & sinceriter ardente pietatis affectu. Deinde abscedēs aliquid de altari florum quod occurrit tulit, eiq; cum nox esset ad caput posuit. Tunc dormitum est: & ecce ante diluculū clamat, ut ad episcopum curreretur: qui mecum forte tunc erat apud Hipponen.

ponen. Cum uero eum audisset absentem, uenire presbyteros postulauit: uenerunt, & statim credere se dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus est. Hoc quamdiu uixit in ore habebat: Christe accipe spiritum meum: Cum hæc uerba beatissimi Stephani quando lapidatus est à Iudæis, ultima fuisse nesciret, quæ huic quoque ultima fuerunt. Nam nõ multo post etiam ipse defunctus est. Sanati sunt illic per eundẽ martyrem etiam tres podagrici, duo ciues, peregrinus unus: Sed ciues omnimodo, peregrinus aũt per reuelationẽ quid adhiberet, quando doleret, audiuit: & cum hoc fecisset, dolor cõtinuo conquieuit. Audurus nomen est fundi, ubi ecclesia est, & in ea memoria Stephani martyris. Puerum quendam paruulũ cum in area luderet, exorbitantes boues, qui uehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & cõfestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam posuit: & non solum reuixit, uerumetiam illæsus apparuit. Sanctimonialis quædam in uicina possessione, quę Caspaliana dicitur, cum ægritudine laboraret ac desperaretur, ad eandem memoriã tunica eius allata est, quę antequam reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto spiritu salua facta est. Apud Hipponen Bassus quidã Syrus ad memoriam eiusdem martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eoque secum uestem eius detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum orante illo ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeretur. Qui cum domum redisset, iam suorum eiulatibus personantem, & uestẽ filiæ, quam ferebat, super eam proiecisset, rursus reddita est uitæ. Rursum ibidem apud nos Hyrenei cuiusdam collectarij filius ægritudine extinctus est. Cumque corpus iaceret exanime, atque alijs gementibus & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantiũ uerba suggessit, ut eiusdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit.

Idem Augustinus de S. Stephano scribit, in questionibus ueteris & noui Testamenti. Item in libro de cognitione ueræ uitæ, cap. xlij.

Adam de S. Victore.

HEri mundus exultauit,
Et exultans celebrauit
Christi natalitia.
Heri chorus angelorum
Prosecutus est cœlorum
Regem cum lætitia.
Protomartyr & Leuita
Clarus fide, clarus uita,
Clarus & miraculis.
Sub hac luce triumphauit,
Et triumphans insultauit
Stephanus incredulis.
Fremunt ergo tanquam feræ,
Quia uicti defecere,
Lucis aduersarij.
Falsos testes statuunt,
Et linguas exacuunt
Viperarum filij.
Agonista nulli cede,
Certa certus de mercede,

Perseuera

Perseuera Stephane.
Insta falsis testibus,
Confuta sermonibus
Synagogam satanæ.
Testis tuus est in cœlis,
Testis uerax & fidelis,
Testis innocentiæ.
Nomen habes coronati,
Te tormenta decet pati
Pro corona gloriæ.
Pro corona non marcenti
Perfer breuis uim tormenti,
Te manet uictoria.
Tibi fiet mors, natalis,
Tibi pœna terminalis
Dat uitæ primordia.
Plenus sancto spiritu,
Penetrat intuitu
Stephanus cœlestia.
Videns dei gloriam
Crescit ad uictoriam,
Suspirat ad præmia.
En à dextris Dei stantem
Iesum, pro te dimicantem
Stephane considera.
Tibi cœlos reserari,
Tibi Christum reuelari
Clama uoce libera.
Se commendat saluatori,
Pro quo dulce ducit mori
Sub ipsis lapidibus.
Saulus seruat omnium
Vestes lapidantium,
Lapidans in omnibus.
Ne peccatum statuatur
Iis à quibus lapidatur,
Genu ponit & precatur
Condolens insaniæ.
In Christo sic obdormiuit,
Qui Christo sic obediuit,
Et cum Christo semper uiuit
Martyrum primitiæ.
Quòd sex suscitauerit
Mortuos in Aphrica,
Augustinus asserit, De ciuit. Dei. li. 22. cap. 8.
Fama refert publica.
Huius, dei gratia
Reuelato corpore,
Mundo datur pluuia
Siccitatis tempore.
Solo fugat hic odore
Morbos & dæmonia,
Laude dignus & honore,
Iugiꝗ memoria.
Martyr, cuius est iucundum
Nomen in Ecclesia,
Languescentem fouet mundum
Cœlesti fragrantia.

IOANNES APOSTOLVS ET EVANgelista.

Ex Hierony.



IOannes Apostolus, quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apostoli, quem Herodes post passionē domini decollauerat, nouissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ episcopis, aduersus Cherinthum, aliosꝗ hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam nō fuisse. Vnde & compulsus est, diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius scripturæ ferunt: quòd cum legisset Matthæi, Marci & Lucæ uolumina, probauerit quidem textum historię, & uera eos dixisse firmauerit, sed unius tantum anni, in quo & passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Prętermisso itaꝗ

itaq; anno, cuius acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis, anteq; Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit, sicut manifestum esse poterat his, qui diligenter quatuor Euangeliorum uolumina legerint. Quæ res etiam διαφωνίαν, quæ uidetur Ioannis esse cum cæteris, tollit. Scripsit autem & unam Epistolam, cuius exordiũ est: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, & uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de uerbo uitæ, quæ ab uniuersis Ecclesiasticis & eruditis uiris probatur. Reliquæ autem duæ, quarũ principiũ, Senior electæ dominæ & natis eius: & sequentis, Senior Caio charissimo, quẽ ego diligo in ueritate: Ioannis presbyteri asseruntur, cuius & hodie alterum sepulchrũ apud Ephesum ostenditur. Et nõnulli putant, duas memorias eiusdem Ioannis Euangestę esse. Super qua re cum per ordinẽ ad Papiam auditorem eius uentẽ fuerit, differemus. Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionẽ mouente Domitiano, in Pathmon insulam relegatus, scripsit Apocalypsim, quã interpretatur Iustinus martyr, & Hirenæus. Inrerfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiã crudelitatem à senatu rescissis, sub Nerua principe redit Ephesum, ibiq; usq; ad Traianum principem perseuerans, totas Asiæ fundauit rexitq; Ecclesias, & confectus senio, sexagesimo octauo post passionem anno dñi mortuus, iuxta eandẽ urbem sepultus est.

IN LECTIONEM EVANGELII DE S. IOANNE *Euangelista.*

Dominus Iesus dixit Petro: Sequere me: rursus ad suæ charitatis ac mortis imitationẽ inuitans. Petrus ubi respexisset, uidet et illum discipulum, quem diligebat Iesus, quiq; in domini pectus incubuerat in extrema cœna, dum ex eo sciscitaretur, quis esset proditor. Hunc cum unice diligeret Petrus, & domino cæteris chariorem semper fuisse sciret, ac tantum non iussus sequeretur, Petro proximus, rogat Dominum, quid de illo futurum esset. Iam enim de sua morte cognouerat, & scire cupit, an hunc mortis suæ comitem esset habiturus. Nam hoc sibi gloriosum ac uehemens dominicæ erga se charitatis indicium esse ducebat, quod Iesu mortem esset imitaturus. Iesus aũt superuacuam hanc de morte alterius Petri curam corrigens, ait: Si hũc uelim manere, donec ipse ueniã, quid id tua refert? Meus est, & meo arbitratu, de illo quod optimum erit, statuam. Tu quod ad te pertinet, cura, uidelicet, ut me sequaris. Ortus est igitur ex huius occasione sermonis inter discipulos rumor, q discipulus ille Iesu dilectus, nõ esset moriturus uiolenta morte, sed permansurus in uita, donec rediret Dominus iudicaturus uiuos & mortuos, quod omnes tum breui futurum opinabantur: Tametsi Iesus non dixerat, eum non moriturum, sed Petri curiositatem *Ex Paraphr. Erasmi.*

P retundens

retundens, negauit ad illum pertinere, si uellet eum manere usq; ad aduentum suum. Atq; hic est ille ipse discipulus, qui testimoniũ perhibet, hæc sic esse gesta, quiq; scripsit hæc, quo certius ac latius ad omnium noticiam diffundantur. Et cognouimus, q uerum est illius testimonium. Non enim scripsit ab alijs audita, sed quibus ipse interfuit. Nec omnia tamen cõmemorauit, quæ dixit aut fecit Iesus. Etenim si quis ea singulatim conetur enarrare, immensa uoluminum uis nasceretur. Tantum aũt literis proditum est, quantũ ad salutem cõsequendam satis est. Superest igitur, ut his credentes, & Iesu uestigijs inhærentes, contendamus ad immortalis uitæ præmium.

HISTORIA DE IVVENE AD MEliorem uitam reuocato, per Ioannem Euangelistam. Ex Eusebio.



CVm post Domitiani tyranni obitum, de Pathmos insula Ephesum rediret, rogabatur etiam uicinas illustrare prouincias, quo uel ecclesias fundaret, in quibus non erant locis, uel in quibus erant, sacerdotibus ac ministris instrueret, secundum quod ei de unoquoq; spiritus sanctus indicasset. Cum igitur uenisset ad quandam urbem haud longe positam, omnibus ecclesiasticis solenniter adimpletis, uidit iuuenem quendam ualidum corpore, & uultu elegãtem, sed & animis acrem nimis: respiciensq; ad Episcopum qui nuper fuerat ordinatus, hunc (inquit) tibi summo studio cõmendo sub testimonio CHRISTI & totius ecclesiæ. Tum ille suspiciens, omnem se adhibiturum, sicut pręcipiebat, diligentiam pollicetur. Sed iterum atq; iterum eadem sæpius repetens, iuuenem commendabat attentius, & post hæc Ephesum redijt. Tum uerò presbyter in domum suam adolescentem suscepit cõmendatum, & cum omni diligentia enutrit, amplectitur, fouet, ad ultimum etiam baptismi gratiam tradit. Posthæc iam uelut confidens gratiæ, qua fuerat commonitus, paulò indulgentius iuuenem habere cœpit. Sed ille ubi ætate immatura libertate potitus est, continuo per æquęuos, quibus luxus & desidia cordi est, amare uitia & corruptę uitæ incedere tramitem perdocetur. Et primo quidem conuiuiorum illecebris decipitur, inde nocturnis eum furtis socium sibi participemq; consciscunt, post hæc etiam ad maiora flagitia pertrahunt: cum interea sensim iuuenis formabatur, & instituebatur ad scelera, & quia esset acer ingenio, sicut equus infrenis & ualidus, diris morsibus obfirmatus, recti itineris lineam derelinquens, rectore contempto, rapito cursu totus fertur in præceps, ita succedentibus sibi malis, ut desperationem sibi quoq; à Deo præstitæ salutis acceperit. Dedignatur iam de paruis sceleribus cogitare, grandia quæq; molitur, & ex integro perditioni se tradens, nullo

nullo inferior esse in flagitijs patitur. Denique illos ipsos, qui prius magistri criminum fuerant, discipulos facit, & latronum ex his turmam, quibus ipse dux & princeps uiolentus præesset, instituit, & cum his omni crudelitate grassatur. Verum tempore elapso (cum rei ita poposcit utilitas) inuitatur iterum ad illam urbem Iohannes, et cum cętera (quorum gratia uenerat) ordinasset, inquit: ô Episcope, depositum repræsenta, quod tibi ego planè & Christus commendauimus, ecclesia teste, quam regis. At ille obstupuit, primo pecuniã putans à se reposci, quam non acceperat. Sed rursum considerabat, nec posse fallere, Iohannem, nec quod non dedit, quærere. Hærebat ergo stupens. Quem Iohannes hærentem uidens, Iuuenem illum, inquit, repeto abs te & animam fratris. Tunc grauiter suspirans Senior, & in lachrymas resolutus, Ille (ait) mortuus est. Quomodo (inquit) uel quali morte? Deo (ait) mortuus est, quia pessimus & flagitiosus euasit, ad ultimũ etiam latrocinium adgressus est. Denique nunc montem quendam cum multa latronum manu occupauit. Quibus auditis, Apostolus uestem continuo, qua erat indutus, scidit, & cum ingenti gemitu feriens caput suum, Bonum te (inquit) custodem fratris animæ dereliqui. Sed iam nunc mihi equus parętur, & dux itineris. Et confestim ab ipsa ecclesia ascendens, concitus properabat. Cumque peruenisset ad locum, attinetur ab his latronibus, qui custodias obseruabant. At ille neque effugere, neque prorsus declinare usquam nitens, ingenti tantum uoce proclamabat: Quia ad hoc ipsum ueni, adducite mihi principem uestrum. Qui cum ueniret armatus, eminus agnito Iohanne Apostolo, pudore actus, in fugam uertitur. Ille equo post eum admisso, confestim insequitur fugitantem, etiam ætatis oblitus, simul & clamans: Quid fugis ô fili patrem tuum? Quid fugis inermem senem? Miser hære, noli timere, habes adhuc spem uitæ: Ego Christo rationem reddam pro te: Certe & mortem pro te libenter excipiam, sicut & dominus excepit pro nobis, & pro tua anima dabo animam meã. Sta tantum & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens, restitit, & uultum demisit in terram: post hoc arma proiecit. Tum deinde tremefactus flebat amarissime, & accedentis ad se senis genibus prouoluitur, gemitibus & ululatibus, quibus poterat, satisfaciens, & uberrimis lachrymarum suarum fontibus iterum baptizabatur, occultans solam dexteram suam. Apostolus uerò iurisiurandi sacramento se ei à Saluatore impetraturam ueniam pollicens, simulque genibus eius prouolutus, atque ipsam dexteram, ex cuius cædis conscientia torquebatur, tanque iam per pœnitentiam purgatam deosculans, ad ecclesiam reuocat, & indesinenter pro eo orationes profundens, et cum ipso pariter ducens crebra ieiunia, indulgentiam à Deo, quam ei pollicitus fuerat, expetebat. Sed & uarijs sermonum consolationibus, uelut quibusdam precationibus efferos & exterritos eius animos mitigabat. Nec prius

abstitit, quàm eum in omnibus emendatum etiam ecclesiæ præficeret, præbens per hoc magna exempla ueræ pœnitentiæ, & documentum ingens nouæ regenerationis, atque insignia quædam & trophæa uisibilis in eo resurrectionis ostendens. Hæc à Clemente dicta, non solum ad scientiam rerum, sed & ad utilitatem legentium profutura.

DE IOHANNE APOSTOLO S. HIERONYMUS
lib. 3. in Epist. ad Galat. cap. 6.

BEatus Ioannes Euangelista cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, & uix inter discipulorũ manus ad ecclesiam deferretur, nec posset in plura uocem uerba contexere: nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc, Filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptum domini est, & si solum fiat, sufficit. Hactenus Hieronymus.

Vir clarissimus Ioannes Capnion libro iij. Verbi mirifici de S. Ioanne sic refert: Ioannes Euangelista superato ueneno, dæmonem in Dianæ templo ducentos & quadraginta nouem annos commoratum, his uerbis loco expulit: Interdico tibi in nomine Iesu Christi Nazreni, ne ultra hîc habites. Et confestim decessit Epheso dęmon. Quo factum est, ut iussu Domitiani uir sanctus non sine Prochoro sodali suo in Pathmon insulam exul deportaretur, ubi tam ingentia per nomen Iesu confecit miracula, quòd sacerdotes Apollinis, impatientia simul & futuræ desertionis formidine perculsi, rem omnem ad Cynopem magorum facile principem, &c. Hæc Capnion.

Notum est uulgo, quòd de Drusiana Ephesiana, uerè Christiana matrona, ab Ioanne Apostolo, cum iam efferretur, ex mortuis suscitata legitur. Hæc fœmina Ioanni uidetur esse, qualis Petro Tabita illa seu Dorcas in Actis Apostol. Nec à uero abludit, quod referunt de philosopho Cratone, huius Apostoli disputatione atque miraculo, ad Religionem nostram conuerso. Nouum haudquaque est, à Christianis Ecclesiæ Philosophos sæculi uictos, & Christo lucrifactos esse.

Septimius Tertullianus de Ioanne Euangelista meminit in libro de præscriptionibus hæreticorum his quidem uerbis: Romæ Apostolus Ioannes posteaque in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur.

Iacobus Fab. Stapulensis, in lib. de una ex tribus Maria, Ioannis Apostoli meminit, referens uerba quædam ex Melitone Sardensi episcopo, qui ait: Cum esset annorum nonaginta, apparuit ei dominus Iesus Christus cum discipulis suis, & dixit ei: Veni ad me, quia tempus est, ut epuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis, &c.

Innocentes

INNOCENTES BETHLEHEMITICI.

Historiam puerorum Bethlehemiticorũ ſcribit S. Matthæus Euangeliſta ſui de Chriſto libri cap.ij. Verum Herodis ſæuitiam multis in locis Egeſippus & quidem recte depingit.

Ex Sedulio.

Ergo ubi deluſum ſe comperit, impius iram
Rex aperit, ſi iure queat rex ille uocari,
Qui pietate caret, propriam qui non regit iram,
Ereptumq́ gemens facinus ſibi ceu leo frendens
Cuius ab ore tener ſubito cum labitur agnus,
In totum mouet arma gregem, manditq́ trahitq́
Molle pecus, trepidæq́ uocant ſua pignora fœtæ
Nequicq́, & uacuas implent balatibus auras.
Haud ſecus Herodes Chriſto ſtimulatus adempto
Sternere colliſas paruorum ſtrage cateruas
Immerito non ceſſat atrox. Quo crimine ſimplex
Turba perit? Cur qui uix dum potuere creari
Iam meruere mori? Furor eſt in rege cruento,
Non ratio. Primosq́ necans uagitus & audens
Innumerum patrare nefas, puerilia mactat
Millia, plangoremq́ dedit tot matribus unum.
Hæc laceros crines nudato uertice rupit,
Illa genas ſecuit, nudum ferit altera pugnis
Pectus, & infelix mater nec iam modo mater
Orba ſuper gelidum fruſtra premit ubera natum.
Quis tibi nunc lanio cernenti talia ſenſus,
Quosue dabas fremitus, cum uulnera feruere late
Proſpiceres arce ex ſumma, uaſtumq́ uideres
Miſceri ante oculos tantis plangoribus æquor?
Extinctis tamen quamuis infantibus abſens
Præſens Chriſtus erat, qui ſancta pericula ſemper
Suſpicit, & pœnas alieno in corpore ſentit.

OCCIDVNTVR INFANTES in Bethleem.

Ex Enchiridio Prudẽtij.

Impius innumeris infantum cædibus hoſtis
Perfurit Herodes, dum Chriſtum quærit in illis.
Fumant lacteolo paruorum ſanguine cunæ,
Vulneribusq́ madent calidis pia pectora matrum.

HOMILIA IN SANCTOS PVEROS.

Ex S. Augustino.



CHristo secundũ prophetiæ fidẽ nato in Bethleem Iudæ, temporibus regis Herodis, de orientis partibus aduentantes quidam uiri ex Magorũ gente, pcunctantur ab Herode, ubinam esset rex, qui nuper natus est, Iudęorũ, affirmantes uidisse se stellã eius in Oriente, quæ sibi etiã dux itineris extitisset, causam uero tantę properationis adorandi ac uenerandi nup æditi regis esse. Quibus ille auditis incredibiliter terretur, timẽs, ne status sui piclitaretur imperij. Aduocatis accersitisq; legis doctoribus, requirens percũctatur, ubinam Christum nasci sperarent. Vt uerò ex Micheæ oraculis locus natiuitatis eius apud Bethleem designatus est, uno præcepto rex omnes lactentes pueros, non solum apud Bethleem, sed & in omnibus eius finibus à bimis & infra, secundum tempus, quod explorauerat à Magis, interimi iubet: si quomodo etiam Iesum cum æquęuis posset extinguere. Sed; præuenit regis insidias puer adductus in Ægyptum, parentibus de dolo regis Angelo prænunciante commonitis. Deceptus itaq; Herodes rex & illusus à Magis, mittit in Bethleem & in omnes fines eius, ut interficiãtur pueri à bimatu, & infra. Occiduntur pro Christo paruuli, pro iustitia moritur innocentia. Quàm beata ætas, quæ necdum Christum potest loqui, & iam pro Christo meretur occidi: nondum oportuna uulneri, & iam idonea passioni. Quàm fœliciter nati, quibus in primo nascendi limine æterna uita obuiam uenit. Incurrunt quidem inter ipsa primordia acceptæ lucis periculum & finem salutis: sed de ipso protinus fine capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem uidentur ad mortem, sed fœliciter moriuntur ad uitam. Vix dum gustauerant præsentem, statim transeunt ad futuram. Nondum ingressi infantiæ cunas, & iam perueniunt ad coronas. Rapiuntur quidem à complexibus matrum, sed redduntur gremijs angelorum. Nihil ergo egisti ferocissime austeritatis audacia: potes martyres facere, Christum non potes inuenire. Putabas se infœlix tyrannus domini saluatoris aduentu regali solio detrudendum: Sed nõ ita est. Non ad hoc uenerat Christus, ut alienam gloriã inuaderet, sed ut suam donaret. Non, inquã, ad hoc uenerat Christus, ut regnũ terrestre præriperet, sed ut cœleste donaret. Non uenerat ad potestates dignitatesq; rapiendas, sed ad contumelias et iniurias perferendas. Non ad hoc uenerat, ut sacrum illud caput ad diadema gemmatũ, sed ut ad coronam spineam prępararet. Non, inquam, ad hoc uenerat, ut constitueretur supra sceptra magnificus, sed ut crucifigeretur illusus. Nascente ergo domino conturbatur Herodes, & omnis Hierosolyma cum eo. Quid mirum, si pietate nascente perturbetur impietas? Ecce iacentem in præsepio pertimescit armatus, contremescit humilem rex superbus, obuolutũ pannis metuit purpuratus, cum simulatione alloquitur Magos:

Ite, inquit,

Ite, inquit, requirite de puero, & cum inueneritis renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum. Simulabat adorare se uelle, quem conabatur occidere. Sed non timet ueritas falsitatis insidias. Quàm cęca feritas, quę credebat quòd deprehendere dominum fraudibus posset. Ecce cuius terra cœlumq́ꝫ ostendebat aduentum, qui pastorum non latebat simplicitatem, quem Magi de extrema uenientes Æthiopiæ parte merentur agnoscere, dolis suis ad illum non potest rex sacrilegus peruenire. Fallitur ergo stulti furor tyranni, Christum non potest inuenire perfidia, quia Deus non crudelitate sed credulitate quærendus est: qui uiuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Idem Augustinus scribit de Innocentibus pueris, lib. iij. de Symbolo ad catechumenos: Necdum, inquiens, loquuntur, & Christum confitentur: necdum motibus membrorum ualent suscipere pugnam, & uictoriæ offerũt iam palmã. Quomodo regnas Herodes, qui sic uinceris?

S. Cyprianus in hunc modum de Innocentibus pueris disserit: In ordine Sanctorum protomartyres primum habent locum, & secretorum conscij diuinorum propinquitate familiarissima clementiã Dei pro nostris exorant laboribus, q̃s usque hodie funestus Herodes persequitur, quorum sanguine et morte diabolus delectatur. Hi itaqꝫ à cunabulis in cœlum translati, facti sunt superni capitolij senatores & iudices, nonnullis ueniam obtinentes immeritis, assistuntq́ꝫ miserationibus & ultionib. diuinis, sed sæpius agni, quem quocunqꝫ ierit prosequuntur, mansuetudine, q̃ꝫ uel ira uel furore utuntur. Hi nuper cruore lacteo loti, primitias baptismi martyrio consecrarunt, tradentes posteris formam, ubi necessitatis articulus excluserit moram, non minus ad lauachrum animæ sanguinem efficacem q̃ꝫ sanctificatas uerbis solennibus aquas, maxime, cũ nec sanguis hoc elemento careat, sed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus uero sanctus & aquis & sanguini superfertur, qui subiectos sibi fouet & abluit: quo baptizante idem occisio & mersio operatur, qua extinctam peccati uitam uirtutemq́ꝫ emortuã utriusqꝫ rei continet sacramentum. Ipse enim est, qui uel hoc, uel alio modo quicunqꝫ est ille modus, baptizat, & ad idem refertur, quod pura fide agitur per Christum dominum nostrum.

EX BAPT. MANTVANO DE INNOCENTIBVS.

Rex erat Herodes Solymis, de sanguine cretus
Gentis Idumęæ, sceptrum Iudæa propago
Perdiderat, sæuumq́ꝫ ferens in uita tyrannum,
Amissos regni ueteris plorabat honores.
Ipse igitur Regis metuens hæc signa futuri,
Protinus innocuo Bethlemica rura cruore

Tinxit

Tinxit,& effusa ingenti per tecta per agros
Cæde, domos lachrymis impleuit & æthera planctu.

THOMAS EPISCOP. ANGLICVS.

Ex Romano Breuiario.

THomas natione Anglus, suscepto Archiepiscopatu Cantuarien. ut in Cancellariæ muneribus obeundis strenue se gesserat, sic in Ecclesia administranda fortem & constantem animum præstitit. Nam cum rex Henricus coacta Synodo leges quasdam ferre moliretur dignitati, & commodis Ecclesiæ perniciosas, tam sancte et cõstanter se conatibus eius opposuit, ut nullis neq; pollicitationibus, neq; minis potuerit deterreri. Itaq; missus est ipse in exilium, & tota eius cognatio regno excedere iussa, cunctorum bonis publicatis. Sexto aũt anno Papa & Gallorum rege intercedentibus, ab exilio cum ingenti totius regni gratulatione reuocatur, magno tamen scelere & fraude regis. Qui dolens sacrilegos suos conatus Thomæ sanctitate ad nihilum recidisse, uiolata fide mittit armatorum manum, qui eum in sua Ecclesia trucidarent. Quibus ille aduenientibus portas Ecclesiæ, quas clerici ad obsistendum clauserant, patefecit, seq; intrepidum obtulit iugulandũ, hoc duntaxat precatus, ne suorum quisquam lęderetur. In me, inquit, unum tela conuertite, non em̃ recuso, pro dei Ecclesia mortem oppetere. Itaq; flexis genibus Deum adorans, gladijs impiorum confossus occubuit, v. Calend. Decembris. Cuius corpus in eadem Ecclesia conditum est magnificentissimo sepulchro.

SYLVESTER I. PONTIFEX ROM.

Ex Platina.

SYluester natione Romanus, patre Ruffino, Constantini temporibus fuit, anno ab urbe condita millesimo nonagesimo primo: Domini uero anno ccc.xxxix. Sub hoc tandem principe Christiani à tyrannis antea oppressi, nonnihil respirare incipiunt. Nam corporis ac animi dotibus cum optimo quoq; principe cõparari Constantinus potuit: militaris enim gloriæ appetentissimus fuit, in bello fortunatus. Pacem petentibus libenter dedit: liberalibus studijs, ubi per ocium licebat, delectabatur: liberalitate & gratia omnium beneuolentiam sibi comparabat. Multas leges rogauit ex æquo & bono, superfluas abscidit, seueras nimium emendauit. Vrbem in Byzantij ruinis de nomine suo condens, eam Romæ magnitudine ædificiorum parem facere conatus, secundam Romam uocauit, ut literæ sub equestri eius statua indicabant. Is igitur tantus princeps omnia circumspiciens, omnia considerans, ubi honestatem Christianę religionis intellexit, qua seruare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, paci studere, sim-

dere, simplicitate & constantia uti iubemur, eam ita cōplexus est, ut iturus ad bellum, nō alio q̃ crucis signo uteretur. Quod sereno cœlo dum in Maxentium tyrannum copias mouet, & uiderat et adorauerat, astantesq; angelos audierat dicentes: Constantine ἐν τούτῳ νίκα, quod etiam fecit, ac tyrannos omnes à ceruicibus populi Romani Christianorumq; omnium depulit: maxime uero Licinium, qui Christianos & domo & militia pulsos, aut religione, aut carcere (ut dixi) ad mortem usq; macerabat, aut leonibus obijciebat, aut suspensos tanquā porcos membratim lacerans dissipabat. Tantum itaq; principem ac tam humanum Syluester nactus, relicto Soracte monte, quo à tyrannis sęuientibus relegatus fuerat, uel (ut quidam uolunt) secesserat, Romam ueniens, Constantinum erga Christianos bene animatum, promptiorem ad optime de Ecclesia dei promerendum reddidit. Nam & Pontificibus diadema aureū distinctum gemmis concedebat: quod quidem Syluester aspernatus, tanquam religioso capiti minime cōueniens, Phrygia mitra & candida tantummodo cōtentus fuit. Permotus autem Constantinus sanctitate Syluestri, Ecclesiam in urbe Roma condidit in hortis Equitij, non longe à thermis Domitianis, quæ titulum Equitij usq; ad tempora Damasi præ se ferebat. Cui quidem Ecclesiæ Imperator munificus hæc etiā dona præstitit, patenam argenteam librarum uiginti, scyphos duos uiginti librarum, calicem aureum duarum librarum, & alia uasa tum argentea tum aurea, quæ enumerare longū esset. Fundum quoq; Valerianū dono dedit in agro Sabino positum, unde quotannis solidos octoginta capiebat. Hortum intra urbem ad regionem duorum adamantum, unde solidi quindecim capiebantur. Domum in regione Orphea intra urbē, unde solidi octo & quinquaginta proueniebant.

CIRCVNCISIO DOMINICA.

SAluator noster natus de patre sine die, per quem factus est omnis dies, uoluit in terra habere natalem hunc diem, quem hodie celebramus. Quisquis in die miraris, æternum mirare potius ante omnem diem permanentem, omnem diem creantem, in die nascentem à malitia diei liberantem. Adhuc mirare. Quæ peperit, & mater & uirgo est. Quem peperit, & infans & Verbum est. Meritò cœli locuti sunt, angeli gratulati, pastores lætati, Magi imitati, reges turbati, paruuli coronati. Lacta mater cibum nostrum, lacta panem de cœlo uenientem, & in præsepe positum uelut piorum cibaria iumentorum. Illic enim cognouit bos possessorē suum, & asinus præsepe domini sui. Circūcisio scilicet & præputium cohærendi lapidi angulari, quorum primitiæ fuerunt pastores & Magi. Lacta eum, qui talem fecit te, ut ipse fieret in te, qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus uirginitatis Ex S. Augustino.

tatis non abstulit natus, qui sibi priusq̃ nasceretur, & uterũ de quo nasceret, & diem in quo nasceretur, elegit: Et ipse condidit q̃d elegit, ut ille hinc procederet de thalamo suo, quo mortalibus oculis posset uideri.

VIRGINIS PARTVS.

Ex Sedulio.

IAmq̃ nouem lapsis decimi de limine mensis
Fulgebat sacrata dies, cum uirgine fœta
Promissum compleuit opus, Verbum caro factum est,
In nobis habitare uolens. Tunc maximus infans
Intemerata sui conseruans uiscera templi,
Illæsum uacuauit iter pro uirgine testis
Partus adest, clausa ingrediens, et clausa relinquens.
Quæ noua lux mundo? quæ toto gratia cœlo?
Quis fuit ille nitor Mariæ, cum Christus ab aluo
Processit splendore nouo? uelut ipse decoro
Sponsus ouans thalamo, forma speciosus amœna
Præ natis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labijs diffusa est gratia pulchris.
O facilis pietas, ne nos seruile teneret
Peccato dominante iugum, seruilia summus
Membra tulit dominus, primiq̃ ab origine mundi
Omnia qui proprijs uestit nascentia donis,
Obsitus exiguis habuit uelamina pannis.
Quemq̃ procellosi non mobilis unda profundi,
Terrarum non omne solum, spaciosaq̃ lati
Non capit aula poli, puerili in corpore plenus
Mansit, & angusto Deus in præsepe quieuit.

IN EANDEM CIRCVNCISIONEM PVERI IESV.

Ex Enchirid. Prudentij.

Viderat octauam lucem puer, ecce recidi
Ad morem legis, nomenq̃ aptare necesse est,
Impositumq̃ illi est, monitus cœlestibus olim
Quod Mariæ uox missa deo præcepit, Iesus.

CIVITAS BETHLEEM.

Sancta Bethleem caput est orbis, quæ protulit Iesum
Orbis principium, caput ipsum principiorum
Vrbs hominem Christum genuit, qui Christus agebat
Ante deus, q̃ sol fieret, q̃ lucifer esset.

INCREPATIO DE KALENDIS IANVARIIS, RECTE CONtra mores Ecclesiasticorum publicos, hisce festis Natalitijs Domini. Nam nunc uentri magis, q̃ puero Iesu seruitur, in omni crapulæ & ebrietatis genere.

Hæc sunt Ambrosij



EST mihi aduersus plerosq̃ de uestris, fratres, querela non modica, de his loquor, qui nobiscum natalem domini celebrantes gentilium se ferijs dederunt, & post illud cœleste conuiuium superstitiosis sibi prandium parauerunt, ut qui ante lætificati fuerant

rant sanctitate, inebriaretur postea uanitate: ignorantes, quòd qui uult regnare cum Christo, non possit gaudere cum sæculo: & qui uult inuenire iustitiam, debeat declinare luxuriam. Alia enim ratio est uitæ æternæ, alia desperatio lasciuiæ temporalis: ad illam uirtute ascenditur, ad istam perditione descenditur. Atque ideo qui uult esse diuinorum particeps, non debet esse socius idolorum. Idoli enim portio est inebriare uino mentem, uentrem cibo distendere, saltationibus membra torquere, & ita prauis actibus occupari, ut cogaris ignorare, quòd Deus est. Vnde sanctus Apostolus hæc præuidens, dicit: Quæ portio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci cum tenebris? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem cõsensus templo Dei cum idolis? Ergo si nos sumus templum Dei, cur in templo Dei colitur festiuitas idolorum? Cur ubi Christus habitat, qui est abstinentia, temperantia, castitas, inducitur comessatio, ebrietas atque lasciuia? Dicit Saluator: Nemo potest duob. dominis seruire: hoc est, Deo & mammonę. Quomodo igit̃ potestis religiose epiphaniam domini ꝓcurare, qui iam Kalendas quãtum in uobis est, deuotissime celebrastis? Ianus em̃ homo fuit unius cõditor ciuitatis, quæ Ianiculum nuncupatur, in cuius honore à gentibus kalendæ sunt Ianuariæ nuncupatæ: unde qui kalendas Ianuarias colit, peccat, quoniã homini mortuo defert diuinitatis obsequiũ. Inde est, quod ait Apostolus: Dies obseruatis & menses & tempora & annos: timeo, ne sine causa laborauerim in uobis. Obseruauit enim diem & mensem, qui his diebus aut non ieiunauit, aut ad ecclesiam non processit. Obseruauit diem, qui hesterna die non processit ad ecclesiam, processit ad campum. Ergo fratres omni studio gentilium festiuitatem & ferias declinemus, ut quando illi epulantur & læti sunt, tunc nos simus sobrij atque ieiuni, quo intelligant lętitiam suam nostra abstinentia condemnari. Non solum autem gentilium, sed & Iudęorum consortia uitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio. Hi etem̃ arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures iudicum & publica inquietant, & ideo magis ꝑualent, quo magis sunt impudentes. Hoc autẽ nõ recens in ipsis, sed inueteratũ & originarium malum est. Nam olim iam & dominum Saluatorem intra prætorium persecuti sunt, & præsidis eum iudicio condemnarunt. In prætorio ergo à Iudæis innocentia opprimitur, secretum proditur, religio cõdemnatur. Cum em̃ Christus occiditur, omnis in eo ueritas & iustitia condemnatur, quoniam ipse est innocentia, religio sanctitatis, atque mysterium.

MAGI ORIENTALES.

EXultandum est nobis, fratres charissimi, quòd uotis nostris uota succedunt, quòd gaudijs gaudia cumulantur. Ecce enim adhuc natalis dominici solennitate corda nostra persultant, & iam festiuitate sanctæ Epiphaniæ gloriamur. Gratias igitur agere de- *Ex S. Ambrosio.*

bemus domino, qui nos frequenter uisitat, ut sæpe lætificet, & iam copiosius requirit, ut numerosius benedicat. Quamuis igitur gentilis licet uane numerus ad solennitatem lætetur propter diuersitatem dominorum suorum, tamen plures nobis festiuitates pręstat unius diei uisitatio, quàm illis multorum dæmoniorum superstitiosa præsumptio. Nam sicut eos ueritate religionis uincimus, ita uotorum numero superamus. Epiphaniæ ergo hodie procuramus gaudia. Quærat aliquis, &c.

ALIA HOMILIA IN EPIPHAniam Dominicam.

Ex S. Augustino.



AD partũ uirginis adorandũ Magi ab Oriente uenerunt. Hũc diem hodie celebramus, huic debitã solennitatẽ sermonemq́ persoluimus. Illis dies iste primus diluxit, anniuersaria nobis festiuitate rediit. Illi erant primitię gentiũ, nos populi gentiũ. Nobis hoc lingua nunciauit Apostolorum, stella illis tanq̃ lingua cœlorũ, et nobis idem Apostoli tanq̃ alij cœli enarrauerũt gloriam Dei. Cur enim non agnoscamus eos cœlos, qui facti sunt sedes Dei? Sicut scriptum est: Anima iusti, sedes sapientiæ. Per hos enim cœlos ille cœlorum fabricator & habitator intonuit, quo tonitruo mundus tremuit, & ecce iam credit. Magnum sacramentum. In præsępi tunc iacebat, & Magos ab oriente ducebat. Abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in cœlo, ut agnitus in cœlo manifestaretur in stabulo, & appellaretur Epiphania dies iste, quod latine manifestatio dici potest: simul eius celsitudinem humilitatemq́ cõmendans, ut qui in aperto cœlo signis sydereis monstrabatur, in angusto diuersorio quæsitus inueniretur inualidus infantilibus membris, inuolutus infantilibus pannis, adoraretur à Magis, timeretur à malis.

IN MAGORVM ADVENTVM.

Ex Sedulio.

TAlia Bethleis dum signa geruntur in oris,
Eoi uenêre Magi, sæuumq́ tyrannum
Grandia sollicitis perturbant nuncia dictis,
Iudaicis nuper populis orientis ab axe
Progenitum fulsisse ducem, hoc cœlitus astra,
Hoc stellam radiare nouam, ferus arbiter aulæ
Æstuat Hebrææ ratus hunc succedere posse
Mox sibimet, qui primus erat. Tunc fronte serena
Nubila mentis alens, clam mandat ubiq́ requiri
Sicut adorandum, quem tractat fraude necandum.
Quid furis Herodes? Christum sermone fateris,

Et sensu

Et sensu iugulare cupis? legem'que legendo
Negligis? & regi regum tua regna minaris?
Ne tamen insano careant tua numina facto,
Patrandum sub honore crucis sed crimine gentis
Herodes alius quod tu molire uidebit.
Ergo alacres summo seruantes lumina coelo
Fixa Magi, sydus'que micans regale secuti,
Optatam tenuêre uiam, quæ lege futura
Duxit adorantes sacra ad cunabula gentes.
Thesauris'que simul pro religione solutis
Ipsæ etiam ut possent species ostendere Christum
Aurea nascenti fuderunt munera regi,
Thura dedêre Deo, myrrham tribuêre sepulchro.
Cur tria dona tamen? quoniam spes maxima uitæ est
Hunc numerum confessa fides, & tempora summus
Cernens cuncta Deus præsentia, prisca, futura,
Semper adest, semper'que fuit, semper'que manebit
In triplici uirtute sui, tunc coelitus illi
Per somnum moniti contemnere iussa tyranni,
Per loca mutati gradientes deuia callis
In patriam rediêre suam. Sic nos quoque sanctam
Si cupimus patriam tandem contingere, postque
Venimus ad Christum, iam non repetamus iniquum.

HISTORIÆ EIVSDEM REpetitio.

Ex Iuuenco.

GEns est ulterior surgenti proxima soli
Astrorum solers, ortus'que, obitus'que notare.
Huius primores nomen tenuêre Magorum.
Hinc læti proceres, Solymas per longa uiarum
Deueniunt, regem'que adeunt, orant'que doceri,
Quæ regio imperio puerum Iudæa teneret
Progenitum, sese stellæ fulgentis ab ortu
Admonitos uenisse uiam, quo supplice dextra
Exortum terris uenerabile numen adorent.
Territus Herodes, uatum, legum'que peritos,
Qui'que prophetarum ueterum presagia noscunt,
Imperio accitos iubet omnia quærere legis,
Quo pateat, quæ sint genitalia moenia Christo,
Omnia uenturum spondent quem oracula uatum.
Tunc manifestatur Bethleem quòd moenibus illum
Progigni maneat, cui sacram ducere plebem

Israëlitarum sancta uirtute necesse est.
Tunc iubet Herodes Persas pertendere gressum
Inuentumque sibi puerum monstrare colendum.
Ecce uiæ medio stellam præcurrere cernunt
Sulcantem flammis auras, quæ in culmine summo
Restitit, & pueri lustrata habitacula monstrat.
Gaudia magna Magi gaudent, sydusque salutant.
At postquam puerum uidêre sub ubere matris,
Deiecti prono texerunt corpore terram,
Submissique simul, mox mystica munera promunt.
Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, deoque
Dona ferunt, totam mox horrida somnia noctem
Sollicitant, sæuumque iubent uitare tyrannum.
Denique diuersis Herodis callibus aulam
Diffugiunt, patriam Magi rediere latenter.

IN MAGOS.

IAm puero iuxta mores, legemque paternam
Nomen, & indigenæ dederant insignia gentis,
Membraque pertulerant cultros recutita cruentos;
Quom nouus Eoo criniti syderis ardor
Mouit ab orbe Magos, qui uel quia forsitan astrum
Ante diem partus multo uidêre, uel ipsa
Quod iumenta magis cursu uenêre citato.
Immensum paucis iter exegêre diebus
Herodis monitu: postque monstrata Tonantis
Tecta subingressi, puero tria dona dedêre,
Ad Persas aliud per iter rediêre colonos.

EX SACRIS SCRIPTORIBVS DE Magorum facto egregio.

DE Magis uetustissimus Theologus & egregius scriptor Septimius Tertullianus in libro contra Iudæos ita habet: Magos reges fere habuit Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transscripta esset in Syrophœnicen ex distinctione Syriarum, cuius tunc uirtutem Christus accepit, accipiendo insignia eius, aurum scilicet & odores: spolia autem Samariæ, ipsos magos: qui cum illum cognouissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent, quasi dominum regem sub testimonia indicis & ducis stellæ spolia sunt facti Samariæ, id est, idololatriæ, credentes uidelicet in Christo.

Diuus

Diuus Hilarius in Matthæum, Canone primo, de Magis ita scribit: Stellæ aut ortus primum à Magis intellectus indicat, mox gentes in Christo credituras, & homines professionis longe à scientia diuinæ cognitionis auersæ, lumē, quod statim in ortu eius extitit, cogituros. Deniqꝫ oblatio munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expressit. In auro regem, in thure deum, in myrrha hominem confitendo. Atque ita per uenerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio: In homine mortis, in deo resurrectionis, in rege iudicij. Quod uero repetere iter atqꝫ ad Herodem in Iudæam redire prohibentur, nihil à Iudæis petere scientiæ cognitionisqꝫ permittimur, sed in Christo salutem omnem & spem locantes, admonemur prioris uitæ itinere abstinere.

Diuus Irenæus de Magis in hanc sententiam scribit: Vnus & idem deus, qui à prophetis prædicatus est, & ab angelo annunciatus, & huius filius, qui ex fructu uētris Dauid, id est, ex Dauid uirgine, & Emanuel, cuius & stellam Balaam quidem sic prophetauit: Orietur stella ex Iacob, & surget dux in Israël. Matthæus autem Magos ab oriente uenientes ait dixisse: Vidimus enim stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum. Deductosqꝫ à stella in domum Iacob ad Emanuel, per ea quę obtulerunt munera ostendisse, quis erat qui adorabatur, Myrrha quidem, quòd ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur & sepeliretur: Aurum uerò, quoniā rex, cuius regni finis nō est: Thus uerò, quoniā deus, qui & notus in Iudæa factus est, & manifestus eis, qui non quęrebant eum. Historia Tripar. lib. iij. cap. ij. uerba de Magis hæc habet: Magi religionem Persarum ueluti quædam sacerdotalis tribus per successionem generis ab initio commissam habere noscuntur.

Io. Chrysostomus super Matth. cap. ij. uocat Magos illos barbaros & Persas. Tanti, ait, regis natiuitas Persarum regem ad se ortu suo triumphante traxit, &c. Idem ibidem dicit Magos istos nō simpliciter barbaros, sed illis longè, utiqꝫ sapientiæ dignitate pręstantes, &c. De donis Ioannes Chrysostomus sic cōcionatur: Munera suppliciter offerebant, quæ tamen plurimum & à Iudæorum more distarent, & ecclesiasticæ philosophiæ conuenirent, Siquidē scientiam illi obedientiamqꝫ & charitatem figuraliter offerebant.

Diuus Hieronymus lib. vij. in Esaiam: Magi, inquit, ab oriente docti à dæmonibus, uel iuxta prophetiam Balaam intelligentes natum filium dei, qui omnem artis eorum destrueret potestatem, uenerunt Bethleem, & ostendente stella, odorauerūt puerum, &c. Idem Hieronymus in Ezechiel. prophetā, cap. ij. Magi qui de singulis philosophantur, &c. Mox: Cōsuetudo autem & sermo communis, magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo ꝙ sint philosophi Chaldæorum, & ad artis huius scientiam reges quoqꝫ & principes eiusdem gentis omnia faciunt. Vnde et in natiuitate domini saluatoris ipsi primū

ortum

ortum intellexerunt, & uenientes in sanctam Bethleem, adorauerunt puerum, stella desuper ostendente.

Episcopus Thaurinensis Maximus nomine, in serm. de Epiphania, uocat Magos Chaldæos. Idem de Magis sic: Et bene charissimi uno itinere tres simul adoraturi ueniunt Magi, &c. Cremonensis Platina sic ait: Magos quidam orientales reges suos & sapientes appellant. Atque huc accedit, quod Serm. vij. August. de natali dom. legitur, Chaldæos puerum Iesum regijs muneribus honorasse.

Scribit idem Augustinus de Magis etiam, lib. iiij. de symbolo ad catechumenos, cap. iiij. Et de Trinit. lib. iiij. cap. xij. Quo loco docet, nos ad exemplum Magorum, per aliam uiam in patriam cœlestem redire, Nempe per eam uiam, quā monstrat rex humilis, quamq́ rex susperbus obsidere non possit. Serm. j. in Epiphaniam leguntur hęc uerba: Triplicium munerum triplex significatio continetur. In thure obtulerunt Dei honorem, in auro regiam dignitatem, in myrrha corporis sepulturam. Offeramus ergo et nos dilectissimi fratres syncera et sancta munera deo nostro, castitatem, fidem, patientiam, charitatē, mentes humiles, mores probos, animas deo inhabitare dignas. Hæc sunt enim placita deo dona, hæc grata munera, quæ Deo quidem offeruntur, sed offerentibus prosunt. Nullo enim munere ille eget: sed hoc illi munus optimum est, ut causas habeat munerandi. Paranæsim quoq; ex Ioan. Chrysost. libet adiungere: Imitemur igitur nos saltem deuotionem Magorum, ueroq́ amore philosophiæ barbaram consuetudinem subiungemus, longo itinere curramus, ut Christū uidere mereamur. Nam & illi nisi procul regionem propriam reliquissent, nequaquam utiq; Christum uidere potuissent. Recedamus igitur à terrenis negocijs & curis. Etenim Magi illi cum adhuc morarentur in Perside, stellam uidêre tantūmodo: quia uerò à Perside recesserunt, solem iustitiæ ipsum aspexêre, qui certe, nec stellam quidem ipsam tamdiu uidere meruissent, nisi cito à Perside fuissent profecti. Surgamus ergo & nos, & licet omnes resistant, nos tamen alacres & prompti ad pueri accurramus domū. Et si rex, & si populus, & si tyrannus huius uelint cursum itineris impedire, nequaquam tamē accensi desyderij extinguamus ardorem. Sic enim omnia aduersa calcabimus, quoniam & illi nisi uidissent puerum, nec periculum, quod à rege intentabatur, uitassent. Prius enim q̄ puerum cernerent, undiq; illis opponebantur timores, conturbationes, atq; discrimina. Postquàm uero adorarunt, securitas et tranquillitas consecuta est. Nec iam stella eos, sed angelus suscipit, quia scilicet adorando facti fuerant sacerdotes, cū supplicatione etiam muneribus oblatis. Quin nos & S. Ambrosius adhortatur ad imitationem Magorum, sup. Lucam cap. ij. dicens: Quæ sunt ista ueræ fidei munera? Aurū regi, thus deo, myrrha defuncto, &c. Nos quoq; qui hæc audimus & legimus, de thesauris nostris talia fratres munera

nera proferamus. Habemus enim thesaurũ in uasis fictilibus, &c. Stella haec uia est, & uia Christus: quia secundum incarnationis mysterium Christus est stella. Orietur enim stella ex Iacob, & exurget homo ex Israël, &c. Num. xxiiij. Citat S. Ambrosius historiam, quae doceat Magos à Balaam genus ducere. Vocat illos Chaldęos peritos in numeris, & qui Magicis artibus conciliandae sibi diuinitatis studium impenderint, &c.

D. Cyprianus facit Magos Arabas & incolas Sabba. Paulò post sic differit de Magis: Erant in illis regionibus uiri syderum inspectionibus assueti, qui arte mathematica uim discursumq́ planetarum nouerant, qui ex elementorũ natura rationem temporũ metientes, astrorum ministeria certis experimentis proprijs didicerãt effectibus assignata. Hi ex uaticinijs Balaam olim audierant, stellã oriri in Iacob, &c. Diu homines illi huius prophetiae prouentũ expectarant: & ubi uenit plenitudo temporis, orto repente nouo sydere, ad antiqua uolumina recurrentes, tam testimonio muniti, quàm signo, Dromadis inuecti in Iudaeã stella duce peruenerunt, &c. Mox: Ecce alienigenę à fluminibus Æthiopię ad paruulum Christum supplices ueniunt, &c. Item: In auro regem, in thure sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis passibilem profitentur.

Idem Cyprianus: Adorato Domino, Magi hilares alio tramite in suã patriam reuertuntur: quia necesse est, ut qui ad iustitiam, ore etiam confessi sunt ad salutem, deinde uias eligant arctiores, & se districtioribus mandatis obligent, quoniam per uias latas descensusq́ praecipites itur ad inferos: per arctas uero & difficiles reditur ad superos, &c. Mox: Arcta uia est castitas, trames strictus humilitas: ieiunio affligi, & carnem in seruitutem redigere: Scopulosae sunt semitae, sed ad patriam superiorem nõ nisi per meatus difficiles armati milites reuertunt. Haec Cyprianus. Si cui libet, legere poterit D. Hierony. in lib. de uera Circũcisione, ibi de Magis Orientalibus, deq́ oblatis ipsorum donis agitur. Histor. Tripart. lib. x. cap. xxx. scribit Theodoretus, Magos à Persis eos dici, qui elemẽta deificant. Raphaël Volaterranus lib. xvij. Anthropologię: Magi tres ex Oriente fuêre, Gaspar, Melchior, & Balthasar, quorũ corpora in ciuitate Coloniensi. Platina in Alexandro iij. de sepulchro Magorum refert: Federicus autem tyrannica potestate usus, direpta Dertona & Mediolanũ solo aequauit: unde translata Magorum corpora Coloniam tum crediderim à Rodulpho Coloniensium Archiepiscopo, &c. Anthon. Sabellicus lib. ix. de Magis ita memoriae tradidit: Pari miraculo tres illi qui ab oriente uenerũt Magi, ut Christum nuper natũ adorarent, intempesta nocte moniti, ne ad Herodem redirent, quem Hierosolymis conuenerant, rati (quod erat) coeli numen interesse ijs, quae fierent, ab hospitali urbe diuersi domum abierunt: sed in nulla re sacrae literae pluribus scatent exemplis. Nam quotusquisq́ religionem adijt, qui non aliquo instructus oraculo uisus sit sibi diuinę uoci, nõ no-

cturnæ imagini obtemperare? Petrus Comestor in historia Scholastica erubescendum in modum delyrat, quem secutus est Petrus de Natalib. circa nomenclaturam Magorum, dum autumant Latina esse nomina, Caspar, Melchior, Balthasar: Quæ Hebræis dicantur Apellius, Amerius, Damascus: Græcis uerò Galgalath, Malgalath, Sarachin. Stupendam inscitiam. Sed isti temporum infelicitati uenia danda est. De translatione Magorum ex Mediolano in Coloniensem ciuitatem, opera Reinaldi Coloniensis Episcopi, uide Albertum Krantz in sua Saxonia, lib. vj. cap. xxiiij.

TELESPHORVS I. PONT. ROM.

Ex Platina. Telesphorus natione Græcus ex patre Anachoreta, Antonini Pij temporibus fuit, cuius quidem imperatoris paternum genus è Gallia Cisalpina originem habuit. Imperauit autem cum filijs, Aurelio & Lucio annis II. ac uiginti, mensibus tribus, tanta cum modestia & benignitate, ut merito Pij cognomentum adeptus, ac pater patriæ appellatus. Nulli enim unquam tum priuatim, tum publice acerbus fuit, aut in redimendis pecunijs, aut exactione tributi, quod quidem interdum ita remisit, ut cautionibus incensis omnium debita relaxaret. Quid plura de hoc principe dicam? qui religione, pietate, gratia, humanitate, clementia, iustitia, modestia cum Numa Pompilio bonorum omnium sententia comparari potest. Is præterea cum Tyberis inundatione plurima Romæ uexasset ædificia, tum priuata, tum publica, sua impensa ciues in restituenda urbe liberalissime iuuit. Tarracinensem quoque & Caietanum portum miris operibus, ut nunc etiam apparet, restituit, eius quoque impensa erectam esse columnam illam cochleam putarim, à qua urbis celeberrima regio nomen accepit. Thelesphorus autem quem diximus Sixto successisse, constituit ut septem hebdomatibus ante pascha ieiunium obseruaretur, utque in natali Christi noctu tres missæ celebrarentur: prima in dimidio noctis, quo Christus in Bethleem nascitur, secunda illucescente aurora, quando à pastoribus cognitus est, tertia eadem hora diei, qua nobis dies redemptionis & ueritatis illuxit, cum omni reliquo tempore ante horam tertiam celebrare interdictum esset, qua hora dominus noster in crucem ponitur, ut Marcus ait. Constituit item ut ante sacrificium hymnus ille caneretur: Gloria in excelsis Deo. Huius temporibus multum elaborauit pro fide Christi Iustinus philosophus ex Neapoli urbe Palæstinæ, qui & Antonino Pio principi ac filijs eius librum dedit contra gentes scriptũ, et dialogum contra Tryphonem principem Iudæorum habuit. Inuectus est & in Marcionem, qui Cerdonis dogma secutus, alterum bonum, alterum iustum dominum asseruit, tanquam duo contraria principia creationis

& bonita-

& bonitatis. Impugnauit & Crescentem Cynicum, ut gulosum, mortis timidum, luxuriæq́ ac libidinum appetentissimum, Christiq́ blasphemum, cuius insidijs ad extremum circumuentus, pro dignitate Christiani nominis sanguinem fudit. Hunc autem Iustini hostem non philosophum fuisse, sed philopompum, id est, amatorem arrogantiæ, scribit Eusebius. Eodem quoq; tempore inualuisse Valentinianam hæresim constat. Hi quidem Valentini cuiusdam Platonici sectatores, dicebant Christum de corpore uirginis nil sumpsisse, sed per eam tanq; per fistulã quandã puerum transisse. Photinus autẽ tum Lugdunensis episcopus, uir certè singularis uirtutis & doctrinæ (ut ait Isidorus) iam nonagenarius martyrij coronã constanti animo perpessus est. At uerò Thelesphorus cũ ordinationes quatuor mense Decembri habuisset, creassetq́; presbyteros quindecim, diaconos octo, Episcopos tredecim, martyrium subiens, apud beati Petri corpus in Vaticano sepelitur. Sedit annis undecim, mensibus tribus, diebus XXII.

REMIGIVS EPISC. REMENSIS.



Vir pius, nec indoctus Remigius, Gallus extitit, Galliæ suæ unica gloria. Hoc enim Euangelij prædicatore, natio nobilissima, Christum cognouit, idq́; Clodouei Quarti Gallorum regis ætate, circa annum domini ccccxc. Eodem tempore floruit quippe Remigij Synchronus Vedastus Atrebatensis Episcop. qui Thaumaturgiam per Christi nomen exercuisse legitur. De utroq; Episco. scribit Robertus Ganguinus lib. j. de gestis Francorũ, narrans qua occasione Clodoueus rex gentilis etiamdum per uxorem suam Crotildem Christianam ad Christum inuitatus fuerit. Inter alia sic scribit: Pertinaci autem in errore Clodoueo bellum in Alemannos instauratur. Constitutis in conspectu utrinq; exercitibus, manus conserunt. Pugnatum cum diu esset, Francis cedentibus timet sibi Clodoueus, cœlumq́; suspectus: Deus, inquit, quem Crotildis religiose ueneratur, audi: Si uicero, fide te perpetua colam. Vix preces finierat rex, ecce alacres Francos prælium redintegrare conspicatur, quibus animum ipse quoq; adijciens, rege Alemanno perempto, uictoria potitus est, & Alemannis lex posita. Victorem etiam credulum Christo regem Vedastus qui Tulli aderat, & qui postea Atrebati pontificatum administrauit, secutus est, cui rex crudelitatis & fidei suæ rationem enarrauit: Crotildis credenti Clodoueo gratulata, Remigium pontificem nihil morata conuenit, atque ad Clodoueum introducit, quem ad se admissum rex diligenter audit de fide & Christi religione differentẽ. Dies abluendo regi indicitur, parato, ingenti ornatu lauacro, cum sacrosanctũ oleum, quo liniri ritu Christiani qui abluuntur, solent, siue ministrorum incuria, siue hoc agente Deo allatum non esset, ecce de superis delapsa columba, phialam quam

Georg. Vuicel.

ampullam uocāt, odoratiſſimi liquoris oppletā ad manus Remigij detulit. Creditum eſt ſpiritus Dei miniſterio id perpetratum eſſe. Eo liquore B. Clodoueus primū, poſteri deinceps Francorum reges hactenus regnum adminiſtraturi ſacrantur. Miniſterio ablutionis expleto, Clodoueus ad circumſtantem nobilitatem populumq́ breui oratione habita, ſuadet aſpernari falſam deorum religionem, & eius fidem profiteri, qui Chriſtus appellabatur, & Dei filius eſſet, quo autore hoſtem Alemannum, inquit, ſuperauimus. Regis oratione perculſis Francorum animis, Chriſtum profeſſi abluti ſunt.

HAEC S. REMIGIVS DE CLODOVEO REGE
ad Religionem Chriſtianam conuerſo.

Diues opum, uirtute potens, clarusq́ triumpho
Condidit hanc ſedem rex Clodoueus. & idem
Patricius magno ſublimis fulſit honore.
Plenus amore Dei contempſit credere nullo,
Lumina qui uarijs horrent portenta figuris.
Mox purgatus aquis & Chriſti fonte renatus
Fragrantem geſſit infuſo chriſmate crinem.
Exemplumq́ dedit, ſequitur quod plurima turba
Gentilis populi, ſpretoq́ errore ſuorum
Doctorem cultura deum uerumq́ parentem
His fœlix meritis ſuperauit geſta priorum.
Semper conſilio, caſtris, bellisq́ tremendus
Hortatu dux ipſe bonus ac pectore fortis,
Conſtructas acies firmauit in agmine primus.

HILARIVS EPISCOPVS.

Ex S. Hieronymo.



Hilarius urbis Pictauorum Aquitaniæ epiſcopus, factione Saturnini Arelatēſis epiſcopi, de Synodo Piterenſi, Phrygiā relegatus, duodecim aduerſus Arianos confecit libros. Et aliū librum de Synodis, quem ad Galliarum Epiſcopos ſcripſit. Et in Pſalmos cōmentarios, primū uidelicet, ſecundū, & à quinquageſimoprimo uſq́ ad ſexageſimum ſecundum, & à centeſimo decimooctauo uſque ad extremum: in quo opere imitatus Origenē, nonnulla etiam de ſuo addidit. Eſt eius & ad Conſtantium libellus, quem uiuenti Conſtantinopoli porrexerat. Et alius in Conſtantium, quem poſt mortem eius ſcripſit. Et liber aduerſum Valentem & Vrſatium, hiſtoriam Ariminenſis & Seleucienſis ſynodi continens. Et aduerſus præfectum Saluſtium, ſiue contra Dioſcorum, & liber Hymnorum, & myſteriorum alius. Et commentarij in Matthæum: & tractatus in Iob, quos de Græco Origenis ad

nis ad sensum transtulit: & alius elegans libellus contra Auxentium: & nonnullae ad diuersos epistolae. Aiunt quidam scripsisse eum & in Cantica canticorum, sed à nobis hoc opus ignoratur. Mortuus est Pictauis, Valentiniano & Valente regnantibus.

DE EODEM HILARIO.

NVnc in genere de laudatissimi uiri dotibus pauca libabimus. Ac primum de uitae sanctimonia, quid attinet dicere, quum authoritas Ecclesiastica iam olim eum diuorum catalogo ascripserit? Quanquam alioqui & omnes uiri libri mirum quendam pietatis ardorem spirant. Quanta uerò fuerit nominis illius autoritas, uel hinc licet coniicere, quòd diuus Hieronymus, qui penè contempsit Augustinum, nec ita multum tribuit Ambrosio, toties tanta cum ueneratione citat Hilarium, alibi uocans eum orbis Deucalionem, alibi Latini sermonis tubam, alibi Latinae eloquentiae Rhodanum appellat: nec uno in loco aduersus calumniantes, quòd Origenicis uteretur, huius exemplum ueluti clypeum obiicit, cui plenissimum testimonium reddit in Epistola quadam ad Marcellam: Tantum, inquit, uirum, & temporibus suis disertissimum, reprehendere non uideo, qui & confessionis suae merito, & uitae industria, & eloquentiae claritate, ubicunque Romanum nomen est, praedicatur. Quid hoc elogio plenius? Nec minus honorifice meminit eius in commentarijs, quibus enarrat Esaiam: Sanctus, inquiens, & eloquentissimus martyr Cyprianus, & nostri temporis confessor Hilarius, nònne tibi uidētur excelsae quondam in saeculo arbores ędificasse Ecclesiam Dei? Quin & diuus Aurelius Augustinus, non sine praefatione honoris autoritatem Hilarij citat, in libris de Trinitate. Erasmus Roterod.

Fuit item alius Hilarius Aretij ortus, Donato Episcopo perquam familiaris. Qui Hilarius, dū daemonibus sacrificare nollet, Quadratiano praeside, in ciuitate Ostiensi martyrij coronam accepit. Hilaris Hilarius ob Christi Euangelium passus est, qui in fide & charitate eiusdem Christi domini nostri hilaris peregerat omne bonorum operum genus. Georg. Vuicel.

BASILIVS MAGNVS EPISCOPVS.

CVm Magni Basilij uiri sanctissimi pręconijs mea penè omnia scripta sint referta: ipsumque dum uiueret, & admirari, et in honore summo habere nunquam destiterim, hoc sanè tempore quando excessit, uberiòres à me laudes expostulari proculdubiò uidentur, quum defunctorū memoria, pręsertim excellentissima uirtute pręditorū, non solum ab amicis, sed etiam alienis cōmendari, maxima sit pietas, &c. Reliqua ex Monodia Gregorij Nazianzeni requirat lector. Greg. Nazi.

Ex uitis Patrum.

❡ Basilius solus, ut sic dicam, in terra æqualem & decentem osten dit uitam operibus et uerbis diuina sapientia uitam componens, omnia Christo dans, scilicet & animam atque corpus, nec non sermonũ manus quidem gentilem errorem sicut araneæ telam dirupit. Hic septennis factus, datur à genitoribus literis, uacans autem doctrinis quinquennio fructum acquisiuit multam philosophalem disciplinam dulcedini naturæ, deinde relinquens patriã (Capadocus eñ erat natione) appræhendit matrẽ uerborum Athenas: castitate & multa abstinentia decoratus adijt præceptorẽ Græcorũ sapientię, nomine Eubolum, & sic seipsum dedit doctrinis admirandis, etiã & magistris, factique sunt ipsius cõscholastici, Gregorius Magnus Nazi. postea factus est episcopus, qui Apostolicæ sedis gubernacula in duo & decem annorum gubernauit tempora, Iulianus etiam à puero Christianus, atque Libanius. Is autem ab omnibus uir admirãdus posuit in corde suo, nihil sumere panis & uini, donec superna prouidentia intellexerit diuinæ sapientiæ archana. Morans quoque in doctrinis quinque & decem annis, omnemque Græcalem philosophiam percurrens, in fine astronomiam, ac optima quæque colligens, & nullatenus inuenire ualens per ipsa omnia creatorem in una noctium uigilante eo diuinitus quidem splendor fidei accendit, eum perlustrare totius religionis scripturam. Surgens ergo abijt in Ægyptum. Et accedens uni archimandritarum, Porphirio nomine, supplicauit sibi dari libros sacros ad cõprehensionem diuinorũ dogmatum. Quod consecutus mansit ibi delectans meditationi diuinorum sermonum, & aqua & herbis se enutriens. Annuali uero tempore ibidem commorans, & uerbum ueritatis fide considerans permansit, scrutans ueritatis sermonem. Sicque postulauit, se dimitti Hierosolymam orationis gratia, et quę ibi sunt uidendi miracula. Iam autem superorans illum dimisit eum. Veniens nanque ubi Græcorum philosophiam didicit, cepit persuadere multis philosophis & multitudini gentiliũ, atque afferre Christo, ostendens eis uiam salutis, quęrebat nihilominus & suum præceptorem Eubolũ, qui erat opinatissimus uerbi, ad retributionem in ipsum laboris afferre immaculatæ fidei, sicut se bene currentem ad eam, omnes etiam eum sicut magistrum sequebantur, qui philosophiam sectabantur. Quærens autem illum per omnia auditoria, inuenit illum in suburbano conquerentem in sermone cum cæteris philosophis. Hoc enim erat apud illos, festinabatur aut dici quid, aut audiri plus noui: disputante ergo eo, reprehendit eum superueniens Basilius. Et hi qui cum illo erant, reprehendit quis (inquiunt) te, ô philosophe. Ipse aũt ait: Aut deus, aut Basilius. Recognoscens igitur Basilium, coessentes sibi dimisit Eubolus, & cohęret Basilio, tribusque diebus incibati permanentes, conquerebantur ad inuicem. Interrogauit ergo Eubolus Basilium, dicens: Quę est diffinitio philosophię? Qui ait: Prima diffinitio philosophię est meditatio mortis.

Ille

Ille admirans dixit: Quid est mundus? Qui ait: Quid est super mundũ? Et dulces quidem sunt mundi sermones, amarus autem ualde ille mundus, qui eum continet uitiose. At altera est uoluptas corporis, & altera incorporeę naturæ, & simul hæc coesse cuidam non de licitis est. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Veruntamen ut uirtus est, frangimus esurientib. panem scientię, & per maliciã infectos pro uirtute ducimus sub tectum. Si autem & nudum uidemus, circumamicimur, & ut proprij germen seminis non despicimus. Hæc dicens, & exacuens eum parabolice, Saluatoris quæ erga nos est clementia, per pœnitentiã tres cathinos menti proposuit in uestibulum cogitationis. Superliminare quidem portarum, uirtutem adducentem prudentiã, uirilitatem, iustitiam, castitatem: quæ autem sinistra parte suasionem, in utraq; uero parte eius intemperantiam, libidinem, ebrietatem, impudicitiam, segnitiem, criminationem, lingositatem, incantationẽ, & quoddam talium examen, pœnitentiam aũt decenter stantem, intrementem, subridentem, lenem, aduersarios quidẽ increpantem, propriorum aũt indigentem populorũ, iuxta eam uero abstinentiam, intellectum, lenitatẽ, uenerabilitatẽ, timorem, clementiam, & multorum bonorum plebem: ipsius historiæ mens diuina cautela, audientibus aũt zelorum meliorẽ occasio. Hæc ego ipse uidens benigne factus sum, & isto ductus sum ô Eubole. Sunt enim in nobis non imagines, neque ęnigmata, sed ipsa plane ueritas ducens ad salutem. Resurgemus enim omnes, hi in uitam æternam, & hi in opprobrium & confusionem æternam, & astabimus tribunali Christi, sicut docent nos magni uocibus prophetæ, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, & Dauid rex, atq; diuinus Paulus illos. Ipse enim pœnitentiæ doctor, & ipsius retributionis dominus, qui ouem quæsiuit perditam, & apostatam puerum ex patris sinu cum multis diuitijs & seipsum prodige consumentem, & postea reuertentem fame afflictum sincere amplexatus est, & ueste splendida ornauit, ac annulo induit precioso, suadetq; peccanti puero seuienti, sicut fratri indulgentiam dare. Iste in inuido dominus præualens benignitate, qui æqualem mercedem circa undecimã horam uenientibus tribuit, & nobis pœnitentibus, ac suscipientibus ex aqua & spiritu sancto regenerationem, dabit enim, quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit deus diligentibus eum. His ex sensu factus Eubolus dixit: O Basili cœlestis demonstrator trinitatis, per te credo in unũ deũ, patrẽ omnipotentem, & deinceps usq; expectans resurrectionem mortuorum, & uitam sæculi futuri, Amen. Ego autem in hoc quæ in me est ostendi tibi, quia omnia quæ mihi sunt, in manus tuas dans, reliquum tempus uitæ meæ tecum ero, si placitum in conspectu domini fuerit, suscipiens ex sancta aqua & spiritu regenerationem. Basilius dixit: Benedictus Dominus deus noster amodo & usq; in sęculum, ô Eubole, qui splenduit

lucem

lucem ueram in mente tua, & transtulit te de multimodo errore in agnitionem ipsius misericordiæ: quia uero ut dixisti mihi coësse uis, ostendã tibi, quomodo saluti nostræ prouideamus, uinculis istius uitæ nos liberantes: uenundemus omnia, quæ nobis sunt, & demus indigentibus, & sic in sanctam ciuitatem abeamus ipsi uisuri quæ sunt ibi miraculorum, & apud deum acquiramus fiduciam: & sic uterq; quę eorũ erant dispensantes ad sanctum baptisma indumenta tantum ex ipsis ementes, Hierosolymam ibant, conuertentes ad deum gentilium multitudinem magnam.

Appræhendentes autem Hierosolymam, & omnem locum sacrũ fide & amore requirentes, & ipsis locis qui est super omnia deum adorantes, manifesti fiunt episcopo ciuitatis nomine Maximino: & se ei prosternentes postulabant consequi regenerationem in Iordanis fluuio diuinam. Quos uidens idem uir sanctus, plenus cum esset benignitate, adimpleuit postulationem eorũ, & simul cum fidelibus uiris uenit ad Iordanem. Basilius autem iuxta ripam factus proiecit se in humũ, & cum lachrymis & clamore forti postulabat signum reuelari eius fidei. Resurgensq; cum tremore despoliauit se uestimentis suis, & cũ ipsis uerè uetusto homine, & descendens in aquã orabat. Descendens aũt sacerdos baptizauit eum. Et ecce fulgur ignis uenit super eos, & columba ex eodem fulgure uenit in Iordanem, & turbans aquas reuolauit in cœlum. Astantes autem in tremore facti glorificauerunt deum: baptizatus uero Basilius exiuit de aqua. Admirans quoq; Maximinus episcopus Basilij in deum dilectionẽ, orans uestiuit eum resurrectionis Christi indumentis: baptizauit aũt & Eubolum, atq; ungens eos sancto crismate, tradidit illis uiuificam cõmunionem: postulauitq; Basilium Dei sacerdos per orationem sumere cibum, quod & fecit, dicens: Iesu Christe deus noster credo Euangelicæ tuæ uoci, & spero in tua benignitate comedens & bibens contra egredientem nobis diabolum cooperationem nobis sancti spiritus fieri. Stupẽs uero sacerdos dei in fide eius, reuersus est cum ipsis in sanctam ciuitatem. Annali autem tempore inibi commorantes, communi sententia uenerunt Antiochiam, & ibi gradum dyaconij suscepit.

Conuenientes ergo cœtus Episcoporũ sancti spiritus cooperatione elegerunt Basilium ad Episcopatus sedem, & consecratus gubernabat Ecclesiam Dei prouidentia. Post quoddam autem tempus postulauit deum, ut daret illi gratiã & sapientiã atq; intellectũ, proprijs sermonibus offerre in sanguineum sacrificiũ, & illi uenire super eum sancti spiritus aduentum. Post dies uero sex sicut in extasi factus, propter aduentum sancti spiritus septima die appręhendẽte, cœpit ministrare deo per singulos dies: & post aliquod tempus fide & oratione cœpit ꝓpria manu scribere ministrationis mysteria: atq; in una nocte adueniens ei Dominus in uisione cum Apostolis, propositionem panis faciens in sancto

altari

altari excitauit Basilium, dicens ei: Secundũ tuam postulationem repleatur os tuum laude, ut per proprios sermones offeras mihi sanguineum sacrificium. Qui non ferens oculis uisionem, surrexit cum tremore. Et accedẽs ad sanctum altare cœpit dicere, scribens in charta sic: Repleatur os meum laude, ut hymnum dicat gloriæ tuæ domine deus, qui creasti nos, & adduxisti in uitam hanc: & cæteras orationes sancti ministerij. Et post finem orationum exaltauit panem sine intermissione orans, & dicens: Respice domine Iesu Christe Deus noster ex sancto habitaculo tuo, & ueni ad sanctificandum nos, qui sursum patri tuo cõcedes & hic nobis inuisibiliter coẽs, dignare potenti manu tua tradere nobis, & per nos omni populo tuo sancta sanctis: populus respondit, Vnus sanctus, unus dominus noster Iesus Christus, cum sancto spiritu in gloria dei patris, Amen. Et diuidens panem in tres partes: una quidem communicauit timore multo: alteram autẽ reseruauit consepelire secum: tertiam uero imponens columbæ aureæ, quæ pependit super altare. Eubolus siquidem & cleri principes stantes ante portas templi, uiderunt lucem intelligibilem in templo, & uiros gloriosos candidas uestes habentes, & audientes uocem populi glorificantis deum: Basiliumq; cernentes altari astantem, stupefacti in uisione ceciderũt in facies suas, glorificantes deũ. Exeunte autem Basilio, prostrauerunt se ad pedes eius. Interrogauit autem causam adorationis & præsentiæ eorum, qui retulerunt ei admirabilem uisionem, quam uiderunt in templo. Tunc Basilius gratias agens sine intermissione domino propter eius admirabilia: uocauit aurifabrũ, & fecit columbã ex auro puro, atq; in ipsam deposuit, ut diximus, portionem, pendens eam super sanctam mensam in figura illius sanctæ columbæ, quæ apparuit ei in Iordane domino baptizato. Hoc autem facto, exorsus est sermonem consolationis dicere ad populum. Et cõgregata est multitudo infinita in ecclesia, inter quos erat & magnus abbas Effren, de quo postea narrabimus, quomodo ex diuina ostensione uisor factus est beatissimi patris nostri Basilij.

Diuinum quidem ministerium illo agente, Hebræus quidam se, sicut Christianus, populo commiscuit, officij ministerium & muneris explorare uolens, uidit infantem partiri in manibus sancti Basilij. Et cõmunicantibus omnibus, uenit & ipse Hebræus, dataq; est ei hostia uera caro facta. Inde accedit ad calicem sanguine repletũ, & ipsius factus est particeps, atq; de utrisq; seruans reliquias, abiensq; in domum suam, ostendit uxori suæ ad confirmationem dictorum, & narrauit quæ proprijs oculis uiderat. Credens ergo ut uere quia horribile & admirabile est Christianorũ mysterium, in crastino uenit ad Basilium, postulans se sine dilatione accipere, quod in Christo est signaculum. Basilius autem sanctus non deferens, sed consuetam Eucharistiam uolenti omnes saluare offerens, baptizauit eum cum omni domo sua credente Domino.

S Claudius

Claudius autem ipsius sanctissimæ memoriæ uisor & minister factus ab eo perfectorum miraculorum, & successor sedis post obitũ iam dictæ memoriæ Apostolicę Basilij, uir mirabilis, & omni uirtute decoratus, enarrauit mihi, quia senator quidam fidelis, nomine Protherius, abijt ad sancta & uenerabilia loca, & ibi filiam suã consecrare, ac in uno de bene actionalibus domibus monasteriorum mittere, atq; sacrificium deo offerre uolens. Sed ab initio homicida diabolus inuidẽs diuinę uoluntati, mouit unum de seruis suis, & incendit ad puellæ amorem. Is aũt cum fuisset huiusmodi inchoationis indignus, & non audens appropinquare ad propositum, alloquit̃ unum abominandorũ incantatorũ, promittens se, si meruerit dominari ipsius puellæ, multam auri tribuere ei quantitatẽ. Maleficus uero dixit ad eum: Homo, ego in istud non præualeo, sed si uis, mitto te ad meum procuratorẽ diabolum, & ipse perficiet uoluntatem tuam. Qui ad eum: Quæcunq; dixeris mihi, faciam. Et ait ad eum: Abrenuncias Christo in scripto. Dixit ei: Etiam. Iniquitatis autem operator dixit ei: Si in isto paratus extiteris, cooperator tibi fiam. Qui ait ad eum: Paratus sum, tantum ut consequar meum desiderium. Et faciens malignitatis magister epistolam ad diabolũ, misit eam ad illum, habentem sensum istum: Quoniamquidẽ mi domine & procurator oportet me à Christianorum religione abstrahere, & tuæ adducere uoluntati, ut multiplicetur pars tua, misi tibi hunc, qui præsentes meas defert literas, cupiditate in puellã exarsum, & postulo eum actionem istam consequi, ut & in isto glorier, & cum multa alacritate congregem placidiores tuos. Et dans epistolam dixit: Vade secundũ talem horam noctis, sta super monumentũ gentilis, & exalta chartam in aëre, & astabunt ibi qui debent te ducere diabolo. Qui alacriter hoc faciens, iactauit miserã uocẽ, inuocans diaboli auxiliũ. Et cõtinuo astiterũt ei principes potestatis tenebrarũ, spiritalia nequitię & apphendentes errantem cum gaudio magno duxerunt eum ubi erat diabolus. Et ostenderunt ei ipsum sedentẽ in sede alta, & in circuitu eius malignitatis spiritu stantis. Et suscipiens missas à maleficio literas dixit ad miserum: Credis in me? Qui ait: Credo. Et abnegas Christum tuum? Qui respondit: Abnego. Dixit ei diabolus: Perfidi estis uos Christiani, & quandoquidem me opus habetis tunc uenitis ad me, quando autem consequimini desiderium uestrum, negatis me, & acceditis ad Deum uestrum, qui est benignus ac clementissimus, & suscipit uos: sed fac mihi manuscriptam Christi tui & baptismatis abrenunciationem uoluntariam, & quæ in me est in secula uoluntariam professionem, & quia mecum sis in die iudicij, condelectans mihi & in præparatis æternis tormentis, & ego statim desyderiũ tuum adimplebo: Qui disposuit propriã manuscriptam sicut quæsitus fuerat. Statim autem animarũ corruptor draco tortuosus misit illos qui sunt super fornicationem dæmones, & inflãmauerunt

puellam

puellam in amore iuuenis. Quæ proijciens se in terram, cœpit clamare ad patrem: Miserere mei, miserere mei mi pater, quia dire torqueor propter talem puerum nostrum, miserere uisceribus tuis, ostende in unigenita tua paternũ amorem, & coniunge me puero nostro, quem amo: si autem non uis hoc facere, uidebis me post modicum amara morte morientem, & sermonẽ dabis pro me Deo in die iudicij. Pater autem eius cum lachrymis dicebat: Heu mihi peccatori, quid conuenit miseræ filiæ meæ? Quis meum thesaurum furatus est? Quis meam inquinauit filiam? Quis dulce lumen oculorum meorum extinxit? Ego cœlesti te uolebam nubere sponso Christo, & Angelorum cohabitatricem constituere, & in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus Deo canere festinabam, & per te saluari sperabam, tu autem in amorem lasciuitatis insanisti: Sine me sicut uolo desponsare te Deo, ne deducas senectutem meam cum tribulatione ad inferos, neq; nobilitatem parẽtum tuorum confusione operias. Illa autem pro nihilo reputans, quæ à patre dicebantur, instabat & clamabat: Pater mi, pater mi, aut fac desyderium meum, aut post morientem me uidebis. Pater ergo in magna defectione factus ac immensurabilitate tristitiæ absorptus, ac amicorum consilijs credulus, hortantium ei deferre uoluntatem eius, aut seipsam exponere, concredens pater præcepit fieri desyderium puellæ, ne exitiali se traderet morti. Et adduxit quæsitum puerũ ac propriam filiam, dansq; ei omnẽ substantiam suam, dixit filiæ suæ: Vade filia uere misera, multũ enim planges pœnitens in nouissimo, quãdo nihil habes proficere. Iniquo ergo coniugio facto & diabolica facinorositate complecta, ac modico transeunte tempore, signatus est à quibusdam puer, non introire ecclesiam, neq; appropinquare immortalibus & uiuificis mysterijs, & dicunt miseræ coniugi eius: Scis quia uir tuus quem elegisti, non est Christianus, sed peregrinus fidei & alienus: tenebrarũ & dolorosæ plagæ repleta, prosternit se in humum, & cœpit discerpere seipsam ungulis suis, & percutere pectus ac clamare: Nemo non obediens parentibus saluus fuit unquam. Quis annunciabit patri meo meam confusionem? Heu mihi miseræ, in quantam profunditatem perditionis descendi: Cur nata sum, & nata continuo rapta non fui? Ista ergo lamentari eam discens erratissimus uir eius accurrit ad eam, contendens, non haberi ita ueritatem. Illa autem in consolationem ueniente suadilibus eius sermonibus, dixit ad eum: Si uis mihi satisfacere, & miserere animæ meæ, crastino ego et tu unanimiter eamus ad ecclesiam, & coram me participa incontaminatorum mysteriorum Christi, & sic satisfacta ero. Tunc coactus dixit ei sententiam capituli. Continuo deponens illa muliebrem infirmitatem, & consilium bonum consilians illi, cucurrit ad pastorẽ et ad discipulũ Christi sanctum Basiliũ, aduersus impietatem clamans: Miserere mihi, miserere mei, Sancte Dei miserere mihi discipule Domini, qui

cum dæmonibus causam egi. Miserere mihi miseræ proprio patri non obedienti. Et docet eum rerum gestarum ordinem. Sanctus autem Dei uocans puerum, sciscitatus est ab eo, si ista in hunc modum se haberent. Qui ad sanctum dei cum lachrymis ait: Etiam sancte Dei, si ego siluero, opera mea clamabunt. Et enarrauit ei etiam ipse à principio usq; in finem consequentem diaboli malam operationem. Tunc dicit ei sanctus Basilius: Vis reuerti ad dominum Deum nostrum? Ad quem puer: Vtiq; uolo, sed non ualeo. Dicit ei sanctus: Quare? Respondit puer: Scripto abnegaui Christum, & professus sum diabolo. Dicit ei sanctus: Non sit tibi curæ: Benignus est enim Deus noster, & recipiet te pœnitentem, compatitur etiam malitijs nostris. Et iactans se puella ad pedes sancti, Euangelice deprecata est eum, dicens: Discipule Christi Dei nostri, quantum potes adiuua nos. Dicit ad puerum sanctus: Credis saluari? Qui ait: Credo domine, adiuua incredulitatē meam. Et continuo apprehendes manum eius, faciensq; signum Christi in ipso & orans, reclusit eum in uno loco interioris sacri periboli, & dans ei regulam, collaborabat ei per tres dies, post quos uisitauit eum, & dixit ei: Quomodo te habes fili? Dicit ad eum: In magna, domine, sum defectione, sancte dei, non fero clamores corū, & terrores ac iaculationes seu lapidationes eorum, tenentes manuscriptam meam causantur me, dicentes: Tu uenisti ad nos, nō nos ad te. Et dicit ei sanctus: Noli timere fili, tantū crede. Et dans ei modicam escam, faciensq; super eum Christi iterum signaculum, ac orans reclusit eum. Et post paucos dies uisitauit eum, & dicit ei: Quomodo te habes fili? Dicit: Pater sancte, à longe clamores eorum audio & minas, sed non uideo eos. Et iterum dans ei escam, & orans claudensq; ostium abijt, & quadragesimo die redijt, & dixit ei: Quomodo te habes frater mi? Respondens dicit ad eum: Bene habeo sancte Dei, uidi enim te hodie in uisu pugnantem pro me, & uincentem diabolum. Mox ergo sanctus secundum consuetudinem faciens orationem, eduxit eum, & adduxit eum in dormitorium suum. Mane autem facto, uocauit clerum sacrum & monasteria, & omnem Christi amabilem populum, & dixit eis: Filioli mei dilectissimi, omnes gratias agamus domino: ecce enim ouem perditam debet pastor bonus in humeris suis reportare, & offerre Ecclesiæ, quapropter debitum est & nos uigiliam facere nocte, ac postulare eius benignitatē, ut non corruptor animarum uincat etiam in hoc facto. Et alacriter populo aggregato, per totam noctem postulauerunt deum cum bono pastore, cum lachrymis clamantem pro eo Kyrieeleyson. Et mature cum omni multitudine populi accepit sanctus puerum, & tenens dexteram manum eius, ducebat illum in sanctam Dei ecclesiam, cum psalmis & hymnis. Et ecce diabolus omniū festinans in tristem uitam cum omni perniciosa uirtute aduenit, & inuisibiliter apprehendens puerum, conabatur rapere eum de

manu

manu sancti. Et cœpit clamare puer: Sancte Dei adiuua me. Et tanta instantia improbus aggressus est, ut etiã memorabilem uirũ compelleret trahens puerũ. Conuersus ergo sanctus, ad diabolũ dixit: Improbissime animarũ corruptor, pater tenebrarũ & perditionis, non sufficit tibi tua perditio, qua te, & omnes qui sub te sunt, affecisti, nisi etiam & Dei mei temptes plasma. Diabolus aũt dixit ad eũ: Præiudicas me ô Basili, ita ut plurimi ex nobis uoces audirent dæmonũ hæc dicentium, clamante populo: Kyrieeleyson. Sanctus aũt Dei ait ad illum: Increpet te Dominus diabole. Qui respõdens ait ad eũ: Basili præiudicas me. Non ego abij ad eũ, sed ipse uenit ad me. Abnegauit Christum suũ, & mihi professus est: & ecce manuscriptam habeo, & in die iudicij ad communem iudicem eum duco. Sanctus Dei dixit: Benedictus dominus Deus meus, non deflectet populus iste manus de altitudine cœli, donec reddas manuscriptam. Et conuertens se, dixit populo: Erigite manus uestras in cœlum, clamantes cum lachrymis: Kyrieeleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Et stante populo in horã multam extensas habentes manus in cœlum, ecce manuscripta pueri per aërem delata, & ab omnibus uisa uenit, & imposita est manibus memorabilis patris nostri Basilij. Suscipiens autem eam, & gratias agens Deo, gauisus factus est ualde, & coram omni populo dixit ad puerum: Cognoscis literulas has frater? Qui ait ad eum: Etiam sancte Dei, manuscripta mea est. Et dirumpens manuscriptam sanctus Basilius, perduxit eum ad ecclesiam, dignum fecit sancto ministerio & communioni mysteriorum Christi. Et faciens susceptionẽ magnã, refrigerauit omnem populum. Et ducens puerum ac instruens, seu dans ei regulam decentem, reddidit eum mulieri eius intacibili ore glorificantem & laudantem Deum, Amen.

Mulier quædam diuitijs & nobilitate ornata, & cæteris uitæ istius uanis ministrationibus supereleuata, quasi uiduitatem complectẽs, indecorosa uia & potestate castrimargiæ & prodigalitatis superinseruiens, nihil placidi Deo possidens, sed porcorum more se sceno uoluptatis inuoluens, sero quandoq; secundum dispositionem Dei ad mentem rediens, immensurabilitate suorũ delictorũ illuminata silenter sola cogitabat, & multiudinem peccatorũ suorum flebiliter suspirans dicebat: Heu mihi peccatrici & prodigæ, quomodo me excusabo de actis delictis meis? templum spiritussancti corrupi, & animam in corpore habitantem, pollui. Heu mihi abiectissimæ. Putas dicam me sicut meretricem anteriorem, an publicanum: sed nemo sicut ego peccaui, maxime post sanctum baptisma. Quomodo ergo certa ero, quia pœnitentem suscipiet me Deus? Et hæc cogitante ea, qui omnes uult saluare, & ad agnitionem uenire ueritatis, in mentem ei misit de iuuentute usq; in senectutem peccata sua scribere in charta, quæ præscripta, nouissime omnium scripsit, quod erat ei maximũ peccatum, & plumbo signauit eam.

Conſiderans autem tempus oportunum, quando ſanctus Baſilius ad conſuetas orationes ibat, ad ſanctam eccleſiã cucurrit clam, & proiecit chartam ſecus pedes eius, & ſuper faciem iactans ſeipſam clamabat, dicens: Miſerere mei ſancte Dei pater ſuper omnes paccatrici. Stans autẽ beatus Chriſti famulus, ſciſcitabatur ab ea cauſam doloris. Quæ ait: Ecce domine, omnia peccata mea ſcripſi in iſta charta, & iniquitates meas, & ſigillaui eas. Tu autem ſancte Dei ſigillum ne amoueas, ſed tantum per orationem tuam illa dele: qui enim dedit mihi talem cogitationem, omnino exaudiet te pro me poſtulantem. Magnus autem Baſilius tollens chartam, & reſpiciens in cœlum ait: Domine, tibi ſoli eſt opus iſtud: Qui enim mundi peccatum tollis, & unius animæ iſtius facilius delere potes peccatum, Omnia enim noſtra delicta numerata ſunt apud te, miſericordia autem tua innumerabilis & inęſtimabilis eſt. Et hæc dicens, intrat eccleſiam tenens chartam & proſternens ſeipſum, & ponens chartam ſecus altare, manſit per omnem uigiliam orans, & craſtino per omne ſanctum myſterium deprecans Deum. Et poſt completionem ſanctorum myſteriorũ, uocauit mulierẽ ſecrete aſtantibus paucis clericis, & oſtendens eis chartam, dixit ad eam: Audiſti mulier, quia nemo poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Quæ dixit: Audiui ſenior, & per hoc admonui te ad interceſſionem miſericordiſſimi Dei. Et hæc dicens ſoluit chartam, & inuenta eſt tota inſcripta, manſit autem magni peccati celeſtum opus non deletum. Videns autem mulier puſillanimis effecta eſt, & percutiens pectus manibus, cecidit ad pedes epiſcopi, clamans: Miſerere mei ſerue Dei altiſſimi: & quemadmodum pro omnibus iniquitatibus meis certaſti, ſic & pro iſta poſtula, & omnino delebitur. Archiepiſcopus autem lachrymatus eſt propter indulgentiam, dicens: Surge mulier, quia & ego peccator ſum, indigens indulgentia: Qui deleuit tua peccata quãta uoluit, potens eſt tollere & iſtud à te, qui tollit peccata mundi. Si cuſtodieris amodo non peccare, & in uijs domini ambulaueris, non tantum indulgebit tibi, ſed & gloria digna eris. Vade ergo ad heremum, & inuenies uirum ſanctum & nominatum in omnibus, nomine Effren: Iſti da chartam, & poſtulans placabit Deum pro te. Mulier autem concite ad ſanctum Effren ad heremum cucurrit, & tranſiliens longitudinem uię, ad prædictum ſibi locum magni heremitæ præuenit. Et pulſans oſtium clamabat, dicens: Miſerere mei ſancte Dei. Qui pręſciens propter quam cauſam aſtiterit, dixit ei: Vade à me mulier, quia homo peccator ſum, indigens & ipſe auxilij. Illa autem proiecit chartã dicens: Archiepiſcopus Baſilius miſit me ad te, ut orans ad Deum deleas iniquitatem meam, quæ in iſta charta conſcripta iacet, cæteras omnes ipſe ſanctus orans deleuit: tu autem pro una noli pigritari deprecari Deum, ad te enim miſſa ſum. Non filia, non: qui enim pro multis præualuit placare Deum, & pro uno poterit plus me: uade ergo & noli

& noli stare, ut comprehendas eum ante eius transitum. Mulier autem concite à sancto Effren reuersa est Cęsaream, & intrante ea in ciuitatem, obuiauit corpus portantibus sancti Basilij: Et uidens cœpit clamare, uoluens se in humo, & causabatur cum sancto, dicens: Heu mihi miserae, heu mihi sancte Dei, propter hoc misisti me ad heremum, ut immolestatus à me transires: & ecce in acta reuersa sum inanũ pertransiens pelagus uiæ: Videat Deus & iudicet inter me & te, quia placare potens Deum ad alterum me misisti. Et hæc clamans, proiecit chartam super feretrum, subtiliter enarrans de causa omni populo. Vnus autem de clero uolens uidere quale peccatum esset, tulit chartam, & absoluens inuenit eam super totum inscriptam, & clamauit uoce magna, dicens ad mulierem: Inscripta est charta ô mulier, quid laboras nesciens in te factam clementiam. Multitudo ergo uidens admirabile miraculum, glorificauit Deum, qui dedit potestatem hominibus super terram dimittere peccata: Dans etiam gratiam seruis suis, & post mortem sanare omnẽ infirmitatem & omnem languorẽ, sed & peccata fide accedentiũ dimittere.

De Ioseph Hebræo interserit historia. Hic Ioseph egregius in arte medicinalis disciplinæ ualde ꝓbatus, simul & illustris cum fuisset in ipsa peritia summam scientiam habebat tactu eius uenæ præscire caute ante tres uel quinq; dies, si quis deberet de his transire tumultibus, ad meliorem stabilitatem. Inuidiosum autem multitudini medicorum deifex pater noster Basilius ex diuino splendore p̃sciens, ꝙ deberet dari ei diuini baptismi donum, ualde amabat eum, & assidue ad colloquium uocabat illum, docens eum regiam uiam salutis & ueritatis ambulare, postulabatq; illum discedere de polluta religione, & per Baptismũ induere Christum. Qui non acquiescebat, dicens: Quia in fide qua natus sum, in ipsa & finiam. Sanctus autẽ dei dixit ei: Crede Ioseph, nec tu, nec ego de istis transibimus tumultibus, donec renouet te dominus meus Iesus Christus per aquam & spiritum: sine istis enim impossibile est introire in regnum cœlorum. Nunquid & patres tui non baptizati fuerunt in nube & mari, & biberunt ex spiritualibus sequenti eos petra? Petra aũt erat Christus: qui in nouissimis diebus ex uirgine incarnatus & propter nostram salutem humanatus, & mirabilia agens, passus, ac pro patribus tuis crucifixus & sepultus, & tertia die resurgens, in cœlũ ascendit, & sedet ad dexteram patris, & ueniet in multa gloria cum angelis suis iudicare uiuos & mortuos, & reddere unicuiq; secundum opera eius. Impossibile est ergo, sicut dictũ est, omnẽ hominem in regnũ dei introire, nisi per aquã & spiritum, & participationẽ uiuificatorũ & incontaminorũ mysteriorũ corporis et sanguinis Iesu Christi. Et talibus orationibus probatus operarius dei cultor colloquebatᷣ cum eo, ipse aũt non audiebat eum. Quando uero prosperauit deus, qui segregauit eum ex utero matris suæ, suscipere eum sancti spiritus gratiam, debens sanctus de his

transferri tumultibus, duxit eum occasione ad se medicinalis disciplinæ, & dixit ei: Quomodo uides, quę erga me sunt? Ille à tactu uenę sentiens uirtute eius mortẽ imminere, dixit ad domesticos ipsius: Quæ ad sepulturam sunt indumenta præparate, iste ẽm pene moritur. Dixit Magnus Basilius: Nescis quid dicis. Dixit ad eum Ioseph Hebræus, Crede domine, sol cum sole occidet hodie. Et dixit sanctus: Et si nõ morior usq; ad matutinũ, quid? Dixit Hebræus: Non est possibile domine hoc fieri, uix enim una hora erit anima tua in te. Sed dispone iam Ecclesiam tuam & res tuas, non enim obscurabitur dies hodie in te. Dixit ei sanctus: Et si uixero in crastinum usq; ad horam sextam, quid facies? Qui ait: Ego moriar. Dicit ei sanctus: Etiã ut moriaris peccato, uiuas aũt in Christo tuo. Dicit ei Hebræus: Scio quid dicis, & facio iussionem tuam, si sicut dicis fit. Cum iuramentis horribilibus promittens, quia si uixerit dei discipulus, omnino accipere sancti spiritus gratiam Dei cultor pater noster postulauit deum additionẽ uitæ dari sibi, ut illum Hebræum saluaret. Misit ergo sanctus mane, & uocat Hebræum. Qui diffidens aduenit, putans omnino mortuum, et uidens illum uiuentem, in stupore factus est, & proijciens se ad pedes eius, dixit: In uero corde dico, non est deus magnus, sicut Christianorum, & nõ est deus amplius eo. Nego ergo Christe odibilem religionem Iudæorum, & accedo fideliter ueritati Christianorum: iube ergo sine dilatione dari mihi in Christo signaculum, & sanctũ baptisma & toti domui meæ. Dicit ei sanctus dei: Ego manibus meis baptizo te & omnem domum tuam. Procedens ergo iterum medicus, & tangens dexteram manum eius, dixit ei: Lassæ factæ sunt uirtutes tuæ domine, & natura ualde defecit. Dicit ei sanctus: Habemus naturæ creatorem confortantem nos. Et surgens uenit in sanctam dei ecclesiam, & coram omni populo baptizauit eum cũ tota domo eius, uocans nomen illius Ioannes. Communicans autem eum uiuificis mysterijs, assumpsit eum, & duxit in dormitorium suum, dans ei escam, & docebat eum quæ sunt æternæ uitæ, adijciens eum ouili suo cum mulieribus & filijs nouiter electum militem. Medicus autem sequentibus diebus pertransibat benedictionales domos, et dabat donatam sibi de medicina pecuniam, & quod ei erat residuum. Et circa horam nonam stetit magnus pater noster Basilius ad ministerium Missæ in sancta ecclesia simul cum electis cleri & ciuitatis capitaneis, & iterum cum ipsis panem diuisit, eos instruens & osculans eos in osculo sancto, & nouum Christi militem commendans etiam & omnes domino, atq; dispositam sibi consepelire sumpsit tertiam partem, quæ à domino data fuit ei communionis, & recumbens in lecto, gratias egit extense domino & Deo nostro, in peregrinatione à corpore & fide medici, & adhuc gratiæ cum essent in ore eius, reddidit domino spiritum, & additus est principibus sacerdotum, prædicatoribus quoq; magnis magni uerbi tonitruũ. Videns autem

dens autem ex Hebræis fidelis medicus, qui sicut dixit homo dei & magnus princeps sacerdotũ Basilius, sic requieuit, cadens super pectus eius cum lachrymis dicebat, Vere serue dei Basili, si non uoluisses, nec modo mortuus fuisses. Crastino aũt cõgregata est multitudo, & duxit honorificum corpus eius, qui uicit materialem instationem in sanctam ecclesiã, cum omni oblatione aromatum & thimiamatũ sepelientium. Audiens autem Gregorius Nazanti episcopus, currens & ipse aduenit, & uidens honorificum corpus, cecidit super illud. Et lamentans multum ad orationem hortabatur populum in hymnis & canticis spiritualibus cũ decenti honore gloriosam memoriã magni sacerdotis facere, simulq; concurrentibus duodecim episcopis, & multitudine ciuitatis deposuerunt eum in archarismum marmoreum, in templo sancti & gloriosi martyris Isichi, ubi & Leontius ante eum Episcopus cum cæteris dormit. Requieuit autem angelicam uitam in terra agens magnus Basilius mense Ianuario die prima, quinto anno imperij Valentis & Valentiniani, memoriã suæ uitæ relinquens ecclesiæ, quæ est secundum operationem sancti spiritus conscripta cum eo in cœlesti libro, in gloriam & laudẽ domini nostri Iesu Christi & gloriosæ uirginis Mariæ, cui cum patre est gloria simul & sancto ac uiuifico spiritu, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

HIGINVS I. PONTIF. ROM.

Higinus natione Græcus, patria Atheniensis, patre philosopho, Antonino Pio imperãte Telesphoro successit. Addere uero aliquid etiam de laudibus Pij, antequam ad Higinum ueniam, hominis uirtus me cogit: qui adeo moderatæ gloriæ fuit in re militari, ut defendere magis prouincias, quam augere studeret: utq; hanc Scipionis sententiam sæpius usurparet, ac diceret, Malle se unum ciuem seruare, quam mille hostes occidere, contra Domitiani institutum, qui populi Romani exercitum hostibus obijciebat, quo rarior in patriam reuerteretur: adeo multitudinẽ oderat & reformidabat ob eius sæuitiam. Tantæ autem iustitiæ Pius fuit, ut multi reges, multæq; nationes positis eius iussu armis, ad hominem controuersias suas litesq; deferrẽt, eiusdemq; sententiæ statim parerent. Ob hæc aũt merita, quæ maxima sunt, populus Romanus mortuo & flaminem, & Circenses, & templũ & sodales Antonianos lachrymantibus omnib. constituit. At Higinus urbis Romæ episcopus tum maxime clerum prudenter in ordinem redegit, gradus distribuit, instituitq;, ne templa sine celebratione dedicarẽtur, neue augerentur, diminuerenturq; sine arbitratu metropolitani, uel episcopi. Vetuit item, ne tigna reliquaue materies ad ædificanda templa congesta, in prophanos usus conuerteretur, posse tamen ad structuram alterius templi uel cœnobij concedente episcopo transferri. Voluit item Ex Platina.

T unum

unum saltem patrimũ, unam'ue matrimam baptismo interesse. Sic enim eos appellant, qui infantes tenent, dum baptizantur: licet reuera patrimus & matrima aliud significent. Est enim patrimus (teste Festo) qui cum pater sit, patrem adhuc habeat. Idem de matrima dicendum est. Instituit præterea, ne metropolitanus episcopum prouinciæ suæ alicuius criminis reum faceret & damnaret, nisi prius à prouincialibus episcopis causa discussa & cognita fuisset. Sunt tamen, qui hoc postremum Pelagio pontifici ascribant. Huius quoq; tempore fuit & Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus, Smyrnæus episcopus ab eo creatus, ac totius Asiæ religione & doctrina tum facile princeps. Is aũt Romam ueniens, plurimos fidelium Marcionis & Valentini falsa persuasione deceptos, ad fidem reduxit. Cum autẽ Marcio forte huic obuiam factus, diceret, Méne cognoscis? Respondit: Cognosco quidem primogenitũ diaboli. Negabat enim patrem Christi deum esse creatorem, qui per filiũ mundum fecerat. Postea uero imperante M. Antonino & L. Aurelio Commodo, quarta post Neronẽ persecutione, Smyrne sedente proconsule, igni crematus est. Melito quoq; Asianus Sardensis episcopus, Frontonisq; oratoris discipulus, librum de doctrina Christiana M. Antonino tradidit. Huius ingenium Tertullianus mirum in modũ laudat, dicitq; à plerisq; nostrorũ prophetam habitum esse. Scripsit & Theophilus Antiochensis ecclesiæ episcopus librum contra Marcionem, imperante M. Antonino. Scripsit & librum cõtra Hermogenis hæresim, qui materiã, non naturam introducens deo, non autem naturæ eandem cõparauit, materiam elementorum & deum appellans. Higinus autem bene de ecclesia dei meritus, cum ordinationes ter Decembri mense habuisset creassetq; bresbyteros quindecim, diaconos quinq;, episcopos sex: moritur, & apud beati Petri corpus in Vaticano sepelitur tertio Idus Ianuarij. Sedit annos quatuor, menses tres, dies quatuor.

MAVRI DVO.

Georg. Vuicel.



Lter martyr, alter Abbas, uterq; uir secundum cor dei, propter inhabitantem spiritum: quo doctore Euangelium didicerant: quo confortatore tentationes uicerant. Prior infidelis adhuc tẽpore Diocletiani tyranni miles sæculi fuerat, uerũ uirtute Christi Christianus factus, deo militauit, idq; spiritualibus armis, quibus Satan humani generis archechtros, hoc est, primarius hostis, mirabiliter deijcitur. Porrò pius contemptus impijssimæ Diolatriæ (ita enim Iouis cultum appellare libet) Maurum, præterea Papiam, Saturnium, Sisinnium Christianos esse prodidit. Ænea Iouis statua ceu figuli testa conteritur. Laodicius præfectus, & minister impietatis, ab eleutherostomis, seu liberæ linguæ prædicatoribus acriter arguitur. En igitur carceres, fustes,

fuſtes,eculeos. Nam hac demum methodo ad hæreditatē in cœlo conſeruatam nobis fœliciter contenditur.

Poſterior Maurus diui Benedicti diſcipulus, & in Monaſtica colenda nulli ſecundus,bonis operibus, Euangelio dignis, diligentiſſime uacauit,temporibus Theoberti Francorum regis. Cum lego Cœnobitas,inq; Chriſtiana pietate Aſcetas tot claruiſſe miraculis,miror ego mirum in modum noſtræ ætatis diſſimilitudinem : & uehementiſſime doleo,pro pietate tantā exuberaſſe in Eccleſia iniquitatem. Proh dedecus, non diuina miracula,ſed uitiorum portenta nunc paſſim uidere eſt.

PRISCA VIRGO ET MARTYR.



Riſca nobilis Romana decimotertio ætatis ſuæ anno,q; Chriſtianæ fidei eſſet accuſata, iuſſu Claudij imperatoris ad templum Apollinis ducitur,ut dijs immolaret: quod cum facere recuſaret,alaphis cæſa in carcerem truditur.Educta poſtridie cū in Chriſti confeſſione nihilominus perſiſteret,flagellis uerberata,feruenti adipe toto corpore perungitur, ac rurſus in carcerem reducitur. Die tertia in amphitheatrum producta exponitur immaniſſimo leoni, qui ad pedes eius manſuetus ſe proiecit. Tunc in ergaſtabulo uirgo recluſa, triduo inedia maceratur. Deinde eculeo ſuſpenſa, & ungulis ferreis exarata, in rogum mittitur,à quo tamē diuina ope incolumis euaſit.Tandem extra urbem educta, capitis abſciſione martyrio coronatur. Cuius corpus à Chriſtianis ſublatū,uia Oſtienſi miliario ab urbe X.ſepelitur. Ex Franc. Quiquog.

MARCELLVS I. PONTIF. ROM.



Arcellus natione Romanus,patre Benedicto,ex regione Viælatæ à Conſtantio & Galerio uſq; ad Maxentium peruenit. Conſtantius enim & Galerius abdicantibus ſe ab Imperio Diocletiano & Maximiano, imperij gubernacula ſuſcipientes, prouincias inter ſe partiti ſunt. Nam Galerius Illyricum, Aſiam & Orientem ſortitus eſt:Cōſtantius uero ſingulari moderatione uſus,Gallia tantum & Hiſpania contentus fuit: licet ei Italia ſorte obtigerit. Vnde Galerius duos Cæſares legit,Maximianum,quem orienti præfecit, & Seuerum, cui Italiam commendauit. Illyricum ipſe retinuit, q; ea Barbaros hoſtes populi Rom.iter facturos ſentiebat. At Conſtantius uir ſingularis manſuetudinis & clementiæ Gallis omnibus chariſſimus fuit: præcipue uero q; & Diocletiani uafrum ingenium, et Maximiani crudelitatem non ſine magno diſcrimine euaſerant. Moritur autem Conſtantius Eboraci in Britannia, principatus ſui anno decimotertio, atq; in diuos ſummo omniū conſenſu refertur. At Marcellus diuino cultui intentus, ubi Pri- Ex Platina.

ſcillam matronam Romanam impuliſſet, cœmiteriũ ſuis ſumptibus uia Salaria conſtruere, titulos quinq; & uiginti in urbe Roma conſtituit, quaſi diocœſes ad cõmoditatem baptiſmi & opportunitatem eorum, qui ad fidem ex gentibus quotidie ueniebant, conſultum iri et eo modo ſepulturis martyrũ uidebat. Maxentius uero ubi Lucinam matronam Romanam inſtituiſſe eccleſiam dei rerum ſuarum hęredem intellexiſſet, iratus,& mulierem ipſam relegauit ad tempus, & Marcellum captum impellere minis conatus eſt, ut & epiſcopatu ſe abdicaret, & Chriſtianum nomen deponeret:quem ubi cõtemnere & deridere ſua præcepta uidit,in cacabulũ ad cuſtodienda animalia publica (ut quidam uolunt) ſtatim incluſit:quo in loco nec orationes unquam,nec ieiunia prętermiſit.Parochias item non ſecus,ac ſi liber eſſet,epiſtolis gubernabat. Menſe autem nono captiuitatis ſuæ à clericis noctu è cacabulo liberatus eſt, qua ex re maiore percitus ira Maxentius,ſanctiſſimum uirum in cacabulum redegit: ubi cum fœde & incõmode habitaret, pedore & ſitu mortuus eſt. At uero Lucina ſanctiſſimi uiri corpus uia Salaria in cœmiterio Priſcillæ cõdidit decimoſeptimo Calendas Februarij.Poſtea autem re Chriſtiana creſcente,cacabuli domus in eccleſiam erigitur beati Marcelli nomine,quæ etiam ætate noſtra inuiſitur. Sunt autem qui ſcribant Mauritium cum una Chriſtianorum legione apud Rhodanum flumen à perſecutoribus cæſum.His additur Marcus,Sergius,Coſmas,Damianus,alijq; cõplures,qui ubiq; terrarum cædebantur. Marcellus autem annis quinq; ſedens,menſibus ſex, diebus uno & uiginti, ex ſacris ordinibus menſe Decembri habitis,presbyteros ſex & uiginti,diaconos duos, epiſcopos unum & uiginti creauit.

POLYCARPVS APOSTOLICVS.

Ex S. Hieronymo.



Olycarpus Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus,totius Aſiæ princeps fuit: Quippe qui nõnullos apoſtolorũ,& eorũ qui uiderant dominum, magiſtros habuerit & uiderit. Hic propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones, ſub Imperatore Antonino Pio, eccleſiam in urbe regente Aniceto,Romam uenit,ubi plurimos credentium, Marcionis & Valentini perſuaſione deceptos,reduxit ad fidem.Cumq; ei fortuito obuiam fuiſſet Marcion,& diceret: Cognoſcis nos? Reſpondit: Cognoſco primogenitũ diaboli. Poſtea uero regnãte M.Antonino & L.Aurelio Commodo, quarta poſt Neronem perſecutione, Smyrnæ, ſedente proconſule,& uniuerſo populo in amphitheatro aduerſus eum perſonante, igni traditus eſt. Scripſit ad Philippenſes ualde utilem Epiſtolam, quæ uſq; hodie in Aſiæ conuentu legitur, Nempe hæc: Polycarpus, & qui cũ eo ſunt presbyteri, eccleſiæ Dei quæ eſt Philippenſis: Miſericordia

Epiſtola S. Polycarpi.

uobis

uobis & pax à Deo omnipotente, & Iesu Christo saluatore abundet. Congratulatus sum uobis magnifice in domino nostro Iesu Christo, suscipiens immutabilia uerba dilectionis, quam ostendistis in illis (qui præmissi sunt) uiris sanctis, decoris uinculis connexis, quæ sunt coronæ electæ Deo, illius ueri regni, per dominũ nostrum Iesum Christum: & quia firmitas fidei uestræ à principio usque nunc permanet, & sanctificatur in domino Iesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris usque ad mortem: quem suscitauit Deus, dissoluens dolores inferni, quẽ cum non uideritis, nunc diligitis, in quem nunc nõ aspicientes, creditis, credentes autem, gaudebitis gaudio inenarrabili, &c. Reliqua ex libro Epistolarum Ignatij quibus addita est hæc Polycarpi Epistola.

Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis ex eis, qui dominum nostrum uiderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis ecclesia constitutus episcopus, quem & nos uidimus in prima nostra ætate, multum enim perseuerauerat, & ualde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exiuit de hac uita. Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & ecclesiæ tradidit, & sola sunt uera. Et testimoniũ hijs perhibent, quæ sunt in Asia ecclesiæ omnes, & qui usque adhuc successerunt Polycarpo, qui uir multo maioris antoritatis & fidelioris ueritatis est testis, quàm Valentinus & Marcion, & reliqui qui sunt peruersæ sententiæ. Hæc ex Ireneo episcop.

PASSIO DIVI POLYCARPI.

INsignis autem uir Polycarpus, primo quidem cum audiret uulgus in se adclamationibus excitatum, in nullo penitus motus est, sed mansit impauidus. Tranqllus nanque erat moribus, et serenus aspectu. Qui cum in eadem ciuitate uellet interritus permanere, adquiescens tamẽ deprecantibus se familiaribus suis, ad agrum quendam ciuitati proximum secedit, atque ibi cum paucis die noctuque nihil aliud quàm in orationibus permanet, pro pace ecclesiarum, quæ ubique sunt, supplicãs Deo, quod ei facere in omni uita sua moris perpetui fuit. Sed is in orationibus positus, ante triduum quàm comprehenderetur, uisionẽ uidet per noctem, ceruical capitis sui flammis esse consumptum. Cumque euigilasset, post uisum interpretatus est astantibus somnium suum, dixitque pro certo, se ob Christum per ignem uitæ exitum sortiturum. Imminente igitur, &c. Postea uerò quàm finiuit orationem, memoriam faciens omnium quoscunque nosse potuit maiorum minorumque, nobilium et ignobilium, & totius catholicæ ecclesiæ, quę per orbem terræ est, instante iam hora progreditur, & asino sedens ad ciuitatem ducebatur, cum esset dies magni sabbathi. Pergit, occurrit ei Præfectus pacis Herodes nomine, & pater eius Nicetas, qui leuantes eum secum in ue- Ex Eusebio Cesariensi.

hiculum, persuadere sedulo conabantur, dicentes: Quid enim mali est, dicere dominum Cæsarem, & immolare, & de cætero uiuere securum? Hæc ille primo tacitus audiuit. Sed ubi persistebant, ait ad eos: Quid multis opus est? facturus non sum quod dicitis. At illi postea quam nihil se profecisse senserunt, indignatione commoti, cũ contumelia eum uehiculo deturbant, ita ut pedẽ læderet, præceps actus. Sed quasi nihil fuisset iniuriæ, tota alacritate contentus, pergebat ad stadium quò duci fuerat imperatus. Cum uero tumultus ingens in stadio ex ingressu eius fuisset exortus, uox de cœlo delapsa est: Fortis esto ô Polycarpe, & uiriliter age. Sed autorem quidem uocis uidere potuit nemo, auditus tamen ad plurimos uenit. Interea animatur ad furorem tumultus populi uidentis quia Polycarpus introducitur. Cumque eminus à Proconsule interrogaretur, si ipse esset Polycarpus, se esse confiteretur: Ergo (inquit) habeto ætatis tuæ reuerentiam, & parcens ultimæ senectuti tuæ, iura fortunam Cæsaris, gerens de prioribus pœnitudinem, & conclama etiam tu, Tolle sacrilegos. Tum Polycarpus toruo uultu ad populum, qui in stadio residebat, aspiciens, eleuata ad cœlum dextra, cum gemitu proclamauit & dixit: Tolle sacrilegos. Sed insistente proconsule, & dicente, Iura fortunam Cæsaris, & dic in Christum conuitia, & dimitto te. Polycarpus ad hæc: Octoginta (inquit) & sex annis seruio ei, & nihil me læsit unquam, quomodo possum maledicere & blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit? Cumque rursum uehementius urgeretur, ut fortunam Cæsaris iuraret: Si hanc (inquit) iactantiam quæris, ut ego fortunam Cæsaris iurem, & quis sim, ignorare te simulas, cum omni libertate audi à me, quia Christianus sum. Si uero etiam rationem uis Christianæ religionis accipere, statue diem & audi. Proconsul dixit: Suade hoc populo. Polycarpus ait: Tibi quidem respondi. Docemur enim principibus & potestatibus hijs quæ à Deo sunt, honorem deferre, eum scilicet qui religioni non sit contrarius: Populo autem furenti satisfacere, non est meum. Proconsul dixit: Bestias habeo paratas, quibus subrigèris nisi cito pœnitueris. At ille respondit: Adhibeantur, nobis enim immobilis stat sententia, nec possumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari. Melius autem erat, si hi mutarentur ad bona, qui perseuerant in malis. Tunc Proconsul: Igni te (inquit) faciam consumi, si tibi bestiæ contemnendæ uidentur, nec propositi recipis pœnitudinem. At ille: Ignem mineris (inquit) hunc qui ad momentum incenditur, & paulo post extinguitur, quia ignoras futuri iudicij ignem æternum, qui ad perpetuas pœnas præparatus est impiorum. Sed quid moraris? Adhibe utrum uoles. Hæc & multa alia his similia dicens Polycarpus, confidentia simul & lætitia replebatur, ita ut alacritatem uultus eius, responsionumque constantiam Proconsul maximo stupore miraretur. Misso igitur Curione ad populũ, iubet uoce maxima protestari, Polycarpum

tertiò confessum Christianum se esse. Quo audito, uniuersa multitudo tam gentilium quàm Iudæorum Smyrnensium ciuitatis, cum ingenti furore adclamabant: Hic est totius Asiæ doctor & pater Christianorũ, nostrorum aũt subuersor deorũ. Ipse est qui multos docet, ne immolent neue adorent deos. Et post hæc uerba adclamabant Philippo munerario, ut leonem Polycarpo dimitteret &c. Cætera legat pius presbyter apud Eusebium *lib.iiij.ca.xv.*

SATYRVS ET ARCADIVS.



Terque Christi Iesu Martyr, & propter uetus Ecclesiæ Euangelium à sacrilegis ac feralibus tyrannorum manibus occisus. Illud scilicet peccarat Satyrus: Idolum falsi cuiusdam Dei, cum exufflasset fide crucifixi Iesu, accidit, ut in puluerem redigeretur. ô deum nullum, ô deum qui *hominis flatu disperit.* Idem ferè proditum est de Felice presbxtero & martyre: Nam ad huius quoque exufflationem Serapidis, *Mercurij* & Dianæ simulchra corruentia in *nihilum*, unde erãt, *redierunt.* Quod summum miraculum, summũ supplicium secutus est. De Arcadio scribitur, quòd tot supplicia pertulerit, quot suo in corpore habuerit membra. Declinans persecutionem, in persecutionẽ fugiendo maximam incidit. Sed ubi uenit hora nihilo fortius in confessione sancti Euangelij perstitit, ad sanguinem usque, in quo mutilato corpore sese uolutabat, dum emitteret extremum spiritum. *Georg. Vicel.*

PAVLVS EREMITA.



Nter multos sæpe dubitatum est, à quo potissimum eremus habitari cœpta sit: Quidam enim altius repetentes, à beato Helia & Ioanne sumpsere principium. Quorum & Helias plus nobis uidetur fuisse, quàm monachus, & Ioannes ante prophetare cœpisse quàm natus est. Alij autem, in quam opinionem uulgus omne cõsentit, asserunt Anthoniũ huius propositi fuisse caput, quod ex parte uerum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omniũ incitata sunt studia. Amathas uerò & Macarius discipuli Anthonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebæum principem istius rei fuisse, quod non tam nomine, quàm opinione nos quoque comprobamus, &c. *Ex S.Hieronymo.*

Sub Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptũ & Thebaidam ecclesias tempestas sæua populata est, uoti tunc Christianis erat pro eo nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas quærebat iugulare, non *Ex Vit.Patr.*

corpora

corpora. Et ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait, uolentibus mori non permittebatur occidi. Cuius ut crudelitas notior fiat, duo memorię causa exempla subijcimus. Perseuerantem in fide martyrem, & inter ecu leum flammasq; uictorem iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole ligatis post tergum manibus, reponi scilicet, ut muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium iuuenili ętate florentem in amoenissimos hortulos praecepit adduci, ibiq; inter candentia lilia & rubentes rosas, cum leni murmure iuxta serperet riuulus, & molli sibilo arborum folia uentus stringeret, super stratum plumis lectulum resupinari iussit, & ne se inde posset excutere, blandis sertorum nexibus irretitum relinqui. Quo cũ recedentibus cunctis meretrix speciosa uenisset, coepit delicatis stringere colla complexibus, et quod dicto quoq; scelus est, manibus attractare uirilia, ut corpore in libidinem concitato, se uictrix impudica superiaceret. Quid ageret miles Christi? aut quo se conferret nesciebat, quem tormenta non uicerant, ne superaret abominata uoluptas. Tandem coelitus inspiratus, praecisam mordicijs linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succidens, doloris magnitudo pręripuit. Per idem ergo tempus, quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaidam, cum sorore iam uiro tradita post mortem amborum parentum in haereditate locupleti, Paulus relictus est annorum circiter sedecim, literis tam Gręcis q; Ægyptiacis apprime eruditus, mansueti animi, deum ualde amans. Sed dum persecutionis detonaret procella, in uillam remotiorem & secretiorem recessit. Verum quid pectora humana non cogis auri sacra fames? Sororis maritus coepit prodere uelle, quem celare debuerat. Non illum, ut assolet, uxoris lachrymae, nõ cõmunio sanguinis, non spectans cuncta ex alto deus, à scelere suo reuocat. Aderat, instabat, crudelitate quasi pietate utebatur. Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium secreta confugiens, dum persecutionis finem praestolaretur, necessitatem in uoluntatem uertit, ac sic paulatim progrediens, rursumq; tantundem subsistens, atq; idem saepius faciens, reperit saxosum montẽ, ad cuius radices haud grandis spelunca lapide claudebatur. Quo remoto, ut est cupiditas hominum, auidius occulta cognoscere, animaduertit intus non grande uestibulum: quod aperto desuper coelo, patulis diffusa ramis uetus palma contexerat, fontẽ lucidissimũ ostendens, tantũmodo foras eadem cõtinuo quae genuerat terra sorbebat. Erant pręterea per extensum montẽ non pauca habitacula, & in quibus scabrae iam incudes & mallei (quibus pecunia furtiua signabatur) uidebantur. Hunc locum Ægyptiorum literae ferunt furtiuam monetę officinam fuisse, ea tempestate, qua Cleopatrae iunctus Anthonius est. Igitur adamato & quasi à deo sibi oblato habitaculo, omnem ibidem in orationibus & solitudine duxit aetatem, cibũ & uestimentum palma praebebat. Quod ne cui impossibile uideatur,

Iesum

Iesum testor & sanctos angelos eius in ea parte heremi, quæ iuxta Syriã in Sarracenis iungitur, & uidisse me monachos, et uidere è quibus unus triginta iam per annos clausus, ordeaceum panem manducabat et luculentam aquam bibebat. Alter in cysterna ueteri, quam gentili sermone Syri gubra, aliàs gyppum uocant, quinque caricis per singulos dies sustentabatur. Hæc incredibilia uidentur his, qui non crediderint, omnia possibilia esse credentibus. Sed ut ad id redeam, unde digressus sum. Cũ iam centesimo tertiodecimo ætatis suæ anno beatus Paulus cœlestem uitam in terris ageret, & nonagenarius in alia solitudine moraretur Anthonius, ut ipse asserere solebat, hæc in mentem eius cogitatio incidit, nullum ultra se meliorem monachorũ in heremo concidisset. At illi per noctem quiescenti reuelatum est, esse alium interius multo se meliorem, ad quem uidendum deberet properare. Illico erumpente lege, uenerabilis senex infirmos artus baculo tegente sustentans, cępit ire uelle, qui nesciebat. Et iam media dies coquente desuper sole feruebat, nec tamen à cepto itinere deducebatur, dicens: Credo in deum meum, quod seruũ suum quem mihi promisit, ostendet: nec plura his. Interea conspicatur hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum centauri uocabulum indidit. Quo uiso, salutaris impressione signi armat frontem. Et ex tiro (inquit) quanam in parte dei seruus hic habitat? At ille barbarũ nescio quid infrendens, & frangens potius uerba, quàm proloquens, inter horrentia ora satis blandum quæsiuit alloquium: & cum dextræ manus protensione cupitum indicat iter, ac si per patentes campos uolitando transmittens se in fugam, ex oculis mirantis euanuit. Verum hoc utrum diabolus ad terrendum eum simulauerit, an ut solet heremus monstruosorum ferax animalium, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus. Stupens itaque Anthonius, & de eo quod uiderat secum uoluens, ulterius progrediebatur. Nec mora, inter saxosum conuallem haud grandem homunculum uidet, aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Ad hoc spectaculũ Anthonius scutum fidei & loricam spei bonus præliator arripuit, nihilominus memoratũ animal palmarum fructus eidem ad uiaticum quasi pacis obsides offerebat. Quo cognito, gradum pressit Anthonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & unus ex accolis heremi, quos uario delusa errore gentilitas Faunos et Satyros & Incubos colit, legatione fungor gregis mei: precamur, ut pro nobis communem dominum depreceris, quem pro salute mundi olim uenisse cognouimus: nam in uniuersam terram exiuit sonus eius. Talia eo loquente, longęuus uiator ubertim lachrymis faciem rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria, & de interitu sathanæ, simulque admirans, quod eius posset intelligere sermonẽ, & baculo humum percutiens aiebat: Væ tibi Ale-

V xandria

xandria, quę pro deo portenta uenераris: uę tibi ciuitas meretrix, in quā totius orbis dæmonia confluxère. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christum loquūtur, & tu pro deo portenta uenеraris. Necdum uerba compleuerat, & quasi pennigero uolatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cui ad incredulitatē scrupulum moueat, sub rege Constantio uniuerso mūdo teste defenditur. Nam ad Alexandriam istiusmodi homo uiuus perductus magnū populo spectaculum præbuit, & postea ne cadauer exanime calore æstatis dissiparetur, sale infusum ad Antiochiam, ut ab Imperatore uideretur, allatum est. Sed ut propositum persequar: Anthonius cepta regione pergebat, ferarum tantum uestigia intuens, & heremi latam uastitatem, quid ageret, quo uerteret gradum, nesciebat. Iam altera fluxerat dies, restabat unum, ut deseri se à Christo non posse confideret. Perseuerans secundas in orationibus exigit tenebras, & sub dubia adhuc luce, non longe intuetur lupam sitis ardoribus anhelantem, ad radices montis irrepere. Quam secutus est oculis, & iuxta speluncā, cum fera abisset, accedens cœpit introspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris auferentibus uisum. Verum (ut scriptura ait) perfecta dilectio foras mittit timorem, suspenso gradu & anhelitu temperato, callidus explorator ingressus est, ac paulatim progrediens, sæpiusq́ subsistens, sonum aure captabat. Tandem per cæcę noctis horrorem procul lumen intuitus, dum auidius properat offenso pede lapidem in strepitum concitabat. Post cuius sonitum beatus Paulus ostium quod patebat, claudens sera obfirmauit. Tunc uerò Authonius præ foribus corruens, usq́ ad sextam & eo amplius horam aditum precabatur, dicens: Quis sim, unde, & cur uenerim, nosti: scio me non mereri conspectum tuum, tamen nisi uidero, non recedam. Qui bestias suscipis, hominē cur repellis? Quæsiui, & inueni: pulso, ut aperiatur mihi. Quod si non impetro, hic moriar ante postes tuos, certe sepelies uel cadauer meum. Talia perstabat memoratus fixusq́ manebat. Ad quem respōsum Paulus ita reddidit heros: Nemo sic petit ut minetur: nemo cum lachrymis calumniam facit: & minaris, si non recipiam te, cum moriturus adueneris. Sic arridens patefecit ingressum: quo aperto, dū in mutuos miserentur amplexus, proprijs se salutare cepère nominibus, gratiæ Domino in commune ab eis referuntur. Et post sanctum osculum, residens Paulus cum Anthonio, ita exorsus est: Et quem tanto labore quæsisti putribus senectute membris operit inculta canicies? En uides hominem in puluerem mox futurum. Verum quia charitas omnia sustinet, narra mihi quęso, quomodo se hominum genus habeat: an in antiquis urbibus noua tecta consurgant, quo mundus regatur imperio? an supersint aliqui, qui dęmonum errore decipiantur. Inter has sermocinationes suspiciunt alitem coruum in ramo arboris consedisse: qui inde leuiter subuolans, integrum panem ante mirantium ora deposuit. Post cuius abscessum:

Eia

Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit: uere pius, uere misericors: Sexaginta iam anni sunt, ꝙ dimidij semper panis fragmenta accepi, uerum ad aduentū tuum militibus suis Christus duplicauit annonam. Igitur in deum gratiarū actione celebrata, super uitrei fontis marginem uterq; consedit. Hinc uero quis frangeret panem orta contentio pene diem duxit in uesperū. Paulus more cogebat hospitij, Anthonius iura refellebat ætatis: tandem consilij fuit, ut apprehenso erogatione pane, dum ad se quisq; nititur, pars sua remansit in manibus. Dehinc Paululum aquæ proni in fonte ore lamberunt, & immolantes deo sacrificiū laudis, noctem transegère uigilijs. Cumq; iam esset terris redditus dies, beatus Paulus ad Anthonium sic locutus est: Olim te frater in istis regionibus habitare sciebam, olim conseruum meum mihi promiserat dominus: sed quia iam dormitionis tempus aduenit, & quod semper cupieram dissolui, & esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona iustitiæ: tu missus à domino es, qui humo corpusculū tegas, imò terram terræ reddas. His Anthonius auditis, flens & gemens, ne se desereret, atq; ut comitem talis itineris acciperet precabatur. Et ille: Non debes, inquit, quærere quæ tua sunt, sed quæ aliena. Expedit quidem tibi, sarcina carnis abiecta agnū sequi, sed & cæteris expedit fratribus, ut tuo adhuc instituantur exemplo. Quamobrē perge, quæso (nisi molestum est) & pallium quod tibi Athanasius episcopus dedit, ad obuoluendū corpusculum meum, defer huc. Hoc autem beatus Paulus rogauit, non ꝙ magnopere curaret, utrum tectum putresceret cadauer, an nudum, quippe qui tanti temporis spacio contectus palmarum folijs uestiebatur, sed ut à se recedenti meror suæ mortis alleuiaretur. Stupefactus Anthonius, ꝙ de Athanasio & de pallio eius audierat, quasi Christum in Paulo uidens, & in pectore eius deum uenerans, ultra respondere nihil ausus est, sed cum silētio lachrymans, exosculatis eius oculis manibusq;, ad monasterium, quod postea à Sarracenis occupatum est, regrediebatur. Neq; uero gressus sequebantur animum, sed cum corpus inane ieiunijs sensus etiam animi frangeret, animo uincebat ætatem. Tandē defatigatus & anhelans ad habitaculum suum confecto itinere peruenit. Cui cum duo discipuli, qui ei iam longæuo ministrare ceperant, occurrissent dicentes, Vbi tamdiu moratus es pater? respondit: Vę mihi peccatori, qui falsum monachi nomen fero: uidi Heliam & Ioannem in deserto, & uere in Paradiso Paulum uidi. Ac sic ore compresso, & manu uerberans pectus, à cellula pallium protulit. Rogantibusq; discipulis, ut plenius quidnam esset rei exponeret, ait: Tempus loquendi, & tempus tacendi est. Tunc egressus foras, & nec modicum quidem cibi sumens, per uiam qua uenerat, regrediebatur. Illum sitiens, illum uidere desyderans, illum oculis ac mente complectens: timebat eñ, quod euenit, ne se absente, debitum Christo spiritum redderet. Cūq; iam dies il-

luxisset alia, & trium horarum spacio iter remaneret, uidit inter angelorum cateruas, & inter prophetarũ & Apostolorum choros niueo Paulum candore fulgentem in sublime cõscendere. Et statim in faciem procedens, sabulum capiti suo superiacebat, plorans atq; eiulans, Cur me, inquit, Paule dimittis? Cur abis insalutatus? Tam tarde notus, tam cito recedis? Referebatq; postea beatus Anthonius tãta se uelocitate, quod reliquũ erat uiæ cucurrisse, instar auis præuolaret. Nec immerito. Nam introgressus speluncam, uidit genibus complicatis, erecta ceruice, extensisq; manibus in altum corpus exanime, ac primum & ipse uiuere eum credens pariter & orabat. Postq; uero nulla, ut solebat, suspiria precantis auditui inflebile osculum ruens intellexit, q etiam cadauer sancti uiri deum (cui omnia uiuunt) officio gestus precaretur: Igitur prouoluto & prolato foras corpore, Psalmis quoq; ex Christiana traditione cantatis, contristabatur Anthonius, q serculum, quo terram foderet, non habebat. Fluctuans uario mentis æstu, & secũ multa replicans: si ad monasterium reuertar, quatridui iter est, si hic maneam, nihil ultra proficiã. Moriar ergo ut dignum est, & iuxta bellatorem tuũ Christe ruens, extremum halitum fundam. Talia eo animo uoluente, ecce leones duo ex interioris heremi parte cõcurrentes, uolantibus per colla iubis ferebantur. Quibus aspectis, primo exhorruit, rursusq; ad deum mentem referens, quasi columbas uideret, mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt, adulantibusq; caudis, circa eius pedes accubuere fremitu ingenti rugientes, prorsus ut intelligeret eos plangere quomodo poterant. Deinde haud procul ceperunt humũ pedibus scabere, harenamq; certatim egerentes, unius hominis capacem locum effodere, & statim quasi mercedem pro opere postulaturi, cum motu aurium ceruice deiecta, ad Anthonium perrexerunt, manus eius pedesq; lingentes, ut ille animaduerteret, benedictiones eos à se deprecari. Nec mora, in laudatione Christi effusus, q eum muta quoq; animalia sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec unus passer ad terram cadit, da illis, sicut tu scis. Et manu annuens, ut abirent imperauit. Cumq; illi recessissent, sancti corporis oneri seniles curuauit humeros, & deposito eo in fossam, desuper humum cõgregans, tumulum ex more composuit. Postq; autem dies illuxerat alia, ne qui d pius heres ex intestatis bonis non possideret, tunicam eius sibi uendicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs sibi ipse contexuerat. Ac sic ad mon asterium reuersus, discipulis ex ordine cuncta replicauit, diebusq; solennibus Paschæ uel Penthecostes semper Pauli tunica uestitus est.

Libet in fine opusculi interrogare eos, qui patrimonia sua ignorãt, qui domos marmoribus uestiunt, qui uno lino uillarum insuunt prædia, huic seni nudo quid unquam defuerit? Vos ex gemma bibitis, ille

uero

-uero cauis manibus satisfecit naturæ. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne uilissimi quidem uestri mancipij indumentum habuit. Sed ecõtrario illi pauperculo paradisus patet, uos auratos gehenna suscipiet. Ille Christi uestem, licet nudus, seruauit, uos uestiti sericis, indumentum Christi perdidistis. Paulus uilissimo opertus puluere iacet resurrecturus in gloriam, uos operosis saxis sepulchra premunt, cum uestris opibus fortassis arsuros. Parcite quęso uos, parcite saltem diuitijs, quas amatis. Cur mortuos uestros auratis obuoluitis uestibus? Cur ambitio inter luctus lachrymasq; non cessat? An cadauera diuitum nisi in serico putrescere nesciunt? Obsecro quicunq; hæc legeris, ut Hieronymi peccatoris memineris, cui si dominus optionem daret, multo magis eligere tunicã Pauli cum meritis eius, q̃ regum purpuram cum regnis suis.

PAVLA VIDVA.

SI cuncta mei corporis membra uerterentur in linguas, & omnes artus humana uoce resonarent, nihil dignum sanctæ ac uenerabilis Paulæ uirtutibus dicerem. Nobilis genere, sed nobilior sanctitate, potens quondam, sed nunc Christi paupertate insignior. Gracchorum stirps, soboles Scipionum, Pauli heres, cuius uocabulum trahit, Metiæ Papyriæ matris Africani uera & germana progenies, Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia informis luti uilitate mutauit. Non mœremus, quòd talem amisimus, sed gratias agimus, quòd habuimus, imò habemus. Deo enim uiuunt omnia, & quicquid reuertitur ad dominum, in familiæ numero computatur, quanq; amissio illius cœlestis domus habitatio sit. Quæ quandiu in corpore fuit, peregrinata est à domino uoce semper flebili quærebatur dicens: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, habitaui enim cum habitantibus Cedar. Multum peregrinata est anima mea: nec mirum, si planxerat se uersari in tenebris. Hoc enim cedar interpretatur, cum mundus in maligno positus sit, & sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Luxq; in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Vnde & illiud crebrius referebat: Aduena ego sum & peregrina sicut omnes patres mei. Et iterum: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quotiens autem infirmitate corpusculi (quam incredibili abstinentia, & duplicatis contraxerat ieiunijs) uexabatur, dicebat: Corpus meum subijcio & in seruitutem redigo, ne alijs prædicans, ipsa reproba inueniar: & bonum est mihi, uinum non bibere, & carnem non manducare: & humiliaui in ieiunio animam meam, & totum lectum meum uersasti in infirmitate mea, & uersata sum in miseria, dum mihi infigitur spina. Atq; inter doloris aculeos, quos mira patiẽtia sustinebat, quasi apertos sibi cœlos aspiceret, loquebatur: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, &

Ex uitis Patrum.

bæ, & uolabo, & requiescam. Testor Iesum & sanctos Angelos eius ipsumq; proprium angelum, qui custos fuit & comes admirabilis fœminæ, me nihil in gratiam, nihil in ore laudantium, sed quicquid dicturus sum, pro testimonio dicere, & minus eius esse meritis, quàm quod totus orbis canit: Sacerdotes mirantur, uirginum chori desiderant, monachorum & pauperum turba deplangit. Vult lector eius breuiter scire uirtutes. Omnes suos pauperes, pauperior ipsa dimisit. Nec mirum de proximis et familiola, quam utroq; sexu de seruis et ancillis in fratres sororesq; mutauerat, ista proferre, cum Eustochium uirginem & deuotam Christo filiam, in cuius consolationem libellus hic cuditur, procul à nobili genere sola fide & gratia diuitem dereliquerit. Carpamus igitur narrandi ordinem: Alij altius crepitant, & à cunabulis eius ipsisq; (ut ita dicam) crepundijs matrem Blesillam, & Rogatũ præferam patrem, quorum altera Scipionum Gracchorumq; progenies est, alter per omnem Grætiã usq; hodie & stemmatibus & diuitijs, ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui decennali Troiam obsidione deleuit, nos nihil aliud laudamus nisi quod proprium est, & purissimo sanctæ mentis fonte profertur: quanq; dominus ac Saluator in Euangelio doceat Apostolos sciscitantes, quid illis redditurus sit, qui omnia sua pro nomine eius dimiserant: centuplum in præsentiarum recepturos, & in futuro uitam æternam, respondit. Ex quo intelligimus, nõ laudis esse possidere diuitias, sed pro Christo eas contemnere: non tumere ad honores, sed pro fide eos paruipẽdere. Verè quod pollicitus est seruis suis & ancillis Saluator, reddit in præsenti. Namq; unius contempsit gloriã urbis, totius orbis opinione celebratur. Quam Romæ habitantem nullus extra Romam agnouerat, latentem in Bethleem & Barbara & Roma terra miratur. Cuius enim gẽtis homines ad sancta loca nõ ueniant? Quis aũt in sanctis locis præter Paulam, quod plus inter homines miraretur, inuẽit? Et sicut inter multas gemmas preciosissima gemma micat, & iubar solis paruos stellarum igniculos obruit & obscurat, ita cunctorum uirtutes & potentiam sua humilitate superauit, minimaq; fuit inter omnes, ut omnium maior esset: & quanto plus se dejiciebat, tanto magis à Christo subleuabatur. Latebat, & non latebat, fugiendo gloriam, gloriam merebatur: quã uirtutes quasi umbra sequũtur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores. Sed quid ago, narrando ordinem prætermittens, dum in singulis tenore nõ seruo præcepta dicendi? Tali igitur stirpe genita est iunctaq; uiro Toxotio, qui Æneæ & Iuliorum altissimum sanguinem trahit. Vnde etiam Christi uirgo filia eius Eustochium Iulia nuncupatur, & ipse Iulius à magno demissum nomen Iulo. Et hoc dicimus, non quo habitantibus grandia sint, sed quo contemnentibus mirabilia. Sęculi homines suspiciunt eos, qui his pollent priuilegijs, nos laudamus, qui habentes paruipendant, hæc si habere noluerint,

rint prædicamus. His inquam orta maioribus & fœcunditate ac pudicitia probata: primum uero, deinde propinquis & totius urbis testimonio, cum quinque liberos ædidisset, Blesillam super cuius morte eam Romæ consolatus sum, Paulinam (quę sanctum & admirabilem uirum, & propositi & rerum suarum Pammachium reliquit hæredem, ad quem super obitu eius paruum libellum ędidimus) Eustochium quæ nunc sanctis locis uirginitatis & ecclesiæ monile preciosum est, Rufinam quæ immaturo funere pium matris animum cōsternauit, & Toxotium, post quem parere desinit, ut intelligeres eam non diu seruire uoluisse officio coniugali, sed mariti desiderio (qui mares optabat liberos) obedisse. Postquam uir mortuus est, ita eum planxit, ut prope ipsa moreretur, & ita se conuertit ad domini seruitutem, ut mortem eius uideretur optasse. Quid ergo referam amplę & nobilis domus quondam opulentissimæ, omnes penè diuitias in pauperēs errogatas? Quid in cunctos clementissimum animum & bonitatem, etiam in eos quos nunquam uiderat euagantem? Quis inopum moriens non illius uestibus obuolutus est? Quis clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? quos studiosissime tota urbe perquirens damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgātes propinquos maiorem se eis hæreditatem Christi misericordiam dimittere loquebatur. Nec diu potuit excelsi apud sæculum generis & nobilissimę familię uisitationis frequentiam sustinere. Merebat honore suo & ora laudantium declinare & fugere festinabat. Cumque orientis & occidentis Episcopos ob quasdam ecclesiarum dissensiones Romam imperiales literæ contraxissent, uidit admirabiles uiros Christique pontfices Paulinum Antiochenę urbis episcopum, & Epyphanium Salaminę Cypri, quę nunc Constantia dicitur, quorum Epyphanium etiam hospitem habuit Paulinum in alia manentem domo, quasi proprium humanitate possedit, quorū accensa uirtutibus per momēta patriam deserere cogitabat. Non domos, non liberorum, nō familiæ, non possessionum, non alicuius rei quæ ad sæculum pertinent, memor, sola (si dici potest) & incomitata, ad heremum Anthoniorum & Paulorum pergere gestiebat, tandem exacta hyeme aperto mari, redeuntibus ad ecclesias suas episcopis, ipsa uoto cum eis & desiderio nauigabat. Quid ultra differo? Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & (quod his magis est) liberis prosequentibus, & clementissimam matrem uincere pietate cupientibus. Iam carbasa tendebantur, & remorum ductu nauis in altus protrahebatur. Paruus Toxotius, supplices manus tendebat in littore, Rufina iam nobilis, ut suas expectaret nuptias tacens flectibus obsecrabat, & tamen illa siccos tenebat occulos ad cœlum, pietate in filios pietate in Deum suspirans. Nesciebat se matrem, ut Christi probaret ancillam. Torquebantur uiscera, & quasi à suis membris distraheretur cum dolore pugnabat,

bat, in eo cūctis admirabilior, quod magnam uinceret charitatem. Inter hostium manus & captiuitatis duram necessitatem, nihil crudelius est, quàm parentes à filijs separari. Hoc contra iura naturæ plena fide patiebatur, imò gaudens appetebat amorem filiorum, maiore in Deum amore contendens, in sola Eustachio, quæ & propositi & nauigationis eius comes erat, quiescebat. Sulcabat interim nauis mare, & cūctis qui cum ea uehebantur littora recipientibus, illa aduersos tenebat oculos, ne uideret quos sine tormento uidere non poterat. Fateor nulla sic amauit filios, quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est exhæredans se in terra, ut hęreditatem inueniret in cœlo. Delata ad insulas Pontias (quas clarissimę quondam fœminarum sub Domitiano principe, pro confessione nominis Christiani, Flauiæ Domicillæ nobilitauit exilium) uidensque cellulas, in quibus illa longum duxerat martyrium, sumptis alijs, Hierosolymam & sancta loca uidere cupiebat. Tardi erant uenti, & omnis pigra uelocitas. Inter scillam & caribdim Adriatico se credens pelago quasi per stagnum uenit Methonem, ibique refocillato paululum corpusculo, & salo thabentes artus in littore ponens per maleam & citheram, sparsasque per equor Cycladas, & crebris freta concita terris post Rhodum & Liciam tandem uenit Cyprum, ubi sancti & uenerabilis Epyphanij pedibus obuoluta, decem ab eo diebus detenta est, non in refectionem (ut ille arbitrabatur) sed in opus Dei, ut res probata est. Nam omnia illius regionis lustrās monasteria prout habere poterat refrigeria, sumptū fratribus dereliquit, quos amor sancti uiri de toto illuc orbe cōduxerat. Inde breui cursu transfretauit Seleuciam, de qua ascendens Antiochiā, sanctique confessoris Paulini, modicū charitate detenta media hyeme calente ardore fidei, fœmina nobilis, quæ prius eunuchorum manibus portabatur, asello sedens profecta est. Omitto Cyriæ colles & Phœnicis iter: neque enim odeporicū eius disposui scribere, ea tantum loco nomino, quæ sacris uoluminibus continentur. Berito Romana colonia & antiqua urbe Sydonæ derelicta, in sarepte littore Helyæ ingressa est turriculam, in qua, adorato domino Saluatore, per harenas Thyri, in quibus Paulus genua fixerat, peruenit ad Choum, quæ nunc Ptolemais dicitur, & per campos Magedo Iosiæ necis concio intrauit in terram Philistijm, mirata ruinas Dor urbis quondā potentissimæ, & uersa die strationis turrim ab Herode rege Iudææ, in amore Cæsaris Augusti, Cæsaream nuncupatam, in qua Cornelij domum, Christi uidit ecclesiam, & Ppilippi ædiculas, & cubiculum quatuor uirginū prophetissarum, deinde Antipatrida semirutum oppidulum, quod ex patris nomine Herodes uocauerat, & Lyppam uersam in Dispolim, Dorcadis, atque Æneæ resurrectione & sanitate inclytam. Haud procul ab ea Arimathiam uiculum Ioseph qui Dominum sepeliuit, & Nobe urbe quondam sacerdotum, nunc tumulus occisorum, Ioppen quoque fugienti por-

ti portum Ionę, & (ut aliquid perstringam de fabulis poetarum) relegatæ ad saxum Andromedæ spectatricem: repetitoq; itinere in Copolim quæ prius Emaus uocabatur, apud quam in fractione panis Dominus cognitus, Cleophæ domum in ecclesiā dedicauit. Atq; inde proficiscens ascendit Bethoron inferiorem & superiorem, urbes à Salomone rege conditas, & uaria post hæc à bellorum tempestate deletas, ad dexteram respiciens Aylon & Gabaon, ubi Iesus filius Nauæ contra quinq; reges dimicans soli imperauit & lunæ, & Gabaonitas ob dolum & insidias fœderis impetrati in aquarios lignariosq; damnauit. In Gabaa urbe usq; ad solum dirupta paululum substitit, recordata peccati eius, & concubinæ in frustra diuisæ, & tribus Beniamin in sexcentis uiris propter Paulum reseruatis. Quid diu moror? Ad leuam Mausoleo Helenæ derelicto, quæ à Dyabenorū regina in fame populum frumento iuuerat, ingressa est Hierosolymam urbem trosonomam, Iebus, Salem, Hierusalem, quæ ab Helio postea Adriana de ruinis & cineribus ciuitatis in Helia suscitata est. Cumq; proconsul Palæstinæ (qui familiam eius optime nouerat) præmissis apparitoribus iussisset parari prætorium, elegit humilem cellulam, et cuncta loca tanto ardore ac studio circuiuit, ut nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci, prostrataq; ante crucem quasi pendentem Dominum cerneret adorabat. Ingressa sepulchrum resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab hostio sepulchri remouerat Angelus, & ipsum corpori locum, in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas fidei ore lambebat. Quid ibi lachrymarū, quantum gemitum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Hierosolyma, testis est ipse dominus quem rogabat. Vnde egrediens ascendit Syon, qui in arcem uel speluncam uertitur. Hanc urbem expugnauit quondam & ædificauit Dauid, unde de expugnata dicitur: Væ tibi ciuitas Ariel, id est, leo Dei & quondam fortissima, quam expugnauit Dauid. De ea quæ ædificata est: Fundamenta eius in montibus sanctis diligit Dominus, portas Syon super omnia tabernacula Iacob, nō in eas portas quas hodie cernimus in fauillas & cineres dissolutas, sed portas quibus infernus non præualet, & per quas credentium ad Christum ingreditur multitudo. Ostendebatur illic columna ecclesiæ porticum sustinens infecta cruore domini, ad quam uinctus ducitur & flagellatur. Monstrabatur locus ubi super centum uiginti credentium animas spiritus sanctus descenderat, ut Iohelis uaticinium compleretur. Deinde pro facultatula sua pauperibus atq; conseruis pecunia distributa, perrexit Bethleem, & in dextera parte itineris stetit ad sepulchrum Rachel, in quo Beniamin non ut mater uocauerat moriens Benoni, hoc est filium doloris mei, sed ut pater prophetauit in spiritu, filium dextræ procreauit. Atq; inde speculum Saluatoris introiens, postq; uidit sacrum uirginis diuersorium, ubi cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, ut

impleretur illud quod in eodem propheta scriptum est. Beatus qui seminat super aquas, ubi bos & asinus calcant me audiente iurabat cernere se fidie oculis infantem pannis inuolutum, uagientem in præsepio, Deum Magos adorātes, stellam fulgentem desuper, matrem uirginem, nutritiuū sedulum pastores nocte uenientes, ut uiderent Verbum quod factum erat, & iam tunc Euangelistæ Iohannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est. Paruulos interfectos, Herodem sæuientem, Mariam & Ioseph fugientes in Ægyptum mixtisq; gaudio lachrymis loquebatur: Salue Bethleem domus panis, in qua natus est ille panis qui de cœlo descendit. Salue Effrata regia liberrima atq; carpofora cuius fertilitas deus est, ex te mihi egredietur, qui sit Princeps Israël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. De te quondam Micheas propheta uaticinatus est, tu Bethleem domus Effrata, non minima es in milibus Iuda. Propterea dabis eos usque ad tempus parientis partum, & reliquiæ fratrum eius cōuertentur ad filios Israël. In te enim natus est princeps, qui ante luciferum genitus est, cuius de patre natiuitas omnem excedit ætatem, & tamdiu in te Dauidici germinis origo permansit, donec uirgo pareret, & reliquiæ populi credentes in Christum conuerterentur ad filios Israël, & libere prædicarent. Vobis oportebat loqui primum uerbum Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos uos iudicastis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes. Dixerat enim dominus: Non ueni nisi ad oues perditas domus Israel. Et eo tempore Iacob super eo uerba completa sunt: Non deficiet princeps ex Iuda, neq; dux de femore eius, donec ueniat cui repositum est: & ipse erit expectatio gentium. Bene enim Dauid iurabat, bene uota faciebat, dicens: Si introiero in tabernaculum domus meę, si ascendero in lectum strati mei. Si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis donec inueniam locum domino tabernaculum Deo Iacob. Et statim quid desideraret exposuit, atq; oculis prophetalibus quem nos iam uenisse credimus ille uenturum esse cernebat. Ecce audiuimus eum in Effrata, inuenimus eum in campis Siluę: Zob quippe sermo Hebraicus, ut te docente didici, non Mariam matrem domini, hoc est astin, sed ipsum, id est aston, significat, unde loquitur confidenter: Introiuimus in tabernaculum eius, adorauimus in loco ubi steterunt pedes eius. Et ego misera atq; peccatrix, digna sum iudicata deosculari præsepe, in quo Dominus paruulis uagijt, orare etiam in spelunca, in qua uirgo puerpera Deum fudit infantem. Hæc requies mea quæ Domini patria est, hic habitabo, quoniā Saluator elegit eam: Paraui lucernā Christo meo, anima mea illi uiuet, & semen meū seruiet ipsi. Haud procul inde descendit ad turrim Ader, id est gregis, iuxta quam Iacob pauit greges suos, & pastores nocte uigilantes audire meruerunt

ruerunt: Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ uoluntatis. Dumq́ seruant oues, inuenerunt agnum Dei puro & mundissimo uellere, quod in ariditate totius terræ cœlesti rore completum est, cuius sanguis tulit peccata mundi, & exterminatorem Ægypti militis fugauit in postibus. Statimq́ concito gradu cœpit per uiam ueterem pergere, quæ ducit Gazam ad potentias uel diuitias dei, & tacita secum uoluere, quomodo Eunuchus Æthiops, gentium populum præfigurans mutauerit pellem suam: & dum uetus relegit instrumentum, fontes reperit Euangelij. Atq; inde ad dexteram transijt ad Bethsur, & uenit Erchol, quæ in botrum uertitur. Vnde in testimonium terræ fertilissimæ, & in typum eius qui dicit: Torcular calcaui solus, & de gentibus non est uir mecum: exploratores botrum miræ magnitudinis portauerunt. Non est longum spacium, intrauit Sarræ cellulam, uidens in cunabulis Isaac, & uestigia quercus Abraham, sub qua uidit diem Christi & lætatus est. Atque inde consurgens ascendit Hebron, hæc est Cariatharbe, id est, oppidum uirorum quatuor, uidelicet Abraham Isaac & Iacob, & Adã magni, quem ibi conditũ iuxta librũ Iesu Naue Hebræi autumant, licet plæriq; Caleph quartũ putent, cuius ex latere memoria demonstratur. Noluit pergere Cariathsepher, id est, uiculum literatum, quia contemnens occidentem literam, reparat spiritum uiuificantem, magisq́ mirabatur superiores & inferiores aquas, quas Othoniel filius Iephonecenem pro australi & arida possessione susceperat, & quarum ductu siccos prioris instrumenti agros fecerat irriguos, ut redemptionem ueterum peccatorum aquis baptismi reperiret. Altero die orto iam sole, stetit in supercilio Capharberuch, id est, uillę benedictionis, quem ad locum Abraham Dominus persecutus est. Vnde latam despiciens solitudinem, & terram quondam Sodomæ & Gomorræ, Adamæ & Seboim, cõtemplata est Balsami uineas in Engaddi, & Segor uitulam consternantem, quæ prius Bale uocabatur: & in Zoaram, hoc est, paruulam Sylo sermone translata est. Recordabatur speluncæ Loth, & uersa in lachrymas, uirgines socias admonebat, cauendum esse à uino, in quo est luxuria, & cuius opus Moabitæ sunt & Ammonitæ. Diu hæreo in meridie, ubi sponsa cubantem reperit sponsum: Ioseph inebriatus est cum fratribus suis. Reuertar Hierosolymam, & per Tecuam atq; Amos, rutilantem montis olíueti lucem aspiciam, de quo Saluator ascendit ad Patrem, in quo per annos singulos uacca ruffa in holocaustum domini cremabatur, & cuius cinis expiabat populum Israël, in quo iuxta Ezechielem Cherubin de templo transmigrãtes, ecclesiam Domini fundauerunt. Ingressaq́ sepulchrum Lazari, Mariæ & Marthæ uidit hospitium, & Bethphage uillam sacerdotalium maxillarium, & locum in quo pullus lasciuiens gentium domini frena suscepit, Apostolorumq́ stratus uestibus, mollia terga præbuit ad sedendũ. Rectoq́

itinere descendebat Hiericho, cogitans illum de Euangelio uulneratum & sacerdotibus et Leuitis mentis feritate prætereuntibus, clementiā Samaritani, id est, custodis, qui seminecem suo imperio imposito iumento ad stabulum ecclesiæ reportauit, & locum adommijn, quod interpretatur sanguinum (quia multus in eo sanguis crebris latronū fundebatur incursibus) & arbores sicomorum Zachęi, id est, bonæ pœnitentiæ opera, quibus cruenta dudum & noxia rapinis peccata calcabat, excelsumq́ dominum de excelso uirtutū intuebatur, & iuxta uiam cæcorum loca, qui receptis luminibus utriusq́ populi credentis in dominum sacramēta pmiserat. Ingressa Hiericho uidit urbē, quam fundauit Ayel in Abyram primogenito suo, & cuius portas posuit in Segub nouissimo filiorū. Intuita est castra Galgalæ, & aceruum præputiorum, & secundę circuncisionis mysterium, et duodecim lapides, qui de Iordanis alueo illuc translati duodecim Apostolorum fundamenta firmauerant, & fontem quondam legis amarissimum & sterilem, quem uerus Helisęus sua condidit sapientia, & in dulcorem ubertatemq́ conuertit, &c.

Reliquam historiam requirat Lector in Vitis Patrum.

PAVLI APOSTOLI CONVERSIO, ex libro Actorum cap. ix.

Ex Aratore Diacono.



SAulus acerba fremens committere bella Damasci
Iudaica feritate parat, sed amabitur agnus
Quò properat sæuire lupus, sors læta ruinæ est
In qua culpa cadit didicit de corpore lapso
In mentis iam stare gradu. cum lumina claudit,
Pectora tunc aperit, cœliq́ agnoscitur author
Discedente die, quantum meruêre tenebrę.
Post oculos maiora uidet. mirabile sęclis
Exemplum dedit alma fides. Anania furorem
Excutit, ô noua palma, lupum domat ille rapacem
Hebræus quem dixit ouem. clamabitur orbi,
Hoc præcone deus, legisq́ exutus ab umbra,
Sub qua cæcus erat. terras lucebit in omnes
Perpetuo de sole calens, ne desine Saule
Nunc celebrare diem multorum lumine plena
Nox datur ista tibi. tuq́ hic tua nubila portas,
Vt mundi purgare queas, nunc plena figuris
Interius documenta sequar, tectumq́ latebris
Aggrediar proferre iubar, q̄ tempora Saulus
In tenebris triduana gerit. facit esse fidelem
Exempli mensura sui. tandemq́ coactum

Pœna

Pœna magiſtra docet, dominum ne reſpuat ultra.
Poſt triduum ſuperaſſe chaos, cum cœperit ipſe
Sic uiſus reparare ſuos, quod ab orbibus atris
Et ſquamæ cecidere graues, natura quod anguis
Ferre ſolet, ratione uiget. Iudæa uenenum
Semper ab ore uomit, crudelior aſpide ſurda
Perfidiæ coluber Synagogæ ſibilat antro,
Diſcipulis ſaluator ait: Calcabitis anguem,
Purior obſequijs ut ſit cœleſtibus actus
Vipereum iacit ante nephas, & prælia doctor
Mox meliora gerit. qui cum ſuperaſſet iniquas
Inſidias, meruit clauſis euadere ſportis.
Sporta ſolet texi iuncis palmiſq; uiciſſim
Tegmina dat Saulo retinens in ore figuram
Eccleſiæ: nam iuncus aquis, & palma coronis
Semper ineſt. iuuat Eccleſiam baptiſmatis unda,
Martyriiq; cruor. dudum ueſcente caterua
Nutriti ſub dente cibi. diſtendere ſeptem
Sportarum cœpêre ſinus. tot in orbe profecto
Eccleſias ſcriptura canit, q; ſpiritus illic,
Sic operator adeſt, & ſignat nomine uirtus
Cum tamen Eccleſiam celebremus in omnibus unam.
Protegit ergo uirum ſpecies, cui militat ipſe
Vas in uaſe manens. atq; hac duce tutus ab hoſte
Egreditur, cunctis doctor qui uincit in armis.

Adam de S. Victore.

COrde, uoce pulſa cœlos,
Triumphale pange melos
Gentium Eccleſia.
Paulus doctor gentium
Conſummauit ſtadium
Triumphans in gloria.
Hic Beniamin adoleſcens,
Lupus rapax, præda ueſcens,
Hoſtis eſt fidelium.
Mane lupus, ſed ouis ueſpere,
Poſt tenebras lucente ſydere,
Docet Euangelium.
Hic mortis uiam arripit,
Quem uitæ uia corripit,
Dum Damaſcum graditur.
Spirat minas, ſed iam cedit,
Sed proſtratus iam obedit,
Sed iam uinctus ducitur.
Ad Ananiam mittitur,
Lupus ad ouem trahitur,
Mens reſedit effera.
Fontis ſubit ſacramentum,
Mutat uirus in pigmentum
Vnda ſalutifera.
Vas ſacratum, uas diuinum,
Vas propinans dulce uinum
Doctrinalis gratiæ.
Synagogas circuit,
Chriſti fidem aſtruit
Prophetarum ſerie.
Verbum crucis proteſtatur,
Cauſa crucis cruciatur,

Mille modis moritur.
Sed perſtat uiuax hoſtia,
Et inuicta conſtantia,
Omnis pœna uincitur.
Segregatus docet gentes,
Mundi uincit ſapientes
Dei ſapientia.
Raptus ad cœlum tertium,
Videt patrem & filium,
In una ſubſtantia.
Roma potens et docta Grecia
Præbet colla, diſcit myſteria,
Fides Chriſti proficit.
Crux triumphat, Nero ſæuit,
Quo docente fides creuit,
Paulum enſe conficit.
Sic exutus carnis molem
Paulus, uidet uerum ſolem
Patris unigenitum.
Lumen uidet in lumine,
Cuius uitemus numine
Gehennalem gemitum.

TIMOTHEVS PAVLI DISCIPVLVS.

Georg. Vuicel.

TImotheus Lyſtris oppido Lycaoniæ natus ex Iudæa matre, & patre gentili, Chriſtianæ religionis cultor erat, cum Paulus in ea loca peruenit. Qui motus Timothei ſanctitate & optima fama, qua idem inter Chriſtianos illius tractus celebratur, aſciuit ipſum ſocium & comitem ſuæ peregrinationis. Ac ne offenderentur, qui ex Iudaiſmo conuerſi fuerant ad Chriſtum, Timotheumq́ nouerant filium eſſe patris gentilis, ipſum circumcidit, quod licebat, adhuc nondum ſatis Euangelio promulgato. Cum autem perueniſſent Epheſum, ibidem Timotheus et Paulo relictus eſt, ut Eccleſiã doctrina exemploq́ iuuaret. Ad hunc Paulus ut doctrina qua præſentem inſtituerat, abſentem quoque confirmaret, duas epiſtolas ſcripſit: alteram à Laodicea, alteram ab urbe Roma. Poſtremo Timotheus quum in feſto celeberrimo Dianæ populum ab impio ſacrificio conaretur auertere, lapidibus obrutus eſt à furẽte populo, unde penè mortuus ſublatus à Chriſtianis, & ad montem urbi uicinum eductus, ſpiritum emiſit.

Timotheus Epheſiorum Epiſcopus ordinatus à beato Paulo, ex gentibus erat, nõ ex circũciſione. De quo multa teſtatur Paulus, admonens, ut honeſtam profeſſionem dati ſibi doni ſeruaret, qui & glorioſe illic teſtificatus eſt.

TITVS PAVLI DISCIPVLVS.

TItus Epiſcopus Cretæ, in eadem & in circumiacentibus inſulis prędicauit Euangelium Chriſti. Ibidem autem & dormiuit, & ſepultus eſt, nempe in Creta.

Creſcens

CRESCENS PAVLI COMES.

CRescens in Gallijs prædicauit Euangelium,& illic sepultus est. Eunuchus Candaces Æthiopum reginæ in Arabia cognomento Felici,& in Taprobana insula maris rubri prædicauit Euangelium domini. Aiunt autem eum & ibidem martyriũ pertulisse, & honorifice fuisse sepultum. Porrò de Timotheo, Tito & Crescente Eusebius historiæ Ecclesiasticæ lib.iij.cap.iiij.plura commemorat.

IO. CHRYSOST. EPISCOP.

IOannes Antiochenus uocatus Chrysostomus, presbyter inter primos Antiochiæ. Fuit Eusebij Emeseni philosophi, & Diodori sectator. Hic fertur multa scripsisse, ex quibus omnibus, dialogi de sacerdotij dignitate excellunt, tum sublimitate & elocutione, tum lenitudine atq; uocum elegantia : ijs proxime certant isti in Psalmos Dauid admirandi sermones,& præclara in Euangelium Ioannis expositio, adeoq; commentaria egregia, quæ in Matthæum, Marcum & Lucam reliquit. Reliqua uero eius opera numerum prorsus fugiunt: quippe qui omnem scripturam,tam Iudæam,q; Christianam, ita illustrauit,ut alius nemo. Assiduam deniq; suorum testium de se prædicationẽ,adauxit expedito alacriq; studio,atq; fluore orationis, ipsi Nili fluctibus fœcundiore. Neq; itaq; ab exordio mundi, tantam orationis facultatem unquam est nactus,quantam solus ille locupletauit. Adeoq; solus puriter aureum promeruit,diuinumq; nomẽ. Cuius quidem opera percensere, complectiq; numero, uix hominis est: quin potius unius dei contenderim, ut qui unus omnia cognoscit. Cæterum diuus ille Ioannes Chrysostomus intẽtissimus exercitio,uigilijs multus, multus uehemensq; quietis amator, atque ob zelum pietatis interim bene liber quasiq; iracundior. Etenim ira q̃ reuerentia impensius gratificabat. Aduersus accedentes usus est ultra modũ oris libertate. In docendo ad utilitatem accommodatissimus, familiari conuictu, tanq; superbus & fastosus ijs uisus est, qui eius animi candorem minus nouerunt. Præterea euectus in episcopum, contra subditos maius assumpsit supercilium, ad uniuscuiusq; correctionem & salutem, tum mores, tum uerba mutans. Non igitur quemlibet parum adulantem elatum iudicemus : neq; ediuerso eum qui est adulator & ingenerosæ mentis, cõtinuo fateamur seruare modũ, sed illum potius, qui ordine & apto & uere liberis idoneo seipsum custodit: Siquidem esse decet magnanimũ, non superbum, uirilem,non temerarium,mansuetum, non sordide seruilem, liberum,nõ mancipium. Quemadmodũ ipse alias præclare literis mandauit. Propterea uarium,inquit,oportet esse pastorem, & doctorem: uarium aũt dico

dico, non subdolum, neq; etiam adulatorem, aut iniurium, sed multa libertate, multaq; cõfidentia plenum, qui noscat in tempore & esse nunc suauis, nunc austerus. Etenim omnibus qui præsunt, haud conuenit unus idemq; modus agendi, quando neq; medicis eruditis omnibus ægrotis unum adhibere pharmacum, honestum est, neq; gubernatori scire unã dũtaxat uiam aduersus repugnantes uentorum flatus. Igitur animo concipe, q; esse industriũ necesse est, eum uirum, cui tantis est procellis, tam sæuæ maris tempestati, totq; fluctibus insurgentibus, resistendum. Ad hæc qui debet omnia omnibus fieri, ut omnia lucrifaciet, uenerandũ & grauem esse illum, qui potest negari? & absq; arrogantia, & uerendum, & lenem, principalem, gregarium, muneribus insuperabilem, salutarẽ, submissum, alienum à sordida seruilitate, iucundum, sedatæq; mentis, ut eiusmodi pericula feliciter expugnare sufficiat. Quamobrẽ apertissimus ille cordatusq; caueat, ne quando turpiter aduletur, neq; etiam adulatori se prębeat illudendũ, ne sit superbus, neq; adulans, sed ab utriusq; mali excessu temperet, adeoq; liber, tum peruicaciam incurrere, tum incidere seruitutis ignauiam, ut qui ad bonos humilis apparere debet, ad confidentes autem sublimis, quia illi mansuetudinem esse uirtutem putant, hi uero uirilem cõfidentiam. Illis animum adhibe summissum, atq; his grauitatem uiro dignam, quæ eorum à temeritate profectam gloriã extinguit, quo illis adiumentum animumq; subdat, atq; horum magnificam de se dissipet opinionem. Nam unius cuiusq; rei tempus est, ait Salomon, Hoc est, humilitatis, potentiæ, correptionis, consolationis, parcendi, audendi, bonitatis, truculentiæ, atq; in uniuersum rei cuiuslibet. Quod interim humilitas præferenda est, meminisseq; decet, eorum qui sunt pueruli secũdum uocem dominicam. Interim autem potestati locus erit, quam Christus dedit in extructionem, & non in destructionẽ: idq; dum ipsa res fiduciam postulat, & in tempore consolationis benignitatem demonstret. Tempore crudelitatis efferuentem zelum uelut in oculos ingerat, semperq; alio quouis tempore quod ex usu fuerit, atq; iustũ cogitarit, exhibeat. Etenim iustorum cogitationes sunt iudicia. Iis Isidorus præterea subscribit, qui nihilo secius in principe, ut sit timori, q; ut seruet iustitiam, desyderat, quo per hanc bene agentes in spem consurgant, timore uero peccatores pauitent. Alterum quidem sine altero regni turbationem, q; regnum potius censendum est. Si omnes æque ad bonum officiosi, & uirtutem æque exosćularentur, utendum esset unã beneuolentia: contra uero si malis dediti omnes, timore tantum locus foret. Postea uero q; boni & mali simul uiuimus, utrunq; præstare principi, & populi præfecto necessum est.

Vita

VITA IOANNIS CHRYSOST. EX SOCRATE IN *Historia Tripart. lib. 10. cap. 3.*



Oannes fuit Antiochenus, filius Secundi et Anthusæ nobilium personarum, discipulus Sophistæ Libanij, & auditor Andragathij philosophi. Cumq; se ad aduocationem præpararet, consyderans molestias litigantium, iniustumq; uitæ propositum, potius elegit quietem. Et hoc fecit æmulatus Euagriũ, quoniam & ille cum ijsdem studijs esset usus, quietam magis sequutus est uitam. Mox ergo mutato cultu pariter et incessu, diuinis lectionibus incumbebat, & frequentius ad sanctam concurrebat Ecclesiam. Hæc agẽs persuasit etiã Theodoro et Maximo, qui fuerãt condiscipuli ipsius apud Sophistam Libanium, ut pomposam relinquerent uitam, & simplicem sequerentur. Quorum Theodorus postea episcopus Mopsuestiensis ordinatur Ecclesiæ, Maximus autem Seleucię Isaurię. Tum itaq; isti fiebant discipuli in lectione diuina Diodori atq; Carterij, qui eo tempore sacris monasterijs præsidebant. Sed Diodorus postea Tarsi ordinatus episcopus, multos conscripsit libros sacras ad literam intuens scripturas. Porrò Ioannem degentẽ cum Basilio, qui tunc à Meletio factus erat diaconus, & postea Cæsareæ Cappadocię præsulæ constituto, Zeno episcopus à Hierosolymis reuertens, lectorem in Ecclesia Antiochena constituit. In quo adhuc in officio positus, librum ędidit contra Iudæos. Post modicum uero tempus etiam Diaconatum à Meletio promerens. De sacerdotio alium fecit librum, aliosq; plurimos explanauit. Postea uero Meletio in Constantinopolitano urbe defuncto, recedens Ioannes à Meletianis, & neq; Paulino communicans, tribus annis continue sub quiete degebat. Mortuo uero Paulino, ab Euagrio eius successore presbyter ordinatur. Ante episcopatum itaq; hoc modo cõuersatus est. Fuit enim uir (ut aiunt) propter zelum castitatis seuerior, & amplius q̃ habebat à iuuentute sua, furori magis q̃ reuerentiæ se præbebat, & propter uitæ rectitudinem incautus prospicere de futuris. Propter simplicitatem uero oris libertate profusus, apud colloquentes non mediocriter utebatur. Docendo uero præcipuus erat, utilis ad corrigendos audientiũ mores. In confabulatione uero arrogans à nescientibus putabatur. Cum ergo talis moribus esset, episcopatu suscepto, maiori fastu, q̃ debuerat, utebatur, clericorum suorum corrigere uitam uolens. Mox igitur in ipso initio, cum clericis asper uideretur Ecclesię, erat plurimis exosus, & ueluti furiosum uniuersi declinabant. Compellebat em̃ eum, ut uelut omnes offenderet Serapio diaconus eius, qui aliquando præsentibus clericis, hunc protulit magna uoce sermonem: Nunq; poteris, ô Episcope, hos corrigere, nisi uno baculo percusseris uniuersos. Quo dicto, maiora contra eum odia concitata sunt. Non post multum uero temporis, plurimos clericorum pro diuersis exemit causis. At

illi conſpirantes aduerſus eum, etiam derogationibus apud populum utebantur, quarũ rerum faciebant maximam fidem, eo quod nec ullum ſecum comedere pateretur, nec ipſe ad alium inuitatus accederet. Dicũt enim quidam, propterea noluiſſe eum cum quoquam comedere, eo ꝙ turpiter manducaret, eſcasq́ꝫ perciperet. Aliȷ uero propter excellentem ciborum abſtinentiam, hoc eum facere prædicabant. Ego tamen, quodam uiro ueraci referente, audiui, ꝙ propter abſtinentiam capite & ſtomacho ſępe dolebat, & ideo prandiorum epulas euitabat. Porrò populus propter ſermones quos in eccleſia faciebat, diligebat eum, paruipendens accuſatorum uoces.

VINCENTIVS DIACONVS ET MARTYR.



Vincentius Oſchæ natus, quod oppidum eſt Hiſpanię citerioris, ab ineunte ætate ſtudio literarum deditus, & ſacris literis eruditus, à Valerio Cęſarauguſto epiſcopo, cui blœſa lingua erat, munus iniunctum prædicandi Euangelium pro ipſo ſanctiſſime et conſtanter obibat. Quo cognito Decianus prouinciæ præſes in perſecutione Diocletiani & Maximiani capi eum iubet Cæſaraugustę cum Valeriano, & uinctum ad ſe Valentiam deduci, ubi propter fidei conſtantiam uerberibus primum uſq́ꝫ ad tortorum laſſitudinem cæſus eſt: deinde in eculeo ferreis unguibus exaratus: poſtremo in craticula prunis ſubiectis impoſitus, & ferreis pectinibus alte impreſſis excarnificatus, quę cum inuicto animo pertuliſſet, in carcerem retruditur. Vbi paulò poſt ſpiritum ad martyrȷ coronam accipiendam emiſit, undecimo calendas Februarȷ. Quo die martyrium quoq́ꝫ celebratur Anaſtaſȷ natione Perſæ, qui Heraclio imperatore cum Hieroſolymam & loca ſancta uiſiſſet, extra caſtellum Bethſalem cum ſexaginta Chriſtianis, qui à Cæſarea Palęſtinæ ipſum fuerant ſequuti, iuſſu regis Coſdroę fuit ſtrangulatus.

De laude Vincentȷ Martyris lege hymnum in Periſtephanis Prudentȷ.

BRIGITA VIRGO.

Georg. Vuiccl.



Aliȷ nõ Brigita, ſed Birgita dicunt. Verum aut ego fallor, aut dici debet Pyrgita. Quo nomine S. Hieronymus Magdalenam alicubi uocat. Neq́ꝫ enim aliud Hebræis eſt Magdalena, & aliud Græcis πυργίτις, nimirum à turri. Eadem igitur ratione dixeris hanc diuam uel Pyrgitam, uel Magdalenam. Porrò binæ Pyrgitæ feruntur, quarũ altera uirgo monaſtica, nationis Scoticæ, tempore Iuſtini imperatoris: circa annum Domini 525. Altera Chriſto deuota fœmina è Suetiæ finibus, quæ Romam profecta inclaruit: circa annum Domini 1368. De uirginis Scoticæ pietate, deq́ꝫ per eam æditis miraculis,

culis alibi legas licet. Quod de foemina in Chronicis extat, uerisimilius est, Paulam Hieronymi discipulam aliquo modo imitari uoluit: dedicarat se totam Christo, abdicatis omnibus sæculi delitijs, Christo ut placeret, sategit: Christo seruire, regium esse & liberale duxit. Hanc quæ imitentur uiduæ, uix ullæ sunt: quæ neglecto Christo, sæculum amplectantur plurimæ: his præsertim temporibus, quibus abundat impietas, feruet iniquitas. Herma. Contractus meminit utriusq; Pyrgitæ.

Albertus Krantz in lib. x. sic scribit: Brigita insignis sanctimoniæ foemina, quæ memoriam suam Romæ fertur in ecclesia S. Pauli reliquisse, reuersa in Suetiam patriam suam, extruxit suis sumptibus monasterium Wasteen: Erat enim magno genere militari nata, ibiq; in sancta conuersatione degens, hoc tempore subuolauit ad Christum, miraculis clarescens, &c.

PVRIFICATIO MARIÆ DEIparæ, seu festum Hypantes.

Scripserat antiquæ Moses moderamina legis,
Inter quæ, primos prisco de sanguine uatum
Obseruare dedit, foetus offerre sacrandos, — Ex Mantuano.
Implumesq; simul ferre ad delubra columbas.
Hæc ubi per Mariam templo seruata feruntur,
Ecce senex Simeon, dignus comprendere sensu
Coelestes uoces, cui quondam præscia rerum
Virtus prodiderat, quod carcere coporis ægri
Deposito, mortem liber requiemq; uideret,
Cum primum coeli laudem, terræq; salutem,
Omnia quem uatum spondent oracula, Christum
Vidisset, templo solennes ferre palumbos.
Isq; ubi, curuato defessus corpore templum
Iam grauior penetrat, monuit quod spiritus author,
Ecce simul paruum gremio genitricis Iesum
Ad templum sensit uenisse, trementibus ulnis
Accepit puerum, lætusq; hæc dicta profatur:
Nunc nunc famulum dominus, nunc liberet atris
Corporis è uinclis, finemq; imponere uerbis
Dignetur cum pace suis. en splendida nostros
Lux oculos tua circūstat, radijsq; refulget,
Quam cunctis hominum lustratis mentibus addet,
Israëlitarum cumulatæ gloria plebis.
Hinc ait: hæc quid uirgo tibi tam mira uidentur?
Hic puer ad casum populis datur, iste renasci
Concedet populis; illi signum esse negabunt

Fœderis, hi contra cœlo uenisse tenebunt
Liuor edax faciet, lætum ut percurrat amarum,
Atq; tuam fulgens animam (mihi crede) machæra,
Quo pateant tecti tenebrosa uolumina cordis.
Hæc ait in Simeone Deus. uox ecce prophetæ
Fœmineam sancto complet spiramine mentem,
Anna fuit natu grauior, quàm in flore iuuentæ
Constituit uiduam mors immatura mariti.
Hinc fruitur casta charo pro coniuge uita,
Continuoq; dei cultu, quæ numine ducta
Cognouit Christum, & simili sermone locuta est.
Vnde ubi solennem pueri pro nomine legem
Compleuit genitrix, & Ioseph omnia mirans
Ad patriam læti repedant, puerumq; reportant.

IN IDEM EX SECVNDO LIB. PAR
thenices pri. Baptist. Mantua.

IAmq; quater decies croceos Titonia coniunx
Extulerat uultus, postq; Lucina beatos
Miserat in lucem cœlestia semina partus.
Regia post partum Virgo, quæ limina nunq;
Liquerat, & breuibus tectis abscondita, nondum
Venerat ad Solymas arces, altamq; Syonem,
Præuigil ante diem petijt cum prole uiroq;,
Et cum pauperibus donis Salomonia templa.
Tum meritis longoq; senex uenerabilis æuo,
Et claro Simeon uultu, niueaq; decorus
Canicie, plusquàm grauitas anniq; sinebant,
Sollicito gressu celsam properabat in ædem.
Sanctus enim, qui munda solet per pectora labi
Spiritus incessu celeri Simeona ferebat,
Vt uoti fieret compos, matriq; futuros
Euentus rerum caneret, sæuosq; dolores,
Ne collata sibi forsan mysteria uoluens,
Efflueret fastu pectus muliebre superbo.
Hunc Deus assiduis orantem fletibus olim
Audierat tandem, & noctis responsa per umbram
Tradiderat, non ante sui uentura sepulchri
Funera, quàm fracto Deus illucesceret orbi,
Inciperentq; nouæ noua sæcula currere gentis.
Hinc igitur dulcem materno à pectore natum
Accipiens lætis animis, & fronte serena

Dulce

Dulce Deo carmen, meritasq́ exsoluere grates
Cœpit, & ex alto missam clamabat Olympo
Progeniem, & priscæ uenisse piacula culpæ,
Et sic fatidicis soluit sua uocibus ora:
Iam mea sancte pater fueras uelut ante locutus,
Vltima pacifico concludis tempora fine.
Namq́ salutarem partum, tua maxima dona,
Vidimus his oculis, his ostentauimus ulnis.
Immensam reseras lucem, populiq́ sub ora
Mittis, ut omnigenas cœlesti lumine gentes
Clarificet, crescatq́ tuæ noua gloria plebi.
Tum matri conuersus ait: tua pectora uirgo
Languor, & ingenti dolor implacabilis ictu
Stringet, agens altum mœsta in pręcordia uulnus,
Tu genitum flebis.
Et quoniam uestris mea sunt uestigia plantis
Obuia, posteritas hac appellabit Hypantem
Voce diem Graia, crebrisq́ erit ignea tædis.
Hæc senior uates.

BLASIVS EPISCOPVS.

Blasius quum Sebastiæ, quę ciuitas est Cappadocię, sanctimonia polleret, electus est à Christianis eiusdem ciuitatis episcopus, Diocletiano imperatore. Sed persequutione in Christianos inualescente, in speluncam Argei uicini montis confugit, ibiq́ tam diu latuit, donec ab Agricolai præsidis militibus in eo monte uenantibus est repertus. Cuius pręsidis iussu captus & in uincula coniectus est, atq́ inde multos ægrotantes, qui ad ipsum adferebantur, sanauit: Et in his puerum iam conclamatū, spina strangulante, quæ transuersa in gutture ipsius inhæserat. Productus autem Blasius ad præsidem semel & iterum, cum dijs sacrificare renuisset, primum uirgis cęsus est, deinde ferreis pectinibus in eculeo laniatus, postremo capite plexus martyrio coronatur. *Ex autho. uetust.*

IOANNES ELEEMOSYNARIVS.

Temporibus Phocæ Imperat. claruit Ioannes Patriarcha Alexandriæ natus, Is doctrina uitæq́ sanctimonia præditus, cognomentum Eleemosynarij à liberalitate ac beneficentia sortitus est. ἐλεήμων enim dicebatur planè Euangelico cognomine. Pauperes, dicebat dominos suos esse, & mendicos auxiliarios. Alludens nimirum ad sermonem Christi, Lucę xvj. Facite uobis amicos de mammona *Ex author. uetust.*

iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Amicos itaq; tales domi descriptos habebat, ne quis illorũ per obliuionem destitueretur. Docendo populum eò duxit, ut cuiuis petenti prompte atq; hilariter impertiretur, & eam ad rem citare sanctorũ uirorũ exempla, quæ ipse tamen omnia mirandum in modum uicit. Dispersit, dedit pauperibus quicq̃d habebat, q̃cquid illi undiquaq; obueniebat. Christianus liberalior sub sole non uixit isto Eleemone. Familiare illi dictum isthuc erat: Sic ô sic bone Iesu, ego dispgendo, & tu subministrando uideamus, uter uincat. Equidem non temere Eleemosynam, hoc est, misericordiam, ceu uirginem sponsam oleacea corolla redimitam acceperat. Misericordia filium Dei deduxit è cœlo: eadem nos per illum à terra illuc subducet. Fidelis sermo. Vide Vitas patrum fol. lxxxiiij. Scripsit huius uitam Leontius episco. in Cypro.

DOROTHEA VIRGO ET MARTYR.

Georg. Vuicel.

FErtur senatoria familia prognata Dorothea uirgo, atq; liberaliter educata, nec non moribus à prima statim ætate tam pudicis q̃ ingenuis prædita. Grassante enim passim per Italiæ ciuitates sæua persecutione, commodum furori cessit pater uirginis, relictis omnibus in patria, secundum uerbum domini, & traiecto æquore, unà cum filiabus suis (quarum duas habuisse superstites dicitur, nempe Chresten & Calistam) in oras Cappadociæ peruenit. Ibi cũ sedem sibi pspexisset, placuit Cæsareæ cõmorari. Quo loco ex uxore sustulit tertiam filiã, hanc scilicet nostrã Dorotheam, uice magni à Deo doni. Quoniã uero in illis quoq; mundi partibus odio Christiani nominis omnia flagrarũt, coactus fuit pius genitor, dissimulanter curare, ut filiola sacramento Baptismatis ecclesiæ initiaretur. Virgo igitur posteaq; adoleuisset, forma insignis, et rogata Fabritio præfecto sui copiam facere nollet, utpote intactæ uirginitatis sedula custos, irritatus leo ille, in uirgunculam sæuire cœpit: sed tot tormentis admotis, nihil efficere ualuit. Constitit enim puella Marpesiæ cautis instar fide robusta, in confessione Christianismi, nec se hinc blandis pollicitis, nec minis immanib. adeoq; truculentiss. pœnis à Deo ad deos abduci patitur. Vox hæc fortissima memoratu digna est: Deum adoro, non deos. Præter hanc ista quoq;, quam in medijs tormentis edidit: Nihil non Fabrici tyranne, pati parata sum pro amore honoreue Christi Iesu domini ac sponsi mei. Nemo facile effabitur, quali laniena corpus istud tenerrimum uexarint carnifices, lædendo lassati, non satiati. Atque hinc elucet uirtus Dei magna, qua tot mortibus superuixit ouicula boni pastoris. Verum non sat habuit religiosiss. uirgo, quòd ob confessionem fidei masculo animo pateretur, nisi bonum etiam opus in ipso agone, ui Christianæ dilectionis

adducta,

adducta faceret. Cum enim animaduerteret utranque sororem supplicij formidine à confesso Christo Iesu turpiter desciuisse, illasque ad cumulum sui sceleris hoc quoque addituras, ut tertiam, Dorotheam hanc, natu minorem, spiritu maximam, secum in æternum interitum pellicerent, euenit uersis uicibus, ut eximia uirgo magna cum admiratione omnium, relapsas sorores abnegato per efficaciam prædicati uerbi tandem restitueerit, atque ita suo utraque soror Græco nomini respondit. Chresta commodam dulcemque sonat: Talis enim altera Christo sponso facta est. Altera Callista hoc est optima à Christo habita est, quòd maluit Christiana quàm Ethnica mori. Iam uero Dorotheæ toties serpente deuicto, restabat triumphus. Produci igitur ad supplicium capitis iussa, obuium habuit Theophilum protographea quendam. Is ioco serioue puellam cruentæ morti destinatam rogare cœpit, ut sibi de charissimi sponsi sui, toties iactata paradiso, aliquid odoramentorum aut etiam fructuum, faciendæ fidei gratia dono mitteret, simulatque se contulisset illò. Puella iuueni amata, Christum amans, ab amato Christo prece impetrat, ut Theophilo illi ad uitam præordinato, quod rogarat, confestim in aulam mitteretur. Nam hoc pacto ipsa suam liberabat fidem pariter & iuuenem ad fidem illectum, ad se statim uocabat, in æternæ uoluptatis consortium. Accidit enim ut non solum Dorothea spiculatoris gladio ceruicem candidissimam præberet, occumberetque, aut potius moriendo uinceret: uerumetiam Theophilus, posteaque ille Christum confessus, Baptisma, ac mox corpus & sanguinem Dominicum in communione ecclesiæ ultro acceperat. De ipsis quoque sororibus eò quòd calcatis Idolis, Christi Iesu sese ueræ religioni contradidissent, à gentilitatis errore quasi postliminio reuersæ, pœna capitis sumpta est. Acta eiusmodi feruntur esse sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus Rom.

Alia Dorothea fuit olim Alexandriæ, eiusdem nominis uirgo, de qua Eusebius lib. viij. cap. xvij. sic scribit: Verum cum duobus grauissimis dominis libidine & crudelitate præceps ageretur, fuit apud Alexandriam Dorothea quædam satis nobili orta familia, ingentibus diuitijs, & propinquis nobilibus pollens. Sed in ea ingenij atque industriæ bonū, cæterarumque honestarum artium studia magis, quàm hæc, uigebant. Forma uero & decoris gloria tanta ei fuit, ut mirum ac speciale in ea dei figmentum crederetur. Sed illa quæ religione animi & honestate uitæ pulchrior, quàm uultu corporis esse studeret, æquissimo mentis iudicio, quod pulchrum & decorum inter homines uidebatur, id potius Deo consecrare, quàm usui humano statuit indulgere, ut uirgo deo sacrata persisteret. At ille qui diuina atque humana, libidine simul & crudelitate fœdaret, cognito solius formæ, non etiam ingenij ac propositi bono, ad contemerandam uirginem, ac polluendam eius castitatem, animū intendit. Comperto uero quòd Christiana esset, quæ secundum sua edicta pœnæ magis, quàm libidini

ꝙ libidini subijcienda uideretur, in ambiguo positus, æstuare cœpit, & in quam se partẽ uerteret, ignorare. Sed ubi dubios animos libido, quæ ei latius dominabatur, obtinuit, & expectantẽ uirginem pro martyrio ad suppliciũ rapi per occultos nuncios de stupro interpellauit, illa ęque nephas sibi esse respondit, templum corporis sui, quod semel deo consecrauerat, idolorum cultu, ac libidinis contagione polluere. Proinde se quidem ad mortem paratam esse: à crudeli uero tyranno non decere blandum aliquid aut molle proferri, nec esse dignum resolui erga se truces animos, quos quotidie undatim Christianorũ profusus cruor duraret. Ad quæ responsa cũ ille libidine accensus acrius incalesceret, & nisi uerbis acquieuisset, ui agere decerneret: omnibus uirgo pudicissima facultatibus suis, domoq́ꝫ ac familia derelicta, noctu clàm cum paucis fidissimis famulis, & cum amicissima sibi comite castitate discedit, atqꝫ inlusum tyrannum uanum amentemq́ꝫ dereliquit. Sed & alias plurimas nobiles mulieres simul ac uirgines exemplo illius adortus, sed exemplo nihilominus illius paratiores ad mortem, ꝙ ad seruitutem libidinis nactus, crudelibus supplicijs affici iubet. Quæ multo promptius & lætius ꝙ cæteri omnes mortem subibant, eo ꝙ duplices sibi coronas à domino præparandas, non solum pro pietate, uerum etiam pro castitate credebant.

SEBASTIANVS MILES ET MARTYR.

Georg. Vuicel.

NAtione Narbonensis, ciuis uero Mediolanensis, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus Rom. ob uirtutem militarem in precio habitus, & iudicatus idoneus, qui primariæ cohorti pficeretur. Iam uero quia Christianus erat, necꝫ tamen in propatulo id iactitaret, propter metum tyrannorum, pie adficiebatur erga fratres, in carceribus ac tormentis: & quum percepisset, quosdam horũ immodicis torturis superatos, ad religionis nostrę negationem declinare, non potuit se cohibere, quin illos adierit, atqꝫ sermone protreptico confirmarit, ut fortem poscant animũ, mortis terrore carentem. Suspitionem communis professionis depulit chlamys, quam Romanorum militum more etiamdum gestabat. Quis enĩ Christianum sub chlamyde latere suspicari potuit inter gentes? Inter cæteros, quos in ipsis supplicijs mirifice animarat, Marcum etiam & Marcellinum geminos fratres, nobilissimi Tranquilliani & Martiæ filios, iamiã nimio cruciatu ad negationem adigendos, ad mentem reuocauit, magnanimosq́ꝫ uiuidis dei uerbis reddidit, utcunqꝫ parentes, cognati, uxores unà cum liberis uinctorum istorum reniterentur. Nam illis ad extremum obsecrantibus ac miserabiliter eiulantibus, ut conseruandæ uitæ caussa Christum abnegarent, ac idolis thus adolerent in gratiam Magistratus, irrupit Sebastianus heroico pectore, & oratione habita, in proposito retinuit insigne

gne par istud Confessorū. Fortior erat Sebastiani exhortatio ad Martyrium suscipiendū, ac præualuit tam maternis quam uxorijs affectibus. Vbera matris exerta, obiecti ab uxoribus paruuli nō potuerunt à martyrio diuellere, quos spiritus ore Sebastiani supra firmam petram collocarat. Dum hæc aguntur in ædibus cuiusdam Nicostrati, eduntur miracula diuinitus, quibus cognitis crediderunt ac baptizati sunt duo iuga illa: nimirum Nicostratus cum Zoë uxore, & senior Tranquillinus una cum Martia uxore. De duabus uxoribus martyrij candidatorum hactenus nihil tale lego. Atque ea occasione poterant duo illi filij mortis, Nicostrati Christiani iam beneficio, è carcere dimitti, nisi calicem domini usque adeo sitiuissent, hoc est, nisi mori libentissime uoluissent. Sententia tandem fertur à iudice iniusto, Marcus cum fratre Marcellino capite plectuntur, animabus Christo cōmendatis. Non multo post, palàm innotuit, Sebastianum Christianum esse: nec is tale perpetuo dissimulabat, et instabat tempus resolutionis suæ. Igitur hunc imperator ad se uocatum acriter obiurgauit, exprobrauitque ei honoraria beneficia suæ Maiestatis. At uir sanctus contrà allegauit, se ad Deum opt. max. pro Romani Imperij salute indesinenter precari, nec mutatam in melius religionem Reipublicæ obesse. Imò profuerat tum alijs promiscue, tum Chromatio præfecto, quem ægrotū pristinæ sanitati restituerat uirtute Christi, contritis domesticis idolis. Confregit ipse imagines Sebastianus, nec horū unam quidem superesse passus apud Chromatiū, ne hominis fides infirmiuscula posthæc ad huiusmodi impingeret. Verum Diocletians tyrannus nulli Apologiæ locum relinquens, iubet Sebastianum abripi, extra muros trahi, scopi uice statui, & præacutis missilibus sociorū confodi: Nouum supplicij genus excogitatum, ne non miles militariter occūberet, tametsi Christi miles occubuit, uereque Sebastianus, id est, pius, non iam qui fuerat, impijs. stipendiarius diaboli. Nec omnis ante occubuit, quam iterum atque iterum ueritatem Christianæ fidei fuisset cōtestatus coram ipsis tyrannis, quos usque ad ultimum uitæ spiritum de tyrannica in Christianam gentem sæuicia uehementer redarguit. De martyribus Sebastiano, Marco, Marcellino, Nicostrato & Zoë uxore huius sub Diocletiano, liquet etiam ex Chronicis. De ipso Sebastiano diuus Ambrosius sup. Psal. c. xviij. sic scribit: Vbi multæ coronæ, multa certamina. Tibi ergo proficit, quod multi persecutures sunt, ut inter multas persecutiones facilius inuenias, quomodo coroneris. Vtamur exemplo Sebastiani martyris, cuius hodie natalis est. Hic Mediolanensis oriundus est: fortasse aut iam discesserat persecutor, aut adhuc non uenerat in hæc partium, aut mitior erat. Aduertit hic (Mediolani) aut nullum esse, aut tepere certamen: Romam profectus est, ubi propter fidei studium persecutiones acerbæ feruebant, ibi passus est, hoc est, ibi coronatus. Itaque illic quò hospes aduenit, domicilium immortalitatis perpetuæ colloca-

uit. Si unus persecutor fuisset, coronatus hic martyr utique nō fuisset, &c. Reliqua leget pius presbyter apud ipsum Ambrosium. Da Christe, ut nos eodem induti spiritu libertatis, ac pari magnanimitate ac uehementia præditi, ueri Christianismi negocium ubique agamus, & pro uno Sebastiano terris adempto, mille exoriantur, Amen.

FABIANVS EPISCOP. ET MARTYR.

ROmæ ortus, patre Fabio, uir pietati Christianæ deditissimus, quam ob rem Anthero Romano Episcopo (cuiusmodi hodie Papas uocant) ut in pastorali officio succederet, mirabiliter à deo electus est. Eusebius Cæsarien. in sexto super ista mirabili electione sic scribit: Tradunt Fabianū, Anthero defuncto, cum de agro reuerteretur una cum amicis suis, & uniuersus Ecclesiæ populus pro Episcopo deligendo in unum coisset, atque alius de alio (ut fieri solet in talibus) conclamaret, nec tamen uulgi sententia certi aliquid obtineret, adstitisse etiam ipsum inter cæteros, scire cupientem, qui rei exitus foret. Et subitò per dei prouidentiam columbam cœlitus lapsam, figuram ferentem illius, quæ in sancti spiritus imagine super Iesum descenderat apud Iordanem, supra caput ástitisse Fabiani. Ad quod spectaculum ora cunctorum oculosque conuersos: & omnes uelut uno spiritu commotos, hunc esse Episcopatu dignum, per dei iudicium decreuisse, eumque mox Cathedræ impositum, & legittimo sacerdotio confirmatum, &c.

Diuus Hieronymus in libro de scripto. Eccle. cap. xxj. de S. Fabiano sic reliquit scriptum: De crudelitate autem persecutionis, qua aduersum Christianos sub Decio consurrexit, eo quod in religionem Philippi desæuiret, quem & interfecit, superfluum est dicere, cum etiam Fabianus Rom. Eccles. Epis. in ipsa occubuerit, & Alexander Babylasque Hierosolymorum & Antichenæ Ecclesiæ Pontifices in carcere pro Confessione dormierint. Hactenus ille. Atque ita habes & uitam & mortem sancti Fabiani ab Eusebio & Hieronymo descriptam. Fuit & alius Fabianus, nempe inter istos xxiiij. Antichenos Episcopos planè diuinos, successione decimusquintus, de quo etiam apud Eusebium.

AGNES VIRGO ET MARTYR.

DE sancta Agnete uirgine & martyre scribit S. Hieronymus ad Demetriadem de uirginitate seruanda in hunc modum: Si te uirorum exempla non prouocant, hortetur faciatque securam beata martyr Agnes, quæ & ætatem uicit & tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecrauit, &c.

In eodem libello de eadem uirgine idem Hieronymus sic: Omniū

gentium

gentium literis atque linguis in Ecclesijs Agnes uita laudata est, &c.

De eadem uirgine Agna S. Ambrosius copiose scribit, nec quid certius de hac sanctissima uirguncula atque Christi ouicula uspiam extat, quam quod apud Ambrosium lib. j. de uirginib. & sermone xc. legitur. Visum uero est transscribere eiusmodi ex Ambrosio, propter eos, quibus desunt Ambrosianæ lucubrationes: Natalis est sanctæ Agnes, mirentur uiri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum ea loqui possumus, cuius ne nomen quidem est uacuum luce laudis? Fuit deuotio supra ætatem, uirtus supra naturam, ut mihi uideatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum martyris, quæ indicauit quid esset futura. Habeo tamen, unde mihi subsidium comparetur. Nomen uirginis titulus est pudoris: Appellabo martyrem. Prædicaui satis, prolixa laudatio est, quæ non quæritur, sed tenetur. Facessant igitur ingenia, eloquentia conticescat. Vox una præconium est. Hanc senes, hanc iuuenes, hanc pueri canant. Nemo est laudabilior, quam qui ab omnibus laudari potest. Quot homines, tot præcones, qui martyrem prædicant, dum loquuntur. Hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati. Imò magna uis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate. Fuit'ne in illo corpusculo uulneri locus? Et quæ non habuit, quo ferrũ reciperet, habuit quo ferrum uinceret. At istius ætatis puellæ toruos etiam uultus parentum ferre non possunt, et acu districta solent puncta flere quasi uulnera. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hęc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totũ offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata, uel si ad aras inuita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis trophæum Domini signare uictoris, nunc ferratis colla manusque ambas inserere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus, Nondũ idonea pœnæ, & iam matura uictoriæ: certari difficilis, facilis conari, magisterium uirtutis impleuit, quę præiudicium uehebat ætatis. Non sic ad thalamũ nupta properaret, ut ad supplicij locum, lęta successu, gradu festina uirgo processit, non intorto crine caput compta, sed Christo; non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari plerique, quod tam facile uitæ suæ prodiga, quam nondum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Stupere uniuersi, quod iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Effecit denique, ut ei de deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: quia quod ultra naturã est, de autore naturæ est. Quanto terrore egit carnifex, ut timeretur? quantis blanditijs, ut persuaderet? quantorum uota, ut sibi ad nuptias proueniret? At illa: Et hæc spõsi iniuria est, inquit, expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet. Quid percussor moraris? Pereat corpus,

quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo. Habetis igitur in una hostia duplex martyrium, pudoris & religionis. Et uirgo permansit, & martyrium obtinuit.

Idem Ambrosius lib. j. offic. cap. xlj. de hac uirgine: Quid de sancta Agne, inquit, quæ in duarum maximarum rerum posita periculo, castitatis et salutis, castitate protexit, salutem cum immortalitate cõmutauit.

Maximus Taurinensis Epis. de hac nostra uirgine sic scribit: Pulcherrima de uirgine Christo consecrata discite uirgines Christi amorem in puella feruentem, &c. Agnes nescit amare, quod transit, &c. Agnes per opprobria sequitur Mariam. Item, cui etiam lupanar turpitudinis locus orationis efficitur. Ait item Taurinensis ille: Aut dum Laurentium in craticula assatum recolis, atque Agnem sicut Teclam flammarum globos euasisse cognoscis, &c.

HISTORIA PASSIONIS S. AGNES
ex sermone XC. Ambrosij.

TErtiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, & uitam inuenit, quia solum uitæ dilexit autorem. Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. Corpore quidem iuuencula, sed animo cana. Pulchra facie, sed pulchrior fide. Dum à scholis reuertitur, à præfecti urbis filio adamatur: cuius parentes dum requisisset & inuenisset, cœpit offerre plurima, & plura promittere. Denique detulerat secum pretiosissima ornamenta, quæ à beata Agne ueluti quædam stercora sunt recusata, &c. Reliqua ex allegato sermone fol. ccccIII. usque huc: Emerentiana autem quæ fuerat, &c.

Aurel. Prudentius passionem S. Agnes eleganter iuxta ac pie descripsit, in libro Peristephanôn.

VITA SANCTÆ EMERENTIANÆ
uirginis, ex Ambrosio descripta.

EMerentiana, quæ fuerat collectanea eius, uirgo sanctissima, licet catechumena, constanter intrepida stabat immobilis, & his uerbis exprobrabat eos: Superflui, miseri, caduci, atque atrocissimi, deum omnipotentem colentem occidistis, & percussione lapidũ homines innocentes iugulastis. Hęc et his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, & orans iuxta sepulchrum Agnes beatissimæ, emisit spiritum. Nõ dubium est, quod in suo sanguine sit baptizata, quæ pro defensione iustitiæ, dum confiteretur dominum, mortem constanter excepit. Eadem denique hora fit terræmotus uehementissimus,

mus: & cum nimia esset cœli serenitas, tantæ coruscationes, tantaq́ fulgura & tonitrua extiterunt, ut pars maxima insani populi expiraret. Vnde factum est, ut nullus penitus ex eo aduenientibus ad sepulchra sanctorum aliquas molestias excitaret. Venientes autem parentes beatę Agnes cum sacerdotibus nocte, abstulerunt corpus sanctæ Emerentianæ uirginis, & sepelierunt illud in confinio agelli beatissimæ uirginis Agnes. Igitur dum parentes beatæ Agnes assiduis pernoctationibus uigilarent ad tumulum eius, uident in medio noctis silentio exercitum uirginum, quę omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant, inter quas uident beatissimam Agnem simili ueste fulgentē, & ad dexteram eius agnū niue candidiorem. Hæc itaq; dum uiderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas uirgines, parumper gradum figere, & stans parentibus suis dixit: Videte, ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi & cōgratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iuncta in cœlis, quem in terris tota animi intentione dilexi. Et his dictis ptransijt. Hæc uisio publice ab omnibus qui uiderant, q̄tidie uulgabatur. Vnde factum est, ut post aliquantos annos ad Constantiā Constantini filiā hoc factum ab his, qui uiderant, narraretur. Erat em̄ ipsa Cōstantia regina uirgo prudentissima, sed ita obsessa uulneribus, ut à capite usq; ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio spe recuperandæ salutis, uenit ad tumulum martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret repentina somni suauitate corripitur, & uidit per uisum beatissimam Agnem talia sibi monita præferentem: Constanter age Constantia, & crede, dominum Iesum Christum filium Dei esse saluatorem tuum, per quem modo consequeris omnium uulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc uocem Constantia euigilat sana, & sic sana, ut nec signum in eius membris alicuius uulneris remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri suo, & fratribus suis imperatoribus. Coronatur ciuitas tota, fit lætitia militantibus atq; priuatis & uniuersis audientibus hæc. Infidelitas gentium confundebatur, & fides dominica lætabatur. Interea patrem & fratres Augustos rogat, ut basilica beatæ Agnes construeretur, & sibi illic mausolęum collocari pręcepit. Currit hæc opinio ad omnes, & quotquot credentes ad tumulum eius aduenissent, sanabantur, quacunq; fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus dubitat usq; in hodiernum diem. Perseuerauit autem Constantia Augusti filia in uirginitate, per quam multæ uirgines, & mediocres, & nobiles, & illustres sacra uelamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, usq; in hodiernum diem multæ uirgines Romanæ Agnem beatissimam, quasi in corpore manentem attendunt. Et eius

exemplo agentes uiriliter, integre perseuerant credentes sine dubio, quod perseuerantes perpetuæ uictoriæ palmam acquirant. Hæc ego Ambrosius seruus Christi, dum in uoluminibus diuinis inuenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorem igitur tantæ martyris, sicut gesta eius agnoui, conscripsi, & ad ędificationem uestram ô uirgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrãs charitatem spiritus sancti, ut labor noster in uestra imitatione fructum in conspectu Domini ualeat inuenire, Amen.

HELENA CONSTANTINI MATER.

Georg. Vuitz ccl.



Helena Constantini mater, fœmina incomparabilis fide & religione animi, ac magnificentia singulari, cuius iure Constantinus & esset filius, & crederetur: diuinis admonita uisionibus, Hierosolymam petit, atque ibi locum, in quo sacrosanctum corpus patibulo affixũ pependerat, ab incolis perquirit. Qui idcirco ad inueniendum difficilis erat, quod ab antiquis persecutoribus simulachrum in eo Veneris fuerat defixum, ut si quis Christianorum in loco illo Christum adorare uoluisset, Venerem uideretur adorare. Et ob hoc infrequens & pene obliuioni datus fuerat locus. Sed cum (ut supra diximus) religiosa fœmina properasset ad locum, cœlesti sibi indicio designatũ, cuncta ex eo prophana & polluta deturbans, in altum purgatis ruderibus, tres confuso ordine reperit cruces: sed obturbabat reperti muneris lætitiam uniuscuiusque crucis indiscreta proprietas. Aderat quidẽ & titulus ille, qui Gręcis, & Latinis, atque Hebraicis literis à Pilato fuerat conscriptus. Sed nec ipse satis euidenter dominici prodebat signa patibuli. Hic iam humanæ ambiguitatis incertũ, diuinum flagitabat testimonium. Accidit in eadẽ urbe, primariam quandam loci illius fœminã graui ægritudine cõfectam, seminecem iacere. Macarius per idem tempus ecclesiæ illius episcopus erat. Is ubi cunctantem reginam, atque omnes pariter qui aderant uidet: Adferte (inquit) huc totas, quæ repertæ sunt cruces, & quæ sit quæ portauerit Dominum, nunc nobis adaperiet Deus. Et ingressus cum regina pariter & populis ad eam, quæ decumbebat, defixis genibus huiuscemodi ad Deum precem profudit: Tu domine, qui per unigenitum filium tuum salutem generi humano per passionem crucis conferre dignatus es, & nunc in nouissimis temporibus adspirasti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit, ostende euideter ex his tribus, quæ crux fuerit ad dominicam gloriam, uel quæ extiterint ad seruile supplicium, ut hęc mulier, quæ semiuiua decumbit, statim ut eam lignum salutare contigerit, à mortis ianuis reuocetur ad uitam. Et cum hæc dixisset, adhibuit primo unam ex tribus, & nihil profecit; Adhibuit secundam, & ne sic quidem aliquid actum est.

Vt uero

Vt uero admouit tertiam, repente adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate uirium recepta, alacrior multo quàm cum sana fuerat, tota domo discurrere & magnificare Dei potentiam cœpit. Sic euidenti indicio regina uoti compos effecta, templum mirificum in eo loco in quo crucem reppererat, regia ambitione construxit. Clauos quoq; quibus corpus dominicum fuerat affixum, portat ad filium: Ex quibus ille frenos composuit, quibus uteretur ad bellum, & ex alijs, galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse. Ligni uero ipsius salutaris partem detulit filio, partem uero thecis argenteis conditam dereliquit in loco, quæ etiam nunc ad memoriam sollicita ueneratione seruatur. Reliquit etiam hoc indicium religiosi animi regina uenerabilis. Virgines quas ibi repperit deo sacratas, inuitasse ad prandium, & tanta eas deuotione curasse dicitur, ut indignum crederet si famulorum uterentur officijs, sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & regina orbis ac mater Imperij, famularum Christi se famulam deputaret. Et hæc quidem Hierosolymis gesta

AGATHA.

Non nomine tantum Agatha, hoc est, bona uirgo, hæc Catanæ in Sicilia, parentibus genere claris, nata. Post hæc aqua et spiritu renata, Christum è fide haud dissimulanter confitebatur. Vas infirmius audet, quod uix uiri fortissimi. Sed ut fieri solet, per inuidiam serpentis comitatur confessionem Crux, quæ uaria occasione homines dei è malo sæculo rapit. Equidem hanc uirginem Siculam occasione ferè tali è terris ademit. Erat eo tempore uir illaudatus, Quintianus, Sicilię consul: hic nepharia cupiditate motus, ad uirginẽ corrũpendam animũ adiecit. Quã cum accersisset, proposuit scelerati sui pectoris summã malitiã, huc spectans, ut Agatha simul & fide & uirginitate spoliaret. Sub omni moto lapide, scorpius dormiebat: anguis in herba latebat. Virgo persentiscẽs dolum, negat se facturã, ad q̃d blande solicitaba tur. At ille cupidinis ictus iaculo infœliciter in puellam deperibat. Et ut uoti compos fieret, subordinat Aphrodisiã nobilissimũ eius insulæ scortum, ut meretricijs artibus Agathæ sententiam à proposito demutaret, faceretq;, ut isto lenocinio ad impudicitiam inescaretur. Tentatum est quiduis, effectum nihil. Nam puella instar silicis ponit faciem suam, ac plena fide respondet: Mea mens supra petram, qui Christus est, solidata atq; innixa, uerbis tuis quantiscũq; non cedet. Aphrodisia, Veneris suę nomẽ habens, uerè ἀφροσυνῆς ἀρχὴ, posteaq̃ se lusisse operã uidet, ait consuli: Ante dura saxa in ceræ modum molliri, q̃ hanc Christianã puellam flecti posse. Inter has tentationes grauissimas sancta Agatha uberrimo fletu opem fortissimi Dei ardenter implorat, nec iam aliud, nisi Mar- Georg. Vuitzelij.

tyrij palmam sitit, Dissolui uidelicet, & cum Christo Iesu esse cupiens. Consuli Quintiano aliud persuadendi consilium protinus suggessit Satan. Vocat Agatham, & conatur simplicitatem uirginis probabilibus humanæ sapientiæ uerbis decipere. Verum hac quoque uia operam frustra sumpsit. Virgo enim in isto uerborum certamine magis ac magis Christi Iesu gloriam illustrans, diuinæ sapientiæ eloquijs disputando uicit. Quàm erubuisse putandus est miser ille, quum Iouem ac Venerem flagitiosiss. portenta sibi in os obijci audiret: Pudeat, inquit, diuinitus docta uirgo, pudeat Quintiane te hos colere deos & deas, à quorum spurcissimis ac execrabilibus factis ipsus abhorres: Ipsa ego uiuum colo Christum, à dextris Patris in cœlo consedentem, cui seruire ingenuum est, & liberos homines addecet. Hinc pudefactus Consul tyrannidem in consilium adhibuit, commodum ratus, cogi oportere puellam pertinacem, ut quæ nulla blandiloquentia, nullis pollicitorum illectamentis deijci quiuerit. Proinde in carcerem hostili manu trahitur, aut ducitur potius, ultro sequens ad lanienam ouis. Paucis post diebus educitur ad agonem quendam: Proponuntur statim duo, nempe, ut aut Christo abnegato adoraret Idola ἄφωνα, aut sineret se eculeo torqueri. Responsum est, satius mori, quàm Christo ualedicere. Admouet eculeus, Agatha perfert atque obdurat, imò etiam contestata, se tantas pœnas minime horrere: nam per has patere uiam ad possessionem paradisi. Granum tritici terræ credendum, ut fructum ferat, dein excutiendas esse paleas, ut appareat frumentum. Tyrannus ira ferox, ut incestos oculos in uirgineo corpore pasceret, iussit patientissimæ puellæ mammillas ignito forcipe dissecari, hoc ipsum scilicet, quod in matre sua suxerat. Peracto agone, conijcitur secundò in atrum carcerē, ut ibi dolore ac inedia periret. Dominus autem Iesus, cui cura erat de sua sponsa, uolens fidem atque constantiam puellæ uictricis confortare, misit uirum non sine miraculo addito, qui sauciū lacerumque corpusculum uirtute diuina medicaretur. Illa primum somnians medicinam esse humanā, respuit medicas manus. Tandem ubi intellexit, rem diuinitus geri, ultro paruit, simulque Patri cœlesti pro cura tali gratias egit. Iam redintegrato corpore, mirum in modum, si unquam antea, ob Christum animam profundere præoptauit. Accidit igitur, ut denuò educeretur ad obeundū agona. Hic Quintianus multa iterum tentauit, puellæ ad relictum paganismum retrahendæ gratia, sed quid promouerit, indicabit exitus. Ætnam montem patrium Vulcani sui sedem restinxisset citius, quàm hunc pietatis calorem in Agatha. Multa Christianissime in tyrannū prolocuta, ad asserendum Euangelium, impie diripitur ac prunis ardentibus inijcitur. Quod supplicij cum per miracula cœlitus ædita, uiua etiamnum euasisset, tertiò reducitur ad carcerem, ubi animam exhalauit, simulatque hanc precatiunculam finisset: Domine Iesu Christe, qui me creasti, & iaminde ab infantia

custo-

custodisti, qui corpus meum à pollutione præseruasti, & animam meam ab amore sæculi huius abstraxisti, quiq; tormenta atrocissima in me uicisti, ac post hæc patientiã meam exercuisti, oro, accipe spiritum meum; & iube me ad misericordiam tuam uenire, Amen. Acta tempore Decij Imperatoris Romani. Nec caret miraculo, reperta tabula illa marmorea in sarcophago soporatæ uirginis, in qua legunt uerba hæc fuisse incisa: Mentem sanctam spontaneamq; honorem deo, patriç liberationem. Quo ueluti sempiterno apud ecclesias omnes testimonio claret tota praxis sanctæ Agathæ. Orationis tria membra sunt: Primo indicat, ipsam Agatham non solum sancte uixisse, uerumetiam sponte ac libenter pro Christo mortem oppetijsse. Deinde comprobatur, uirginem hanc Deo uni, uiuo & æterno in spiritu seruijsse, ac Seruatorem illum suum cum primis honorasse, tam in credendo quàm in operando. Postremò significatur, eandem patriæ quoq; suæ profuisse, exemplo nimirum & intercessione. Raphael Volater. lib. xiij. Anthropologiæ de S. Agatha sic habet: Agatha uirgo Cataniensis, & Martyr sub Gallo mammillis torta. De S. Agatha Sabellicus lib. v. exemplorum: Sunt, inquit, & muliebris sexus non minus grandia uirtutis huius exempla, nec pauciora: sed unum ponere aut alterum curæ erit, ne caput nimium crescat, dissecta est fidiculis atque eculeo imposita Agatha Catanensis uirgo, quia dæmonibus nollet sacrificare, uel quia testata est se non pœnis affici, sed delectari, sæuire Quintianus Siciliæ proconsul simulq; illi mammam imperat à pectore diuelli, conuulsam uirgo impio homini exprobrat: An non pudet te Quintiane laniasse in me, quod te in matre aluit? Diuus Gregorius lib. j. Epistolarũ ad Io. episc. Surretinum mentionem facit reliquiarum sanctæ Agathæ martyros. Vtinam omnes utriusque sexus Christiani ita exigãt uitam suam, ut in unumquemlibet ille ternio competat. Simus Agathi, simus Agathæ, hoc est, bene uiuamus, bene moriamur, & non aberit, quin eodem coronemur præmio.

APOLLONIA VIRGO ET MARTYR.



Polonia uirgo in urbe Alexandrina sæuiente in Christianos tempore Decij Imperatoris persecutione, quum iam in senili ætate à furente populo correpta, & ad idola perducta adorare recusasset, dentes ei primum effossi sunt omnes, deinde congestis lignis, incensoq; rogo combusturos se minantur carnifices uiuam, nisi Christum detestata, deos alienos adoraret. At illa in fide Christi constantissime perseuerans, crudelissimã mortem subire maluit, quàm à uera pietate discedere. Itaque corpore sæuissimis flammis absumpto, inuictus spiritus in cœlum ad martyrij coronam euolauit. Ex Eusebio.

à De

DE EADEM VIRGINE APOLLONIA
ex Eusebij historia.

ADmirandam uirginem longæuæ ætatis Apolloniam nomine cum corripuissent, dentes primò ei omnes effoderunt, congestis deinde lignis extruxerunt rogum, cōminantes uiam se eam incensuros, nisi cum ipsis pariter impia uerba proferret. At illa ut rogum uidit esse succensum, paululum quid in semetipsa molitur, repente uero se è manibus proripuit impiorum, atq; in ignem quem minabantur, sponte prosiluit, ita ut perterrerentur etiam ipsi crudelitatis autores, quòd promptior inuenta est ad mortem fœmina, quàm persecutor ad pœnam. Serapionem quoq; domi suæ repertum, crudelissimis afferêre supplicijs, ita ut omnes ei iuncturas membrorum prius soluentes, de superioribus eum præcipitarent. Nullum nostris iter erat per uiam, nullius plateæ transitus indulgebatur, neq; die neq; noctu procedendi usquam libera erat facultas. Vt enim quis nostrum aparuisset in publico, statim clamor uulgi & seditio nascebatur, ut uel pedibus traheretur qui uisus esset, uel igni succenderetur. Verum cum hæc mala per dies singulos augerentur, subito inter ipsos persequutores rabies quædam belli ciuilis exarsit, & dum inter se seditionibus prælijsq; decertant, interim nobis paululum licuit respirare. Sed non in longum uenia fuit. Continuò nanq; crudelissima principum mittūtur edicta, quibus tanta aduersum nos ferebatur immanitas, ut secundum quod prędictum est à domino: Si fieri potest, scandalizarentur etiam electi. Ex quo perterritis penè omnibus, quidā ex ipsis nobilibus se sponte impijs actibus ingesserunt, alij conuenti tantummodo, nonnulli à domesticis proditi, ad sacrificia execranda, & ad immundas hostias properabant. Aliqui ex his pallentes & trementes, & magis immolari ipsi, quàm immolare Idolis uiderentur, ita ut etiam ab inspectante uulgo irriderentur, eò quòd & ad moriendum, & ad sacrificandum iuxta meticulosi uiderentur. Alij sanè tam impudenter ad aras prosiliebant, ut & affirmare nitebantur, se nunquam Christianos fuisse.

COINTHA.

EVsebius eodem loco de Cointha scribit, quā quidam falsò Coniutam uocant: Post hæc (inquit Eusebius) mulierem quandam nobilem Cointham nomine, ad idola perducētes adorare cogebant: recusantem, imò potius execrantem, uincula pedibus innectentes, & per plateas totius ciuitatis trahentes, fœdo horrendoq; supplicij genere discerpunt. Dehinc omnes simul irruerunt per domos seruorum Dei, diripentes & euertentes, atq; hostili crudelitate cuncta fœdantes, ita ut pretiosioribus quibusq; direptis, si qua alia uiliora repererant, in unum congregata igni in plateis cremarent. Nostri

tamen

tamen direptionem hanc bonorum suorum (sicut Apostolus de illis dixit antiquis) cum gaudio susceperunt.

SCHOLASTICA MONACHA.

Soror nanque eius Scholastica nomine, omnipotenti domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum uenire consueuerat. Ad quã uir Dei non longè extra ianuam in possessione monasterij descendebat. Quadam uero die uenit ex more, atque ad eam cum discipulis uenerabilis eius descẽdit frater, qui totum diem in Dei laudibus, sacrisque colloquijs ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, sanctimonialis fœmina soror eius eum rogauit, dicens: Quæso te, ut ista nocte non deseras, ut usque mane de cœlestis uitæ gaudijs loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris soror? Manere extra cellam nullatenus possum. Tanta uerò erat cœli serenitas, ut nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina cum uerba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus omnipotentem dominum rogatura declinauit. Cumque de mensa leuaret caput, tanta coruscationis & tonitrui uirtus, tantaque pluuiæ inundatio erupit, ut neque uenerabilis Benedictus, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen quo consederant, pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe fœmina caput in manibus declinans, lachrymarum fluuium in mensam fuderat, per quas serenitatẽ aëris ad pluuiam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est: sed tanta fuit conuenientia orationis & inundationis, ut de mensa caput iam cum tonitruo læuaret, quatenus unum idemque esset momentum, & leuare caput, & pluuiam deponere. Tunc uir Dei inter coruscos & tonitruos atque ingentis pluuiæ inundationem uidens se ad monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens: Parcat tibi omnipotens Deus soror, quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogaui, & audire me noluisti, rogaui dominũ meum, & audiuit me. Modo ergo si potes egredere, & me dimissa ad monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum nõ ualens, quia remanere sponte noluit, in loco mansit inuitus. Sicque factum est, ut totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritalis uitę colloqa sese uicaria relatione satiarent. Qua de re dixi eũ uoluisse aliqd, sed minime potuisse: quia si uenerabilis uiri mentẽ aspicimus, dubium non est, quin eandem serenitatem uoluerit, in qua descẽderat, permanere: sed contra hoc quod uoluit, in uirtute omnipotentis Dei ex fœminæ pectore miraculum inuenit. Nec mirum, quòd plus illo fœmina, quæ diu fratrem uidere cupiebat, in eodem tempore Georg. Viui celij.

ualuit: quia enim iuxta Ioannis uocem, Deus charitas est, iusto ualde iudicio illa plus potuit, quæ amplius amauit. Cumq; die altero eadem uenerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, uir Dei ad monasterium rediit. Cum ecce post triduum in cella consistens, eleuatis in aëra oculis, uidit eiusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam in columbæ specie cœli secreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, eiusq; obitum fratribus denunciauit: quos etiam protinus misit, ut eius corpus ad monasterium deferrent, atq; in sepulchro, quod sibi ipse parauerat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoq; corpora nec sepultura separaret, &c. Hæc ex lib. ii. dialog. S. Gregorii.

AMANDVS EPISCOPVS.

Georg. Vuicelii.



VIr Dei Amandus ob pietatem Christianam ab omnibus merito amandus, uitæ monasticæ uehementer fauisse legitur. Is ætate media cum esset, Italiam peragrauit, pòst Gallias adiit, & quia zelo iustitiæ feruebat, non poterat ferre Dagoberti regis pessimam uitam: Quam simulatq; repræhendisset uerbo ueritatis, e finibus in exilium eiectus est. Non diu pòst, nato nimirum filio regis, reuocatus condonauit regi, quandoquidem ille ignoscentiam supplex petiit omnem illatam iniuriam. Natum paruulum rogatus baptizauit, respondentem ipsum infanti ore, Amen. Super ea re scribit Robertus Ganguinus lib. iii. Regi cum deessent propter sterilitatem uxoris liberi, concubitu uirginis Raguetrudæ filium marem suscepit. Cui Aribertus Dagoberti frater, qui per id tempus Aureliæ erat, nomen dedit, appellatusq; est Sigibertus. Hic inter sacrosancti lauacri, quas sacerdos Amandus enunciat orationes, dum nemo ex more Christiano, Amen, respõderet, infans ipse qui tantum XL. dies natus erat, cunctis tacentibus, Amen expedito sermone personuit. Quod diuinitus factum esse, quis non credat? Hæc Robertus de gestis Francorum.

Deinceps electus est in Episcopum Traiectensem: sed quoniam gens illa diuini uerbi prædicationem contemneret, aliò se contulit, excutiens puluerem pedum suorum super impios homines. Iam uerò alibi, nempe apud Vascones, Euangelizans, quemadmodum Episcopum decet, irrisus est à quibusdam circumforaneis non aliter, ac si esset spermologus nescio quis. Christi fide coëgit Amandus serpentem in antrum, uicit diabolum, & quo tempore hostibus suis in monte nocere poterat ulciscendi cupiditate, non nocuit, sed benefecit. Optatum Martyrium illi non contigit. Obdormiuisse tandem in Domino scribitur sub Heraclii Imper.

Vedastus

VEDASTVS.

EPiscopus apud Atrebatum in Picardia, homo iustus ac timẽs deum, pauperes pauper ipse dilexit. Aurũ enim & argentum cum non haberet, benefecit per eum Dominus cæco & claudo. Atq; ita precatio Episcoporum utilior pecunia est. Lupum fugauit Christi uirtute, Hæreticum hominem ἐφισώμιον, uerbo & exemplo è paganismo ad Christianismum multos ubiq; conuertit, cooperante Domino. G. Vuiceliu.

VALENTINVS PRESBYTER.

ET pietate & doctrina ualens Valentinus, multos homines Christo Iesu lucrifecit, præsertim in Italia, Qua tempestate Ethnicismus adhuc arcem obtinebat, latitantibus Christianis. Imperator Claudius ij. anno cc.lxx. huius presbyteri Romani homicida factus est, cum tamen nullam mortis causam inuenisset, nisi forte capitale est, uiam dei docere. Mirum uerò, q̃ probabiliter refutarit Valentinus idololatriæ per se alioqui damnatæ uanitatem, quo minus ipse nostro sæculo idoli uice, aut dei loco potius à superstitiosis, hoc est, omniũ miserrimis hominibus colendus atque inuocandus in die tribulationis erat. Taceo, nullas legendas quantumuis graues aliquando, de Epilepsia per Valentinum depellenda quicq; dicere. Omnes Sancti contra deos gladio spiritus depugnarũt, & tu egregie Christiane scilicet, è Sanctis deos facis: non nomine, sed re. Animus abhorret à commemoratione ter abominandæ superstitionis. Ad Valentinum redeo, in quo exosculor fortissimum pectus, & libertatem in docendo Christo. Christolatriam docuit, idololatriam dedocuit. Et à dijs ad Deum propè Claudium Imperatorem reuocasset sermone uiuifico, ni satrapa Calphurnius quidã os tartareum interposuisset. Nam hæc illa Cerberi spuma est: Quomodo deseremus, quod ab infantia tenuimus? Non nisi filij diaboli ita loquuntur. Illa nimirum pestilentissima uoce effecit satrapa satelles satanę, ut Cæsar rursum à ueritate (quam in Valentino admiratus fuerat) & cor & aures auerteret. Hac item execranda uoce nostrates Calphurnij efficiunt hodie, ne Christianus populus ab impijs ac uarijs superstitionib. quibus à pueritia pleriq; assueuimus, pie resipiscat. Porrò ad submouendam suspitionem, iubet Cæsar Valentinum protinus ab Amphitheatro uinctum duci, & in ædibus Asterij cuiusdam aulici custodiri. Ibi arrepta occasione è uerbis precatorijs presbyteri bene ominantis, petit Asterius, ut si quid per Christum suum posset uinctus ille, redderet cæcę filiæ lumen. Quo signo uiso, posita incredulitate, fidem Christi cum tota domo amplexus est, operante id spiritu per uerbum dei à presbytero prædicatum. Sed crux non tardè insequitur ac- Georg. Vuice.

ceptum Baptisma. Mandante enim impio Cęsare, Asterius in ciuitatem Ostiensem adductus, cruenta morte Deo animam reddidit. Post hunc Valentinus presbyter Euangelicus, ut quo authore à deorū cultu Asterius desciuerat, primū fustibus, mox gladio percussus, obijt. Actum Romæ, sub Imperatore Claudio, qui tyrannus post Decium innumeros Christianos passim per ꝓuincias neci tradidit. Libet horū aliq̄t è chronico Hermanni Contracti recensere, sub Claudio & Aureliano, &c. fol. clxxx.

VALENTINVS EPISCOPVS.

Georg. Vuicelij.

ALius item Valentinus olim extitit, uidelicet episcopus Interamnensis in Vmbria: seu si quis mauult, Ithyranensis ex Parthia: Sed quantū ego diuinare potui, prior sentētia uerisimilior est. Vir bonus & sapiens spiritaliter, regnū dei nō minuit, sed auxit. Hic cum aliquando Romam uenisset, reperit Athenis oriundum Cratonem Græcum oratorem, in urbe clarissimum, unà cum discipulis Apollonio, Phœbo & Proculo. Cratonis uero filiū toto triennio decumbentem cum uirtute altissimi curasset, curuumq́ꝫ hunc erexisset, non sine multa precatione, persuasi euidenti miraculo tam Crato, q̄ꝫ discipuli, cumq́ꝫ his tota domus, Euangelium receperunt, & post catechismum baptismate loti, præterea ex oratoribus prædicatores facti, uerbo gratiæ plurimas animas Christo adduxerūt in Italia. Tandem iubente Ro. senatu Valentinus, q̄ꝫ homines è tenebris ad lucem uocaret, pręside Placido, primum uirgis cæsus, dein ense peremptus est, atq́ꝫ hoc in carcere. Dignum Ecclesia præsulem, ut qui gratis benefecit, recusans nimirum à Cratone accipere pecuniam: hortans uero, hanc quam sibi daturus erat, ut pauperibus erogaret.

IVLIANA VIRGO ET MARTYR.

Georg. Vuicelij.

TRadunt Iulianam Nicomediæ in Bythinia ortam, claris *quidem* parentibus, sed paganis. Ipsa uero filia à Christiana *obstetrice* fidem edocta, Christum cum lacte matris imbiberat. Adultam destinarant parentes cuidam satrapę Eleusio dare in uxorem, sed sacra uirgo renuit Ethnico homini nubere, imò etiam cuilibet, perpetuæ castitatis proposito. Quapropter à patre loris inhumaniter cædi iussa, neq́ꝫ tamen assensit. Mox liquefacto ac feruenti plumbo ꝓfunditur, de capillis suspensa, nihilo minus perstitit in sententia. Decretū erat, idolum nolle, Christum uelle se colere, atq́ꝫ ob id sibi cum Eleusio, seu, ut alij habent, Eulogio, non conuenire omnino. Post hæc carcere clauditur, in quo uir Beliaal in angelum lucis transfiguratus, sub pietatis specie sategit, uirginem à sentētia trahere. Verum illa effusa cum lachrymis oratione, à deo reuelationem accepit, cacodæmonem esse eum nunciū.

Vnde

Vnde animata Iuliana monstrum illud ui aggressa, cathena colligauit, ac calcibus probe contudit. Cumq; postero die è custodia produceretur, traxit post se colligatum monstrum, et palàm ostentui habens, atq; ludibrio exponẽs: En, inquit, deum uestrum gentiles. Egregie uexatum in cloacam, dignam tali angelo sedem, deturbauit: quantumuis ille in Christiana uirgine clementiam desyderaret, quasi uerò nos erga diabolum principem hostem clementes esse & boni debeamus. Cæterũ puella tota iam ex deo pendens, & præter deũ nihil uel amans, uel quęrens, in supplicium rotæ rapitur, Mox ignito ac fluitante plumbo tingitur, tandem gladio iugulatur. Quibus pœnarum generibus Iulianæ corpus occidi potuit, anima non item. Nec temere detrectauit obedire impio patri, iam cœlestis patris filia, et Christi soror. Iucundum lectũ est, quòd Ethnicum sponsum metu Cæsaris à nostra religione resilientem, tam cordate confutauit. Ait: Quando tu ita times Imperatorem mortalem, egon' magis Imperatorem immortalem timere debeo? Acta sub Diocletiano. Sic enim ex Herman. Contracto liquet: Quo tempore multi alij quoq; Christianorũ propter fidem Euangelij, contempta uita, mortem passi sunt. Inter illos numeratur Caius Pontifex Rom. Cyriacus diacon. Largus, Smaragdus, Apronianus, Papias, Maurus, Claudius, Prepedigna cum filijs, Gabinus presbyter, Castulus, Pancratius, Artemius cum uxore & filia, Sebastianus, Marcus, Marcellinus presbyt. Petrus exorcista, Tranquillinus, Nicostratus, Zoë uxor eius, Primus, Felicianus, Castorius, Victorinus, Symphorianus, Basiliscus, Faustinus, Simplicius, Beatrix, Tiburtius filius Cromatij, Susanna uirgo, Ioannes, Crispus, Genesius, Felix & Adauctus, Lucia & Geminianus, Sergius et Bacchus, Chrysogonus, Saturninus & Sisinnius, Quatuor coronati, Theodorus, Pontianus, Prætextatus & Thraso, &c. Hi Romæ passi sunt, Diocletiano Imperatore sæuiente. Apud Spoletum, Gregorius presbyter, Sabinus Episcopus, Exuperantius & Marcellinus diaco. Apud insulas Palmarias, Anastasia: Antiochiæ Iulianus & Basilissa: In Hispania ciuitate Cæsaraugustana Vincentius diaco. In Barcinona Eulalia uirgo, Ocuphas: Apud Gerundam Felix. Apud Tyrum Tyrannio, Syluanus, Peneleus & Linus episcopi, cum innumera multitudine. Apud Sirmium Serenus: Nicomedię Petrus, Lucianus presbyt. Antiochenus, Antimus episcop. Pantaleon, Ioãnes Hadrianus, Dorotheus et Gorgonius, Eleutherius: Smyrnæ Irenæus: In Palęstina Gaza, Syluanus: Mediolanis Victor: In ciuitate Suscia Quirinus Episcop. Apud Tharsum Bonifacius: In Aquileia Felix & Fortunatus: In Sicilia Vitus & Modestus cum Crescentia & Lucia uirgine: In Britannia Albanus: In Massilia Victor: Apud Augustam Aphra in Retia prouincia: In Nicęa Bithinię Theodota cum filijs: In ciuitate Compluto Iustinus & Hastar fratres: In Catana Siciliæ Euplus: Pergamis Alexander: In Chalcedone

done Euphemia: In Neapoli Campaniæ Ianuarius Episco. Beneuentanus, Sosius diaco. Mesenate ciuitate Faustus & Desyderius: in Palestina Peleus & Nilus episco. in Cyzico Suasta & Eulasius: Agauno, Mauritius cum socijs: Antiochiæ Cyprianus cum Iustina: apud Ægeam ciuitatem Cosmas & Damianus: in castro Solodoro Victor: apud Coloniam Agrippinam Gereon cum socijs: apud Tharsum Carracus, Probus & Andronicus: in Venusina Felix episco. Audax, Ianuarius presb. Suessione Crispinus & Crispinianus: Apud Sidonem Cenobius presbyt. in territorio Auganensi Tyberius, Modestus & Florentia: in Scythia Merias: Antiochiæ Romanus, Alexandriæ Petrus Epis. in Aphrica Crispina uirgo: in Tuscia Barbara uirgo: in Hispania Leocadia: Emerita ciuitate Eulalia & Iulia uirgines. Meminerint hic nostrates Christiani, quam felix prior Ecclesiæ portio, quæ plena martyrum, hoc est, uere Christianorum extiterit, & deplorent nostri sæculi Ecclesiæ turpificatam faciem. Heu in quæ tempora incidimus.

Anthonius Sabellicus de S. Iuliana: Obtulit se Beliaal dæmon Iulianæ uirgini in carcerem post sæua uerbera deiectæ, induerat que cœlestis nuncij faciem, ut commodius falleret, hortatur puellam Christi nomine, ut Ethnicis dijs sacrificet, fore ut propterea omni cruciatu defungeretur, inhorruit, suspicataque fraudem esse, deum supplex precatur, ut quale illud esset oraculum sibi liquidius pateret, uinxit illa dæmonem permissu numinis, sæuisque uerberibus affecit.

DIES CINERVM.

Ex D. Basilio magno.



ADhortamini (inquit) sacerdotes populum, loquimini ad aures Hierusalem, maximum quidem momentum fratres dilectissimi, orationis natura ad studiosorũ animos per se promptos augendos, pigros uero & ignauos excitandos strenuosque reddendos, habet. Ex quo duces in aciem exercitũ deducturi, uerbis uirtutem exercitantibus, atque impellentibus, uti solent: tantamque huiuscemodi monitio uim cõtinet, ut mors sæpenumero penitus contemnatur: & qui in gymnasijs atque ludis exercentur ob coronam consequendam, multis ab eorum magistris ad laborum tolerantiam excitantur. Ex quo plures ob gloriæ præmiũ persuasi, corporis pericula proculdubio despexere. Nunc item mihi Christi milites aduersus inuisibiles inimicos in bellum educturo, ac pietatis athletas ad iustitiæ coronas per ieiunium præparanti necessarius adhortationis sermo. Quid igitur fratres dicam? Hi quos supra narraui, certaminibus ac palæstris legitime studentes, ciborum copia corpora saginant ad uires contra aduersarios maiores faciendas. Nobis autem quibus non est certamen aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates

testates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, necessarium profecto fuerit per ieiunium & abstinentiam ad certamen præparari. Nam quum oleum athletas roboret, ieiunium in dei uia sese exercentes ad pietatis studia firmat atque incendit. Ex quo quantum carnis tibi subtraxeris, tantum spiritualis habitudinis uegetationi addideris. Non enim ex corporis lacertis ac uiribus, sed ex animæ robore atque constantia, tum in cunctis laboribus et aduersitatibus patientia, aduersus inuisibiles hostes uictoria, potentiaque oritur. Est itaque omni tempore ieiunium utile seruantibus, nec dæmonum malignitas aduersus ieiunantem audet. Et animæ nostræ custodes Angeli libentius ac studiosius eos curant, qui per ieiunium purgati fuerint, multoque magis hoc tempore quando per uniuersum orbem ieiunium nunciatur. Nec insula ulla, nec terra, non ciuitas, non gens, non denique locus ullus tam desectus ubi hoc mandatum non fuerit auditum, sed & exercitus & iter facientes terra marique, mercatoresque quoque omnes similiter audiunt libenterque suscipiunt. Vnde nullus ieiunantiũ numero sese subtrahit, in quo & generationes cunctę, sexus omnis, ætas, ordo, includuntur. Angeli per singulas sunt ecclesias eos qui ieiunant catalogo militum Christi describentes. Vide, quæso, ne ob breuem ciborum delectationẽ plectatris, neu te rerum ac desectorem ordinis Angelo describenti constituas. Minus sane periculum aliquem in acie scutum proijcere, quàm arma ieiunij maxima detrectare. Diues es? Ne ieiunium despicias, ipsam communem mensam accipere dedignans, neue tuam domum à uoluptate possessam uilem reddas, ut tu tandem apud legis auctorem des pœnas, et longe maioribus iure inflictis laboribus, uel ex corporis ægritudine, uel aliqua alia superuenien te calamitate luxuriam compenses. Si rursus pauper es, ne & tu ieiuniũ irrideas, quod tibi cõtubernalem domesticumque iamdudũ habeas. Mulieribus aũt sicuti resipiscere quoddam ac respirare, sic ieiunium natura solet esse. Pueri sicuti plantę surgentes aqua ieiunij irrigentur. Sene item laboribus leuat ieiunij antiqua familiaritas. Labores enim diuturna con suetudine ijs qui in uitæ abstinentia se exercent leuiores sane contingũt. Iter facientibus optimum quoque uiaticum ieiunium: uelut enim luxus, gulæ delitijs oneratos nos atque impeditos esse cogit, sic ieiunium & abstinentia leues & expeditos in itinere reddit. Deinde exercitu quidem conscripto necessaria nõ ad uoluptatẽ militibus cibaria dantur. Nobis uero aduersus inuisibiles inimicos ad bellum exeuntibus, ac post uictoriam de his ad cœlestem patriam festinantibus, nonne multo minora satis erunt, ac illis in exercitu uersantibus necessaria? Mala ergo ut miles patere, ac legitime certa, ut coronam speratam referre ualeas: illud omnino sciens, quòd omnis qui prompto contenderit animo, cuncta facile superabit. Quod autem nuper cœpi de militibus dicere, nos fas prætęrire. Nam illis ex laborum proportione cibaria augeri solent. Spiritualibus

bus aũt militibus, ĳ qui minus habent cibariorũ maiorẽ obtinent digni tatem. Vt aũt horũ naturas inuicem cõparemus: Materia militiæ mortalis, ferrum est, nostra uero ex spe gloriæ salutari consistit. Scutum illis ex pelle & ligno conficitur, nobis uero ex fide munimentum ac thorax. Nos iustitia ac sanctitate contegimur, illi lorica, ferreaq; tunica muniuntur. Nobis sensus spiritus est ad nos tuendos, illis uero ex ferro iacula mittuntur. Manifestum itaque quod cibi non easdem utriusq; uires faciunt. Verum nos ad pietatis dogmata parce sumpti roborant atque acuunt, illis autem saturitas uentris ad certamen est necessaria. Quamobrem, fratres dilectissimi, quando præsens tempus reuertens hos nobis aptatissimos dies attulit, tanquã ueteres nutrices libenti animo excipiamus, per quas ecclesia nos ad pietatem educauit. Paratus ad *ieiunium*, ne tristitiam more Iudæorum ostentes, sed ex Euangelĳ præcepto laua faciem, unge caput, minime lugens, minime dolens, sed spirituali potius lætitia exhileratus, animæ tuæ congaude. Nosti enim quemadmodum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Si hæc igitur inter se opponuntur arma, carnis adfectus omnis subtrahamus, robur atq; uires animæ addamus, ut per ieiunium de corporis uoluptatibus triumphantes, ieiunĳ coronis redimiri possimus. Te inquam *ieiunĳ* decore atq; meritis præpara, ne hodierna ebrietas crastinam tibi *eripiat* ac destruat abstinentiam. Vana quidem & improba huiuscemodi cogitatio, quoniam quinq; dierum nobis ieiunium præcipitur, hodierno die à crapula incipiamus, uinoq; immodico nosmet obruamus. Nullus enim uxorem pudicam legitime ducturus amicæ seu pellaci se ante commiscebit. Non enim legitima sanctaq; simul cum abominandis cohibitari, quam sustinebunt, nec item tu ad expectati ieiunĳ compensationem indulgere uelis ebrietati, quam dixerim publicum uulgi scortum, impudentiæ matrem, stulte ridentium insaniam, ad omnem denique probri speciem facile instrumentum. Nec profecto ieiunium precesq; ad deum in animam ebrietati subiectam ingrediuntur. Ieiunantem procul dubio intra sacra munimenta recipit Deus. Crapula uero refecto *ut* nefario & abominando minime se propinquũ reddet. Si enim cras ueneris uinũ marcidum reddens, quonam modo in ieiuniũ tibi crapulam computabo? Nam quũ recens oles merũ, in quo, quæso, te loco *constituã*, inter ebrios, an ieiunantes? Crapula nãq; olfactu sese ostendit, purgatus aũt stomachus ac uacuus ieiunĳ testis erit, in cõtentione ac dubio uersaris, an sub ebrietatem ueluti mancipium redigaris. Nec illud te iure dimittet quum claras seruitutis habeat coniecturas, tuum olfactũ sicuti ex uase quodam fęculento exeuntem. Statim itaq; primi diei ieiunium inexpectatum tibi fuit adhuc saturo & crapulæ reliquias redolenti. Quorum enim principium debile, & primitiæ inexpectatę atq; improuisæ, & reliquum uile atque abiectum subsequi uidetur. Ex quo totum opus

opus reijcietur: nam ebrij regnum dei non possidebunt. Si ebrius ergo ad ieiunium ingrediaris, quae tibi utilitas, si propterea à regno excludaris? Quid reliquũ ieiunare opus? Nonne uides, quòd certaturos equos magistri ac domitores per abstinentiam prius curant, facilesq́ reddunt? Tu uero de industria teipsum saturitate uastas atq deprimis. Tantum bruta gulae uitio superas. Venter enim grauis non solum cursui, sed ne somno quidem captando satis est aptus, quoniam pondere pessundatus, non admodum quiescendi potestatem tribuit, sed huc illuc crebras facere reuolutiones cogit. Quamobrẽ ieiunium pueros custodit, grauẽ ac sapientẽ iuuenẽ reddit, senem ornat. Canicies nanq ieiunio decorata longe uenerabilior. Mulieribus ornamentũ aptissimum, uegetorum ualentiumq́ frenum, coniugij custos, uirginitatis nutritor. Talis ẽm per singulas domos abstinentiae diligentia totam publice uitam quodam modo gubernat. Omnem etiam ciuitatem ac populum ad bonũ traducit statum. Rixas ac strepitum sopit: exterminat lites, contumelias comprimit. Quemadmodũ ẽm magistri alicuius praesentia tumultum sedat, sic ieiunium ciuitatis turbationem frenat. Quis lasciuus aut perditus ex ieiunio prodit? Quis chorus inhonestus consistit? Molles risus, lasciui cantus, insanae saltationes ex stulta & impudẽti exeunt ciuitate, unde ueluti iudex quidam seuerus ieiunium fugatur. Si enim omnes illud in rebus agendis consiliarium caperent, proculdubio nihil prohiberet, quin pax tranquilla per orbem foret. Nec gens aduersus gentem insurgeret: neq item tot exercitus describerentur, aut tot arma inimica exercerent. Non fora feruerent: non in carcerem homines ducerentur: non deniq syluae atque saltus grassatores haberent. Non pastores fures, non mare piratas formidaret. Si omnes ieiunij discipuli essemus, non uox illa tributum praecipientis secundũ Iob sententiam esset audita. Non uita nostra tantis onerata malis, tot doloribus referta esset. Si ieiunium uitae nostrae dominaretur, non dubium, quin omnes non solum ciborum, sed etiam auaritiae & cupiditatis, & omnis uitij abstinentiam complecteremur. Quibus expulsis, reliquum est, ut pax animarum, quiesq́ alta sequatur. At qui ieiunium reijciunt, luxumq́, ac uitae foelicitatem prosequuntur, praeterq̃ q omnem malorum supra dictam cateruam introducere uidentur, ꝓpria corpora consumpsere. Obserua parumper quęso uultus, eorumq́ differentiam, qui tibi hodie uesperi, quiue cras apparebũt. Hodie nanq tumentes rubẽtesq́ ex ualetudine potius q̃ natura ac tenui sudore madentes erunt oculi humore referti, procaces, sensus acuitate ob nebulas intrinsecus excidentes. Cras uero ora firmissima, ueneranda naturalem colorem prae se ferentia, sensus alacritatisq́ plena: Nulla sanè intus causa naturales affectus per cibi superfluitatem impediente. Ieiunium, inquam, angelorum, imago iustorum contubernalis. Hoc & Moysem legislatorem constituit. Ieiunij fructus Samuel fuit. Ie-

iunans orauit Anna mater deum: Adonay domine Eloy Sabbaoth: Si uidens respexeris super seruam tuam, et mihi semen uirile dederis, dabo ipsum coram te munus, uinum & siceram non bibet usque in diem mortis eius. Hoc item & magnum Samsonem nutriit: quod dum ille seruauit, millia in bello cecidit: portas ciuitatis submouit: uim leonum robore lacertorum superauit. Quando uero & uini & scorti illecebris est captus, in hostiũ facile potestatem peruenit: deinde oculis priuatus, pueris alienis ludibrium est factus. Ieiunans Helias tribus annis & sex mensibus cœlum præclusit. Postquam enim uidit multam ex saturitate nequitiam prouenientem, necessarium populo ac minime uoluntarium ieiunium intulit, per quod eorum peccata præter modum gliscentia compressit: ieiunio scilicet, ut cauterio & gladio quondam usus, finem sceleri ac malis imposuit. Quamobrem omnis ordo ipsum complectimini: Pauperes ut uestrum contubernalem & conuiuam: serui ut continui laboris uestri ac ministerii requiem: diuites ut saturitatis assiduæ remediũ ac futuri morbi salutare: Vtque dulce interuallum continuæ uoluptatis ob frequentiam fastidientis: Ægri ut sanitatis matrem: Valentes ut uestræ custodiam ualetudinis. Percontare medicos, qui tibi referent quemadmodum hæc ad ualetudinem uia est omniũ tutissima. Quamobrem empiretici & medicorum peritissimi corporis superfluitatem per ieiunium tollere contendunt, ne per carnis grauitatem uires debilitentur. De industria nanque per abstinentiam & frugalitatem, carnis excessum, ac pondus castigantes, renouatione quadam ualetudinis & augmenti in nutrimenti moderati uegetationem præparant. Sic omni studio & omni corporis habitudini, omnibus similiter & domibus & foris & ciuitatibus & locis desertis ex ieiunio prouenit utilitas. Hæc igitur tanta ex eo beneficia bonaque conspicientes, fratres dilectissimi, lętis animis excipiamus: Non quemadmodum hypocritæ tristes, sed ex domini præcepto hilaritatem sine simulatione ostendentes. Nec magis quicquam timete ac animaduertite, quàm ne quis hodie uestrum ob futuram abstinentiam in ebrietatem incidat. Ieiunium nanque mihi partim consuetudine inueterata, partim etiam uerecundia quadam obseruant atque suscipiunt. Ebrietatem metuo, quam ueluti quandam hæreditatem paternam uini amatores custodiunt. Quemadmodum enim ii, qui se ad longas adcingunt peregrinationes, sic stulti hodie nonnulli ad horum dierum abstinentiam, longa uini potatione præparant. Quis ita excors, ut prius quàm esurire incipiat, uinum ac ebrietatis insaniam appetat? Nonne uides, quod uenter depositum minime seruat? Venter socius insidissimus promptuarium incustoditum ex multis quæ ei traduntur, illa quæ nocent, facile continet, accepta minime curat. Vide, ne cras ab ebrietate uenienti, ea quæ nunc leguntur, iure sint dicta: Non hoc ieiunium, quod elegi, ait dominus. Quid commisces minime miscenda? Quæ participatio ieiunii ad

nij ad ebrietatem? Quæ cõmunicatio luxus ad abstinentiã? Quod templo dei cum idolis commercium? Dei nanq; templũ ij sunt, quibus Dei spiritus inhabitat: Templum uerò idolorum illi, qui per ebrietatem intemperantiæ probrum suscipiunt. Hodierna, inquam, dies uestibulum & primus ad ieiunium ingressus est. In atrium em̃ primum domus qui contaminatus ingreditur, minime dignus ad sancta transire. Nullus em̃ seruus sibi dominum conciliare cupiens, eius inimico ad impetrandam beneuolentiã utitur. Ebrietas nanq; inimica dei est: Ieiunium uero pœnitentiæ initium. Si uis per confessionem ad deum accedere, ebrietatem fuge, ne tibi duriorem longe alienationem prouoces. Non enim ad perfectum laudabileq; ieiunium satis est ciborum abstinentia: Sed uerum, deoq; placens ieiunium, abstinere à malo, linguam continere, iram temperare, parcere maledicentiæ, mendacio, periurio. Horum itaq; moderatio uerũ erit ieiuniũ. Pulchrum q̃dem in huiuscemodi uersari abstinentia. Igitur in domino delectemur, & in meditatione sermonum spiritus, & cõmunicatione sacrorũ mysteriorum: & demum in cunctis nostras animas dirigentibus institutis solacium cõstituamus. Ieiunium autẽ famem illã, quę intus est, caueamus. De qua item ꝓpheta loquens ait: Nõ in famem deus animas iustorum deducet. Item in Psalmo: Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Non enim de sensibili loquitur pane: quum alioqui dominus permiserit patriarchæ nostri Iacob filios in Ægyptum famis gratia descendere: uerum de spirituali loquitur cibo, per quem interior homo noster perficitur, ne contra nos insurgat ieiunium eius generis, quod Iudæis propheta minatur, dicens: Ecce dies ueniet, ait dominus, & inducam in terram hanc famem: non autem panis famem, aut aquæ sitim, sed audiendi uerbi dei famẽ. Hanc itaq; hac de causa iustus induxit iudex: quoniam eorum mentẽ in fame ueritatis ac sanctorum præceptorum uersari, tantumq; ciborum eos uoluptati uacare, ac exteriorem hominem escis mortalibus saginare, conspiciebat. Quamobrem fratres dilectissimi hos sacratissimi ieiunij dies, quibus nos sanctus spiritus matutinis ac uespertinis gaudijs pascet, hilariter suscipite. Nullus sponte ac uolens conuiuium hoc spirituale deserat. Omnes crateris sponsi participes simus: quem sapientia fundens nobis ex æquo propinauit, quatenus quilibet ad eum hauriendum idoneus esse potest: eius craterem profecto protulit, ac hostias iugulauit: hoc est, perfectorum solidum cibum, eorum qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali, ut ait Apostolus: Quo sane cibo qui sunt legitime imbuti ac saturi, digni sponsi lætitia sunt inuẽti, in Christo Iesu domino nostro, Amen.

SACRA QVADRAGESIMA, ex D. Ambrosio.



SAnctæ Quadragesimæ rationem, cuius hodie initium celebramus, frequenter edidimus, & cur tot dierum numero ieiunemus, sæpe docuimus. Diximus enim, quod dominus Iesus Christus hunc eundem numerum consecrauit, & continuatis diebus noctibusq́ non capiens cibum, unum ieiunij corpus effecerit: hoc est, licet diei ordo noctis interrumperetur aduentu, non tamen interruptus est ordo ieiunij. Vnde erant apud eum plura temporum curricula, sed abstinentiæ dies una, ostendens nobis, ita nos hunc numerum integrum ieiunare debere, ut quia totam quadragesimam complecti non possumus sopito et uno ieiunio, uel quotidianis eandē sine intermissione ieiunijs celebremus, ut si quisquam unam diem abstinendo prætermiserit, totam quadragesimam uiolarit: & propter modici temporis cibum magni fructum laboris amiserit. Sed dicit aliquis: Quadragesimæ aliquotiens accepimus rationem, & eam consecratā à domino frequenter audiuimus, sed cur eadem quadragesima quadraginta & duos dies habeat, audire gestimus. Legimus in ueteri testamento, cū sanctus Moyses filios Israël de iugo Ægyptiæ captiuitatis erueret, ut in terram eos repromissionis induceret, quadraginta & duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus perueniss e, tantoq́ illum temporum numero potitū esse promissis, quanto & nos ꝓmissis nobis à Saluatore perfrui gratulamur. Eodem inquam numero Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quo & nos per ieiunia properamus ad cœlum. Ieiunia eīm nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritualiter facientes animæ uirtutibus ambulamus, & diurno profectu repromissę nobis terræ uiciniores efficimur, ita ut citius perueniat, qui deuotius ieiunarit. Pedes enim quidam animæ pernices sunt fides atq; ieiunium, qui cito de humilibus ad altiora conscendunt, cito de terrenis ad cœlestia gradiuntur. De his pedibus dicit apostolus: Quàm speciosi pedes Euangelizantium bona. Hos pedes lauari præcepit Dominus, sicut Apostolus ait de uidua: Si sanctorum pedes lauit. Digni enim honore Euangelizantium pacem pedes sunt, qui spirituales ac nitidi doctrina super hominum corda gradiuntur. Quadraginta etiam & duorum dierum numero Israël populus peruenit ad fluenta Iordanis: Eodemq́ dierum circulo Christianus populus uenit ad fluenta Baptismatis. Et sicut ait propheta: Iordanis conuersus est retrorsum. Illic introeunte Israëlita in aquam fluminis, unda superfugit: Hic descendente in fontem Christiano, criminum peccata diffugiunt. Et mirum in modum illic deorsum cōuersus fluuius in originem suam reuertitur: hic in posterum reuocatus homo in originis suæ infantiam reparatur. Ibi fontem suum de quo egressa fuerat

unda

unda perquirit: hic hominem suum à quo exierat innocentia recognoscit. Ibi exinanitur alueus fluctibus: hic euacuantur corda criminibus. Ibi ut seruos Dei, illic aqua cęnosa nō madidet: hic famulos Dei conscientia tetra non polluat. Iordanis enim quidam est fons lauacri, per quem qui transiuerit, relictis sordibus, paradisum repromissionis ingreditur. In hoc ergo quadragenario & duali numero Israël populus relinquens Ægyptū, rubri maris fluenta transcendit: & nos quoq; in ipso numero relinquentes mundi Ægyptum, gehennæ ardentis stagna transimus. Illos in fluctibus unda sustentat: nos ignis flamma non urit. Illis solidatur aqua: nobis refrigescit incendium. Et contra naturæ usum per æstum siccatur mare: per fontem baptismi gehenna mitescit. In hoc inquam mystico numero filij Israël peruenientes ad myrrham, cum præ amaritudine aquam haurire non possent: habebat enim fons aquam, sed dulcedinem non habebat: erat delectabilis ad uisionem, sed sincerus non ad saporem. Iniecto in eam per Mosen ligno dulcedinem suauiter potarunt: austeritatem quam noxia unda gestabat, ligni abstulit sacramentum. Quod quidem in figura factum puto. Aquam enim amaram myrrha, legem esse arbitror ueteris testamenti, quæ lex prius quàm cruce temperaretur domini, erat immitis: Iubebat enim oculum pro oculo, dentem pro dente, & uelut austeris nullum misericordiæ refrigerium porrigebat. At uero ubi ligno Euangelicæ passionis est temperata, statim amaritudinem suam suauitate commutans, dulcem se cunctis præstitit ad potandum. Sicut ait propheta: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauuori meo. Dulcia enim sunt eloquia, quæ iubent: Si quis te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Si quis tibi aufert tunicam, relinque illi & pallium. Hęc est ergo illa amaritudo quę dulcedine commutata est, id est, austeritas Legis Euangelij gratia temperata est. Amara enim est Legis litera sine crucis mysterio. De qua ait Apostolus: Litera occidit. At ubi passionis illi sacramenta iunguntur, omnis eius spiritualiter amaritudo conditur. Et de ea dicit Apostolus: Spiritus autem uiuificat.

DE S. MATTHIA APOSTOLO.


Rimus Apostolico parua de puppe uocatus
Agmine Petrus erat, q̄ piscatore solebat
Squamea turba capi, subito de littore uisus
Dum trahit, ipse trahi meruit. piscatio Christi
Discipulum dignata rapit, qui retia laxet,
Humanum captura genus, quæ gesserat hamum
Ad clauim translata manus: quiq; æquoris imi

Ex Aratore Diacon.

Ardebat

Ardebat madidas ad littora uertere predas,
Et spolijs implere ratem, melioribus undis
Nunc alia de parte leuat, nec deserit artem,
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit agnus
Quas passus saluauit oues, totumq; per orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere summus
Surgit, & insinuans, diuina negocia coram
Sic uenerandus ait: noctis quoq; proditor amens
Mercedem sceleris soluit sibi, tædia noxæ
Horruit ipse suæ, stringens in gutture uocem
Exemplo cessante ream, qui parte necari
Promeruit, qua culpa fuit, crimenq; retractans
Iudicio tali permisit membra furori,
Aëris ut medio communi poneret hosti
Debita pœna locum: cœlo terræq; perosus
Inter utrunq; perit, nullis condenda sepulchris
Viscera rupta cadunt, tenuesq; elapsus in auras
Fugit ab orbe cinis. non hæc uacat ultio Iudæ,
Quæ suprema negat, uindictaq; mercis iniquæ
Sic placitura uenit. nam cum modo rura parasset
Funeris ex precio, cum nomine sanguinis emptus
Cespes, in externas componens busta fauillas
De tumulis fecundet humum: caret impius agri
Fertilitate sui, solusq; excluditur aruis
Quæ monumenta ferunt, cuius tuba sæua cruentum
Est exorsa nefas. qui signifer oscula fingens
Pacis ab indicio bellum lupus intulit agno.
Nunc opus est uotis, quod uerba prophetica clamant,
Quem liceat supplere uices, tunc summa precantes,
Constituere duos, Ioseph, cognomine Iustum,
Matthiamq;, dei paruum quod nomen, ut aiunt,
Hebræo sermone sonat, humilemq; uocando
Comprobat: ô quantum distant humana supernis
Iudicijs. parui merito transcenditur ille
Laude hominum qui iustus erat. duodena refulgent
Signa chori, terrisq; iubar iaculatur Olympi.
Hæc quoq; lux operis quid præferat, ędere pergam.
Quatuor est laterum discretus partibus orbis,
Trina fides uocat hunc, quo nomine fonte lauatur.
Quatuor ergo simul repetens ter, computat omnem
Quam duodenarius circutulit ordo figuram
Discipulisq; pijs, quibus hoc baptisma iubetur.


Atthias, cum unus esset è numero septuaginta, allectus est in ordinem undecim Apostolorum, in locum Iudæ Iscariotæ, qui fuit proditor. In altera Æthiopia, ubi est irruptio Apsari, & Hyssi portus, prædicauit Euangelium, quum essent homines agrestes. Et illic dormiuit, & illic sepultus est, usque ad hodiernum diem. *Ex S. Hieronymo.*

SANCTI QVADRAGINTA MARTYRES.


Vis modus, aut quæ satietas Martyrum memoriam prosequendi erit, illi præsertim, qui eorum amore ac charitate magnopere tenetur? Nam honor erga bonos conseruos collatus, beneuolentiæ significationem apud communem dominum habet. Palàm est enim, quemadmodũ is, qui generosos homines ac fortes cum honore exceperit, in simili si forte contingat occasione, imitari non dedignabitur. Venerare igitur legitime martyres, ut egregię tuæ uoluntatis te testem adducas, ac demum seu persecutione, siue igne, seu uerberibus ac plagis, eodem cum illis præmio dignus habearis. Nobis hodierna die non unum propositum est admirari, neque duos, neque decem, sed uiros quadraginta: qui unam in diuersis corporibus animam retinẽtes, in una conspiratione & concordia fidei eandem erga res arduas cõstantiam, & pro ueritate stabile propositum ostenderunt. Omnes inter se similes, pares sententia, pares certamine: quamobrem parem coronę gloriam sunt promeriti. Quæ digna laus, quæ sermonis copia his poterit adhiberi? Non enim linguæ quadraginta ad prosequendam talium uirorum uirtutem sat fuerint. Nec solum multitudo tanta, phalanx militaris cuneus insuperabilis, æque & in bellis inexpugnabilis, ac in laudibus inenarrabilis. Sed horum unus tantum, si legitime fuerit oratione commendandus, nostram facile uim ingenij sermonisque facundiam superabit. Igitur in medium eos adducentes, ad communem omniũ hic astantium utilitatem constituere, palamque omnibus quemadmodum in pictura, fortia illorum facta reddere conabimur. Nam magnifica in bellis gesta & oratores sæpenumero, & pictores pulcherrime demõstrant: hi oratione, illi tabulis describẽtes atque ornantes: amboque plures ad fortitudinem imitandam induxere. Quę enim sermo historiæ per inductionem præbet, eadem & pictura tacens per imitationem ostendit. Sic & nos martyrum uirtutem commemorantes uos astantes excitabimus, ac uobis sub aspectum ipsorum facta reducentes, eos qui sunt animo aliquantulum generoso, ac ipsis uolũtate propinquiores, facile ad imitandum accendemus. Hæc est enim martyrum uera laus, alios ad eorũ uirtutem æmulandam inuitare. Non enim encomiorum legibus, aut eorũ, quæ in genere demonstratiuo reperiũtur, sermones de sanctis ullo modo seruiunt. Quoniam qui laudant cæteros, ex mundi huius rebus ma- *Ex D. Basilio magno.*

teriam usurpare solent: quibus autem mundus crucifixus est, quomodo ex eo quicquam quod ad laudem faciat, mutuari poterit? Non erat his Sanctis una patria, alius aliunde uenit. Quid igitur sine patria dicemus eos? aut orbis ciues? Sicut enim in symbolorum collationibus, quæ oblata sunt communia existunt omnium conferentium: sic & in his beatis cuiuslibet patria communis omnium erat: & omnes è diuersis terrarum locis tanquam ex uno duxerant omnia communia. Sed quid opus terrestres memorare patrias, cum non liceat quæ sit uera facile nosse. Patria igitur horum martyrum Dei ciuitas est, cuius autor atque conditor ipse Deus. Hæc est superna Hierusalem, quæ libera est, quæ est mater Pauli & omnium ei similium. Genus autem humanum aliud alij. Genus uero spirituale unum omnibus omnino. Communis nanque eis pater Deus, & fratres omnes nō ab uno & una descendentes, sed ex adoptione spiritus in unam concordiam inter se per charitatem conuenientes. Chorus paratus, conuentus maximus eorum, qui ab initio Deum laudant, non sigillatim cōgregati, sed cumulatim dispositi. Quis aūt dispositionis modus? Hi magnitudine corporis, & ætatis flore, ac uirtute cæteris omnibus præcellentes, ad militares ordines regendos promoti sunt. In tantam quoque imperatoris dignationem uenerunt, ut ob bellorū experientiā & animi fortitudinem, primas apud eum obtinerent. Vbi uero per iniquum præconem nunciatum, edictumque omnibus emanauit: ne quis Christum profiteretur, propositaque omnia pœnarum genera confidentibus, multa quoque à iudicibus iniustis ira & feritas prodit, multęque item ubique insidiæ, doli, delationes, ignis insuper paratus, ensis in prompto, crux affixa, bothrus, rota, flagella. In tanta igitur fidelium turbatione nonnulli fugiebant, aliqui suppliciū libenter subibant, alij comprensi ac cruciati, alij certamen ineuntes deinde usque ad finem laborum durare nequeuntes, pugnam ad periculū detrectabant, & uelut in pelago naufragantes, quæ uirtute patientiæ parta multorum annorū secum in naui uehebant, in eam horam amiserunt. Tunc igitur hi quadraginta inuicti & generosi Christi milites, cū præfectus imperatoris literas ostendisset, & inobedientiam requireret, libera uoce, audacter ac fortiter, nihil ex ijs quæ uiderant exemplis expauescendo, minas omnes contemnendo in medium procedētes, sese Christianos esse fassi sunt. O beatas linguas, quæ sacram illam uocem emiserunt, quā aër quidem excipiens sacer est factus, angeli audientes plauserūt, diabolus uero cum dæmonibus magnam accepit plagam, dominus postremo in cœlo descripsit. Igitur horum quilibet in medium procedens: En, ait, Christianus sum. Et uelut in stadijs qui simul eunt, dicunt sua nomina, & in locum pugnæ describuntur: sic & hi tunc nobilitatis generisque ac dignitatis propriæ obliti, tantum seruatoris sui professi sunt nomen, quod omnes ordine fecerūt. Ex quo facta est omnium una appellatio. Non enim talem ac talem, sed

Christianos omneis se clamantes. Hoc itaq; cernens præfectus, anxius ac dubius erat, an blandis uerbis, uel potius minis eos ad obtemperandum deduceret. Primum quidem ipsos, si quo modo à pietate obstinata posset auertere, dulci aggreditur sermone: Nolite (inquit) iuuenes ætatem perdere uestram, neq; intempestiuam mortem cum dulci hac et amœna uita commutare. Absurdum nanq; in bellis, eos qui sunt assueti fortia gerere facta, morte ignauorum ac prauorum hominum perire. Post hæc pecuniam pollicebatur, honores ex Imperatore, dignitatesq; ac ordines militię primos offerebat. Cum his rebus nihil proficeret, aliud genus aliumq; modum tentauit, plagas, mortes, pœnas intolerabiles ostendit. Et hic quidem talia. Martyres uerò qualia? Quid (inquiunt) nos demulcere studes dei hostis? Discedere à Deo uiuente, & dæmonibus seruire pessimis cogis? Tua nobis bona offers? Putas'ne tantum te daturum, quantum eripere contendis? Tua respuo dona, ut æternę pœnæ materiam non honorem, recipio ignominiæ patrem. Pecuniam da, quæ permaneat, ac cõtinuo duret, gloriam quæ semper floreat. Me imperatori uis facere familiarem, sed me à uero rege alienare quæris? Quid enim hæc minima, quæ tu uocas magna, ex mundo polliceris, cũ mundus uniuersus à nobis despiciatur? Non sunt omnia quæ uideri possunt spei paria, quam continuo retinemus. Vides hoc cœlum, ut aspectu pulchrum, ut magnum: & terram quanta est, quot'ue in ipsa mirabilia? Nihil & hęc profecto iustorum felicitati ac beatitudini æquipararí ualent. Illa nanq; uelociter transeunt, hæc continuo durant. Vnam tantum iustitiæ palmam expecto, circa unam gloriam, quę in regno est cœlorum, solicitor. Honoris superni cupidus sum, pœnas uanas gehennæ metuo. Illius ignis mihi formidolosus. Nam ignem eum, quem uos nobis intentatis, conseruus est. Nouit & ipse uereri eos, qui idola contemnunt. Sagittas infantium uestras plagas existimamus. Corpus enim cædis, quo eo clariorem assequetur coronam, quo magis tibi resistet. Quòd si corporum imperium habetis, speratis etiam animarum habere? Nam & si deũ nostrum non respicitis, & extrema probra horrendasq; pœnas nobis infertis, nihil profecto aliud contenditis, quàm uobis æternum supplicium, nobis uero uberem pietatis materiam, ac perpetuam gloriam parare. Non enim carnis amatoribus, non attonitis hæc facitis. Pro charitate, proq; fide in deũ & in rota poni, & cruci affigi, & flammis uri, ac omnibus demum modis torqueri, parati sumus. Vbi uero hæc audijt barbarus ille ac superbia tumidus, audaciam ac loquendi libertatem minime ferens, modum considerare cœpit, quo mortem eis acerbissimam prolixamq; pararet, inuenit tandem. Audite itaq; rem quàm duram sit cõmentus. Excogitans ille regionis naturam salebrosam, & collibus præruptã esse, ac Brumæ tempus instare, obseruauit, in qua maxime parte frigus uehemens, ac Boreæ flatus horridior esset. Iussit omneis nudos sub dio

positos mori. Nostis enim fratres dilectissimi omneis, qui hyemis horrores estis experti, quod genus hoc pœnæ. Non enim nosse licet, nisi ijs qui exemplis similibus periculum fecerunt. Corpus in primis horrore prostratum, totum in horrorem concreto sanguine uertitur: deinde turbatur & fremit, dentes frendunt, uenæ disrumpuntur, uirium prosperitas per uim deijcitur. Dolor insuper quidam acutus, & labor inenarrabilis per medullas penetrans, intolerabilem facit sic frigore concretis dolorem. Deinde in acutum tendit, ut ab igne, cum summa cremantur. Ab extremis nanque corporis partibus consequens uapor, & ad interiora ac penitiora confugiens, quædam unde absistit mortua relinquit, nõ nulla uero ad quæ tendit, doloribus afficit, qui paulatim cruciando perierunt. Igitur sancti dei sub dio pernoctare in stagno quodã iussi sunt, quod pro mœnibus ciuitatis erat, ac per brumam ita glacie concretum apparebat, ut equis peruium & accolarum pedibus tritum esset. Aquæ uero solitum non retinerent cursum, earumque natura mollior in lapidis duritiẽ concresceret. Boreæ nanque mordentis spiritus animantia omnia iuxta uersantia interimebat. Hic itaque audito damnationis iussu, martyres consyderate quanta fuere constantia: qui loco cum summa lætitia cõspecto, ultimum nuditatis amictum alacriter reijcientes, eadem sponte irruerunt, non tanque ad supplicium, sed ad gloriosissima spolia rapienda, se inuicem hortando descenderunt. Non enim (inquiunt) amictum exuimus, sed ueterem hominem, concupiscentiæ deceptione corruptum, deponimus. Gratias agimus tibi Domine, per hunc amictum peccata repellentes: quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christũ uero exuimus. Quas domino qui pro nobis est spoliatus, dignas gratias reddemus? Quid magnũ seruo, si ea quæ passus est dominus subeat? Nos causa sumus, ut illi uestis detraheretur, longe magis quam militum audacia, qui eam diripuere ac sortiti sunt. Durum profecto frigus, sed dulcis paradisus. Affligens glacies, sed delectabilis requies. Breui tempore durantes, sinus Abraham nos perpetuo fouebit. Vnã noctem cũ æuo sempiterno cõmutabimus. Incendatur frigore pes, ut cum angelis continuo saltet. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in deum attollendi. Quot em̃ nostri commilitones ceciderunt, fidem mortali regi seruantes? Nos pro fide in uerum deum seruanda hanc uitam nõ proijciemus? Quot item malefici homines mortem tulerunt in scelere deprensi? Nos uero pro iustitia mortem nõ subeamus? Ne obsecro commilitones emolliamur, neu terga diabolo demus. Quando semel mori oportet, moriamur ut uiuamus. Fiat sacrificium nostrum coram te dñe, & uelut hostię uiuentes tibi placentes, nosmet hoc sęuo gelu immolantes abs te recipiamur. Pulchrum quidem sacrificium, pulchra oblatio, pulchrũ holocaustũ, non quidẽ per ignem, sed per frigus absumptum. Hæc igitur & his similia credibile inter se dicerent, ac communem labo-

rem

rem in domino solaretur. Veluti quandam in bello custodiam instruentes, eam noctem sæuos cruciatus sustinendo atq; algendo præterierunt, tantũ spe certa gaudentes, et hostẽ cõtinuo deridentes. Vnũ erat omniũ uotũ: Quadraginta in stadiũ intrauimus, totidem dñe coronas tribue. Non desit numero, nec unus quidẽ. Preciosum est tempus, q̃d quadraginta dierũ ieiunio ornasti, per quod diuina lex in orbem transiuit. Quadraginta item dierũ ieiunio Helias Dominũ exquirẽs uidere meruit. Et oratio quidem eorum talis. Vnus ex eorum numero, inde per animi inconstantiam subterfugiens, mœrorem socijs maximum reliquit, nec propterea dominus eorum uota inania permisit esse. Nam propè aderat quidam, cui eorum custodia credita est, exitum rei expectans, paratusq; martyres si qui fugerent, ut eis clare pollicitus, in lauacro quodam aquæ calidæ, quod iuxtà situm erat, excipere ac seruare. Res à præfecto astute fuerat excogitata, talem uidelicet inuenire certaminis locum, in quo paratum damnati haberent refugium, ut omnem cœpti propositi constantiam amitterent. Sed hoc martyrum patientiam clariorem reddidit. Nõn enim qui cogitur est constans, sed qui liber & in oblectationis copia dura pati potest, is demũ constans ac patiens est. Custos itaq; dum hos obseruaret, quosdam è cœlo descendentes Angelos, ac coronas singulis martyribus uno excepto distribuentes aspexit: Is autẽ quem indonatum illi reliquerunt, ac honoribus cœlestibus indignum iudicauerunt, ea repertus est animi mollitie atq; inconstantia, ut statim laboris tolerantiam desperans ad hostes transfugeret, miserabile prorsus spectaculum, miles transfuga, uir fortissimus captus, Christi ouis à lupo direpta: & quod miserabilius, à uita perpetua cœlestiq; excidens, neq; hac postremo diu gaudens. Nam ubi calidam attigit aquam, corpore quod glacie torpebat dissoluto, statim interijt. Custos uero, qui prodigium hoc uiderat, ubi illum fugientem conspexit, relictis omnibus, sese in eius demisit locum, ac unà cum sanctis illis uocem emisit: Christianus & ego sum. Itaq; cum eius subita mutatione stuporem illis incuteret, & numerum impleuit, & mœstos ob socium amissum sanctos proculdubio cõsolatus est, eos imitando, qui in acie prima ubi forte aliquis ceciderit, statim ordini alium restituunt ac surrogant, ne proximi incommodum patiantur. Talem igitur ipse se gessit: uidit miracula cœlestia, nouit ueritatem, ad Dominum confugit, cum Martyribus annumerari uoluit. Exemplum est Apostolorum imitatus: Abijt Iudas, Matthias est surrogatus. Imitatus & Paulum, qui heri persecutor, hodie factus est Euangelizator. Superne es ipse uocatus, non ab hominibus, neq; per homines. Credidit in nomine domini Iesu Christi. Baptismum suscepit, non ab ullo, sed à propria fide: non in aqua, sed in proprio sanguine. Cum uero primum illuxit, & extracti ferè omnes essent exanimes, igni traditi sunt, ac cineres in fluuium proiecti, ut per omnem creaturam eorum transiret

certamen. In terra primum exerciti, deinde in aëre sub dio durauêre, postremo igne crematos aqua excepit. Horum est ergo uera uox illa: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Hi sunt, qui nostram suo templo regionem ornant, nostram quoque aduersus inimicos tutelam, ut turres quædam munitæ suscipiunt. Nec uno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt, nec tamen separati, sed inter se commixti: si in singulos ipsos diuiseris, proprium numerum non excedunt: si uero in unum congregaueris, quadraginta nihilominus erunt, ac ita ut ignis natura permanent. Nam ille & ad progredientem transit, & totus est apud habentem: Sic hi quadraginta sunt unum, & omnes apud singulos. Beneficium igitur hoc fratres dilectissimi, gratiam hanc minime deficientem, ac sine inuidia, ex Deo obtinemus, ut paratum sit nobis & ecclesiæ per hos martyres auxiliū. Exercitum triumphantium, chorum laudantium Deum. Sępe operam dedistis, sępe laborastis, ut unum pro uobis orantem inueniretis: quadraginta sunt hi, unā orationis emittentes uocem. Vbi enim sunt duo uel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est: Vbi uero quadraginta fuerint, quis dubitet, Deum esse præsentem? Qui aliqua præmitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret: Hic ut à malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Hos mulier orans pro filijs auditur, peregrinanti uiro reditum incolumem, ægrotanti uero salutem implorat. Cum his ergo martyribus nostras effundamus preces. Adolescentes suos coæuos imitentur, patres taliū esse filiorum parentes exoptent, matres exemplum matris optimæ spectent. Nam unius illorum mater, alios iam penè frigore cōsumptos aspiciens, suum uero filium, ob uires aliquantulum ualidiores, & aduersus dura constantiam, adhuc uiuum: & permittente populo, uitæ consulere ualentem, ipsum proprijs accepit manibus, ac currui in quo reliqui iacentes ad pyram ferebantur, apposuit, martyris uera mater. Non enim lachrymam indecorā effundere, aut aliquid humile loqui, uel indignum agere uisa est. Sed ô nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne à chorea deseraris, neue inferior alijs domino appareas. O matrem fœlicem, ô bonæ radicis bonum germen. Ostendit generosa parens, quemadmodum pietatis institutis eum magis quàm lacte educauerat. Et hic quidem sic nutritus, sic elatus est à pia genitrice. Diabolus uero his uisis, præ uerecundia discessit. Omnia nanque supplicia ab eis uicta proculdubio uictis. Nox horrida & uentosa, tempus anni frigidissimum, corporea nuditas, patria Borealis. O sanctum chorum, ô sacrum ordinem, ô cuneum inexpugnabilem, ô communes generis humani custodes, optimi curarum socij, precum ac uotorum inuicem suffragatores, castra mundi, flores ecclesiarum: uos nō terra contexit, sed cœlum excepit. Apertæ sunt uobis paradisi portæ, dignum profecto exercitibus

citibus

citibus angelorũ,patriarchis,prophetis,& iustis omnibus spectaculum. Viri ætate florentes ac pares, uitam alacriter despicientes, supra parentes ac filios Deum amantes,mundo simul & angelis, & hominibus spectaculum facti, excidentes erexerunt, dubios in fide cõfirmauerunt,pijs desyderium auxère: unum omnino pro pietate omnes trophæum erigentes,unâ iustitię corona ornati fuère,in Christo Iesu domino nostro: cui gloria & imperium nunc & in æterna sæcula,Amen.

S. IVLITTA MARTYR.



Concionis hodiernæ causa in hoc sacro templo, fratres dilectissimi,beatæ Iulittæ martyris præconium. Itaq; hunc diem magni certaminis memoriam referentem, uobis omni studio celebrandum nunciamus, quod certamen in muliebri corpore non solum ijs qui tunc ei spectaculo interfuère, sed etiam omnibus in posterũ id accepturis admirationi maximæ, prodigioq; fuit. Beatissima igitur mulier Iulitta (si mulierem appellare decet, eam quæ muliebris naturæ debilitatem, animi uirilis magnitudine correxit, à qua puto maxime communem aduersarium nostrum ægre magnopere ferre, se fuisse superatum, qui muliebrem uictoriam minime patiens,ut qui magna illa iactare solet, uniuersum commouere orbem, & ut nidum aliquem aut oua relicta prendere,omnes quoq; pariter euertere, deinde à muliebri se uirtute uinci uideat, quã supplicij tempore conatus decipere,in deum pietatem usq; ad extremum seruantem, ac natura fœminea præter opinionem longe fortiorem inuenit, quæ obiecta terribilia eo magis risit, quo aduersarius eisdem putauit eam uehementius perterrere.) Hæc inquam Iulitta, ad iudicium quendam in ciuitate potentẽ olim accersiuit, hominem planè auarum ac uiolentũ, qui diuitias sibi ex rapina & prędа multas comparauerat, ex quo & agros,& uillas,& pascua,& seruos,& omnem uitæ præsentem suppellectilem ex ea ablatam ad seipsum traducens,iudicia falsis testibus & largitione iudicum corrupit. Vt autẽ dies aderat,& præfectus & aduocati astitère,cœpit illa de hominis iniustitia dicere, & de uiolentia simul & auaritia conqueri, quòd rem sibi diu legitime possessam per iniuriã eripere uellet. Prodiens ipse: Non,inquit, iudicium idoneum,neq; cognoscendum:nihil enim fas eis cõmune cum cęteris esse,qui deos imperatorum non adorent,& Christi fidem sectantur. Videbatur enim iuri consentanea apud eos dicere,& necessaria prętendere: quoniam negantibus Christum,legum cõmunis erat usus,forumq; cõmune. Profitentes uero fidem, ut iudiciorũ atq; legum minime participes rejciebantur. Quid igitur illa consilij super his inijt? An ob contentionem cum uiro potentię ius fasq; contempsit? an instans ex iudicibus periculum exhorruit? Non profecto: Sed ualeat,inquit,uita, ualeant Ex D. Basilio magno.

ualeant diuitiæ, Corpus enim iri perditum malo, quàm uocem aliquam impiam in creatorem meum emittere. Quantoq; magis præfectum huiuscemodi uerbis irritatum, ut ei mortem intentantem conspiciebat, tanto magis Deo gratias agebat, quod diuitias fluxas atq; fragiles despiciens, cœlestium bonorum possessionem uisa est præferre, & res terrenas ab se abijcere, ut paradisum possideret. Repulsam quoq; & ignominiam parui existimans, ut gloriæ sempiternæ gloriam consequeretur. Corpus deniq; affligans, & uitam sibi ad tempus auferens, ut spes tempore opportuno cum sanctis reliquis acciperet. Cum autẽ sæpe interrogata, eandem continuo uocem emitteret, seruam se Christi affirmans, & ijs qui eam ad negandum adhortabantur malediceret: tunc iudex iniquitatis non solum opibus, quæ per iniuriam ablatæ fuerant, eam priuauit, sed graui morte mulctauit, igni adiudicans. Illa uero nihil in uita delectabilius, nihilq; potius habuit, quàm ad Deum ocyus contendere. Vt autem ad flammm uenit, & uultu & oris claritate animi alacritatem atq; constantiam ostendens, astantes circa mulieres adhortata est, ne pro pietate subire labores grauarẽtur, neq; naturæ muliebris fragilitatẽ causarentur. Ex eadem inquiens materia esse, & ad imaginem Dei similiter ut uiri creatas, & uirtutẽ summã recipere hũc sexum esse aptum, pariq; honore à summo Deo conditum. Quid ni? si uiris in omnibus consanguineæ sumus. Non eñ caro sola ad mulieris constructionẽ sumpta est, sed os ex ossibus, ex quo & robur & firmamentum & patientiam, quæ ex uiris eodem modo & ex nobis Deo debentur. Hæc dicens in pyram procurrit, quæ sanctæ mulieris corpus ueluti thalamus aliquis refulgens suscepit. Animam uero in cœlestium regionem, & ei conuenientem locum transmittit. Preciosum uero corpus incorruptum eius propinquis conseruatum est, atq; in pulcherrimo ciuitatis templo collocatum, quod & locum & adeuntes pariter sanctos reddidit. Terra aũt benedicta huius beatæ aduentu, ex proprijs brachijs naturam aquæ gegenerosissimam emisit, ut modo lactis omnes in ciuitate pariter nutriat. Ex quo pro martyre mater cõmunis uidetur effecta. Hęc enim & ualentibus sanitas, & modeste delicatis uoluptatis promptuarium, & ægris consolatio. Gratiam quam Hebræi apud Hierichunta senserunt, hanc nobis hæc martyr beatissima tradidit, ut aqua huiuscemodi præter loci naturam, quum salsæ ferè sint omnes, dulcem mollemq; ac delectabilem omnibus qui eam cum benedictione bibunt, degustationem præbeant. Quamobrem uiri uos hortor, ne uirtute muliebri inferiores uos erga pietatem uideri uelle permittite: Mulieres, ne & uos tantum exemplum relinquite: sed iam sine excusatione sexus, ite obuiam pietati, re periculum facientes, quemadmodum nihil bonorum uobis naturæ defectus impedit.

Ioseph

IOSEPH MARIAE.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ,cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph. Virum nominat, non quia maritus, sed quia homo uirtutis erat: *uel* potius,quia iuxta alium Euangelistam,non uir simpliciter,sed *uir eius* dictus est.Merito enim appellatur,quod necessario putatur.*Debuit* igitur uir eius appellari,quia necesse fuit & putari,sicut & *pater saluatoris* non quidem esse,sed dici meruit,ut putaretur esse, di*cente hoc* ipso Euangelista: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorũ tri*ginta, ut* putaretur filius Ioseph.Nec uir ergo matris, nec filij pater exti*tit,quamuis* certa (ut dictum est) & necessaria dispensatione utrũq; ad *tempus* & appellatus sit,& putatus.Conijce tamen ex hac appellatione qualibet dispensatoria meruit honorari à deo, ut pater dei & dictus & creditus sit. Conijce & ex proprio uocabulo, quod augmentũ non dubitas interpretari,quis & qualis homo iste Ioseph: simul & memẽto magni illius quondam patriarchæ uenditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solum uocabulũ fuisse sortitũ,sed & castimoniã adeptum,innocentiam assequutũ & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia uenditus & ductus in Ægyptum,Christi uenditionem prefigurauit.Iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiens, Christum in Ægyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans,dominæ noluit cõmisceri. Iste dominam suam domini sui matrem uirginem agnoscens,et ipse continens fideliter custodiuit.

Ex homil. D. Bernhardi.

S. BARLAAM ET IOSAPHAT,
ex Io.Damasceno.

CVm cœpissent Monasteria construi,ac Monachorũ congregari multitudines, & illorum uirtutum & angelicæ conuersationis felix fama fines orbis occuparet, & usq; ad Indos perueniret, eosdem ad similem zelum excitauit, ita q multi eorũ omnia desererent,ac peterent deserta,& in corpore mortali conuersationem susciperent angelorum.Rebus igitur sic bene se habentibus,& aureis(ut ita dicam) pennis multis in cœlum uolatibus, surrexit quidam rex in eadẽ prouincia Auennir nomine: magnus quidem factus diuitijs & potentia,& contra aduersarios suos uictoriosus,& in bellis strenuus.Erat enĩ corporis magnitudine pariterq; uultus decore uenerandus, omniumq; mundialium rerum cito marcescentium successibus gloriabatur.Secundum uero animam, ultima grauabatur inopia, multis malis suffocatus. Gentilis nanq; erat professionis, nimiumq; superstitioso errori idolorũ deditus.Cumq; in multis delitijs uiueret,& delectationibus atq; iucunditatibus præsentis uitæ deditus esset ex toto corde,nihilq; quod uellet atq; desideraret, ei deesset;unum tantum uidebatur esse, quod lætitiam

illius minuebat, curisq; ac solicitudinibus ipsius animam affligebat, uidelicet sterilitatis malum: nam filios habere non poterat, et idcirco multum solicitus erat, quatenus tali uinculo solueretur, pater filiorum uocaretur: quæ res multis est optabilis. Talis itaq; rex erat, & talem intentionem habebat. Gloriosissimum uero genus Christianorum, & monachorũ multitudines regis cultũ uilipendentes, & prorsus minas nõ formidantes, proficiebant Christi gratia ad sermonis meliorẽ plenitudinẽ traditi, paruipendentes regem regisq; sermonẽ. Ea uero quæ ad dei cultum pertinebant, studiosius agebant. Et ideo multi qui monachicũ susceperant ordinem, omnes quidem æqualiter mundi delectationes à se repellebant. Ad unius uerò dei cultũ tota intentione se contulerant, & pro Christo mortem sitiebant, æternam desiderantes beatitudinẽ. Prædicabant ergo sine timore aliquo & dilatione, & ualde confidenter salutare dei nomen, et nihil aliud, nisi Christum in ore habebant. Fluidam uero & corruptibilem naturam præsentiũ rerum & stabilitatem, atque in corruptione futuræ uitæ apertè cunctis demonstrabant, & seipsos illis exemplum præbebant, & prædicationis semina spargebant, ut familiares illos deo efficerent, quatenus quę in Christo abscondita est, uitam mererentur. Hinc multi dulcissimam illam doctrinam suscipientes, amaras quidem deceptionis deserebant tenebras, clarissimoq; ueritatis lumini iungebantur, adeo, ut quidam nobilium atq; senatorũ omnia deponentes uitæ sæculi onera, monachi fierent. Rex autem ut hoc audiuit, ira maxima repletus, atq; furore succẽsus, edictum ilicò posuit, omnẽ Christianum coarctari, ut negaret fidem Christi. Vnde nouas contra ipsos quidem Christianos species tormentorum excogitabat, & studiose perquirebat, & nouos mortium modos minabatur eis, & literas per uniuersas sibi subiectas prouincias delegabat principibus atq; ducibus pœnas aduersus pios & neces iniustas decernens. Præcipue uero aduersus monasterij ordinis præpositos furens, atrocissimum contra eos ineffabile excitauit bellum. Tunc multi fidelium mente cõmouebantur. Alij uerò tormenta sustinere non ualentes, execrabili illius obediebant præcepto. Monastici autem ordinis duces ac principes palàm quidem atq; in facie regis impietatem redarguentes, per martyrium temporalem uitæ finem sortiebantur, & ętemam acquirebant beatitudinem. Alij uero in solitudinibus et montibus abscondebantur, non q; tormenta metuerent, sed dispensatione quadã diuina hoc agebant. Huiusmodi ergo obscuritate Indiam occupante, & fidelibus quidem undiq; repulsis, impietatis uerò ministris omnia tenentibus, cruoribus & nidoribus sacrificiorum etiam ipso iam aëre inquinato, quidam regis archisatrapa dignitate qui animi costantia, magnitudine atq; forma, & omnibus alijs, quibus pulchritudo corporis & fortitudo significari potest, ab alijs omnibus differebat. Vt audiuit impium illud præceptum, ualefaciens huic uanæ

gloriæ

gloriæ deorſum trahenti atq; delitijs temporalibus, monachorum præpoſitis ſemetipſum cōmiſcuit, montium deſerta petens, ibiq; ieiunijs & uigilijs, ac diuinorum eloquiorum meditationi intentus, ſenſus ſuos uigilanter emundabat, & animam ab omni liberans paſſibili affectu, impaſſibilitatis lumine illuſtrabat. Rex autem hunc ualde diligebat, & in honore maximo habebat. Qui priusq; audiuit de eo talia, doluit quidem animo, quoniam amicum perdiderat, contra monachos uero amplius exarſit in iram. Miſit itaq; ubiq; ad eius inquiſitionem, & omnem lapidem ac montium concaua & ſpeluncas, ut inueniretur, perquiri fecit. Poſt aliquantum uero temporis hij qui ad inquiſitionem illius directi fuerant, ut ſenſerunt in deſertis eum habitationem habere, perſcrutantes inuenerunt eum. Quem compræhendentes regis tribunali exhibuerunt. Videns aūt rex ſic in paupere & aſperrimo ueſtitu, illum uidelicet, qui ſplendidis aliquando induebatur ueſtimentis, & multis affluebat delitijs, nunc uero maceratum dura anachoreſeos conuerſatione & eremiticæ uitæ patenter opertum ueſtimentis, triſtitia ſimul & ira replebatur, & ex ambobus ſermonem miſcens, ait ad eum: O ſtulte & mentis perditæ, cuius rei gratia mutaſti honorem in contumeliam, & ſplendentem gloriam in hunc ignominioſum ac uilem aſpectum, es primus in regno meo, & meæ archiſtrategos potentiæ? Ludum puerorū temet ipſum conſtituiſti, non ſolum noſtræ amicitiæ atq; fiduciæ oblitus, ſed & contra ipſam inſurrexiſti naturam, & neq; propriorum filiorum miſertus, diuitias & omnem uitæ gloriam pro nihilo reputaſti, & tantam inhonorationem inclytę prępoſuiſti gloriæ? ut quid hoc feciſti? & quid hinc lucraberis, quod omnibus dijs, uidelicet & omnibus illum, qui dicitur Ieſus, prætuliſti, duramq; etiam iſtam & ſuperſtitioſam conuerſationem delectationibus atq; iucunditatibus dulciſſimæ uitæ huius? Hęc audiens ille homo dei, hilariter ſimul ac planè reſpondit: Si rationem à me audire uis, ô rex, inimicos tuos de medio prætorij tui eijce, & tunc reſpondebo tibi de quibuſcunq; interrogare uolueris: illis nanq; præſentibus, nullus à me tibi ſermo reddetur. Præter rationem uerò, torque, occide, fac quod uis. Mihi enim mundus crucifixus eſt, & ego mundo, ait doctor meus. Rege autem dicente: Et qui ſunt inimici iſti, quos de medio pellere me iubes? Ait uir ſanctus: Ira & concupiſcentia. Hæc enim ab initio quidem cooperatoria naturæ ab actore inducta ſunt, & nunc ſimiliter habent ea, quæ non ſecundum carnem conuerſantur, ſed ſecundum ſpiritum. In uobis autem, qui toti eſtis carnei, & nihil habetis ſpiritus, contraria facta ſunt, & quæ inimicorum & hoſtium ſunt, agunt. Nam concupiſcentia in uobis operatur quidem uoluptatem, & incitat, ira uero deſtruit. Abſcedant igitur hodie iſta à te: aſſideant uerò ad audientiam dicendorum atq; iudicium prudentia & æquitas. Si em̄ iram & concupiſcentiam de medio tuleris, & pro his prudentiam &

æquitatem adduxeris, omnia ueraciter dicam tibi. Ad hæc rex ait: Ecce annuens tuæ postulationi, ejiciam de concilio concupiscentiam et iram, & in medium uero adducere prudentiam & æquitatem faciam. Dic ergo mihi secrete, unde tibi tantus error factus est, ut quæ inani spe consistunt, præponens his, quæ in manibus habentur, & oculis uidentur? Respondens autem eremita, dixit: Si initium quæris, ô rex, unde mihi factum est, temporalia quidem despicere, totumq; meipsum æternorum spei dedisse, audi: In diebus antiquis, cum ualde iuuenis essem, audiui uerbum quoddam bonum & salubre, & me fortiter huius uirtus rapuit, & quasi cuiusdam diuini seminis huius memoria in meo plantata est corde, inseparabiliterq; semper conseruatur, adeo ut radicata sit & exorta, & quem cernis fructum attulerit in me. Verbi uerò uirtus hæc fuit: Visum est (inquit) insipientibus ea quidem quæ sunt despicere, quasi nõ sint, quæ uerò non sint, quasi sint, appræhendere & continere. Qui ergo non gustauit eorum quæ sunt dulcedinem, non poterit eorum quæ non sunt, addiscere naturam. Ignoras autem, quomodo ista despiciet. Existentia quidem uocauit sermo æterna, & non mutabilia: non existentia uero præsentem uitam & delitias, atq; fallacem prosperitatem, quibus, ô rex, male heu cor tuum addictum est. Ego etiam his aliquando detinebar, sed uerbi uirtus exuperans, animam meam indesinenter incitat, mentem meam ad id quod melius esse eligendum. Lex uerò peccati resistens legi mentis meæ, & quasi quibusdam ferreis compedibus uinciens me, affectu præsentium captiuum tenebat. Quando autem complacuit bonitati ac benignitati saluatoris nostri Dei, ut liberaret me de sæua illa cupiditate, confortauit mentem meam, ut uinceret legem peccati, & aperuit oculos meos, ut discernerẽ bonum à malo. Tũc iam cõsideraui, & uidi, & ecce omnia præsentia uanitas & afflicti spiritus: sicut & Salomon sapientissimus dicit in suis sermonibus. Tunc sublatum est de corde meo uelamen peccati, & quæ ex corporali crassitudine superposita erat, animæ meæ nigredo terra dissipata est, & cognoui ad quod factus sum, & quia oportet me ad actorem meum ascendere, per ipsius operationem mandatorum. Vnde omnia derelinquens secutus sum eum, & gratias ago ei per Iesum Christum dominum nostrum, quia eruit me de lacu miseriæ & de luto fecis, id est, potestate sæuissimi exterminatoris principis tenebrarum sæculi huius, & ostendit mihi uiam compendiosam & facilem, per quam potero in hoc fragili ac fictili corpore angelicam ducere conuersationem. Quam apprehendere cupiens, strictam & arduam adamaui pergere uiam, condemnando præsentium uanitatem & instabilẽ impetum istorum ac reflexum, & nescio aliquod aliud bonũ uocare, præter illud quod uere bonum est, à quo miserrime tu ô rex abruptus es & disiunctus. Vnde te deseruimus, & à tuo consortio nos separauimus, eo quòd in certam & euiden-

tem

tem te præcipitasti perditionem,& ad æquale urges deducere nos periculum. Nam quãdiu mundanam exercuimus militiã, nihil eorum quæ decebant nos prętermisimus: sicut & ipse nobis testimonium perhibes, nec inertiæ alicuius aut negligentiæ aliquando crimen incurrimus. Quando uero & ipsum omnium bonorum principale bonum à nobis amputare contendis, id est,pietatem & Deum deserere, quod damnis est omnibus præferendum, & propter hoc honores ac munera nobis repromittis: Quomodo boni notitiam te habere ullam recte dicere possim,cum ex æquo prorsus comparas ipsa ad inuicem (pietatem dico in Deum,& amicitiam humanã & gloriam) uelut aquam defluentem? Quomodo ergo tibi in hoc cõmunicare possumus, & non magis è contrario amicitiam & honorẽ & affectum filiorum, & si quid aliud erat,negabimus? Videmus enim te ô rex ingratũ esse Deo,qui & ipsum tibi esse & respirare præbuit, qui est Christus Iesus dominus uniuersorum,coæqualis & coæternus Deo patri,qui cœlos uerbo & terram stabiliuit,hominemq́ manibus proprijs formauit, & hunc immortalitate donauit,regemq́ cunctorum quæ in terra sunt constituit, & quasi regalem sedem omnibus pulchriorẽ paradisum ei subdidit, qui inuidia diaboli deceptus & uoluptate. Heu proh dolor illectus miserrime,ab uniuersis his corruit bonis. Nam qui prius erat deo dilectus, factus est miserrimus, lachrymis propter suam miseriem omnimodo plangendus. Sed qui nos formauerat & creauerat, benignis rursus respiciens oculis opus manuum suarũ, cum Deus esset, non admittens,quod erat ab initio factus ꝓpter nos absq́ peccato, quod sumus nos, crucem sponte ac mortem sustinens,hostem iam supradictum, qui primum parentem nostrum deceperat, deiecit, & de illius amara seruitute nos redimens,in pristinam benignissime restituit libertatem. Et unde propter inobedientiam cecideramus,illuc denuo sua nos reduxit misericordia,potiori nos pristino honore efficiens dignos. Tu aũt illũ,qui talia ꝓpter nos passus est, & talibus nos bonis iterũ dignos effecit,ipse respuis, & in illius crucẽ offendis. Totus uero delitijs corporis deditus,& exterminandis subditus passionibus,deos appellas ignominia & confusionis idola,& non tantũ teipsum cœlestiũ bonorũ hæreditate alienũ efficis, sed omnes qui tuis pceptis obaudiũt,ab hac iam deiecisti, & animarũ piculo tradidisti. Scito igitur quod ego nõ credam tibi, nec acquiescam aut cõmunicabo tibi in huiusmodi contra deum impietate, neq́ meum benefactorem & saluatorem negabo, etiam si me bestijs deuorandum projcias, uel gladio & igni tradas:quod nunc tuæ est potestatis. Non enim mortem timeo,nec amo præsentia, multam eorum cognoscens infirmitatẽ. Quid enim in ipsis utile est,uel sufficiens aut stabile? Nec hoc solum, sed & in ipso suo esse, grandis inest eis miseria, & multa tristitia, multaq́ sine intermissione solicitudinis cura. Nam lætitiæ ipsorum & delectationi,om

nis copulatur dolor & tristitia. Diuitię ipsorũ sunt penuria, & sublimitas ipsorum ultima deiectio. Et quis eorum mala enumerabit? Quod tamen per modica uerba mihi meus Theologus insinuat, inquiens: Mundus totus in maligno positus est. Et: nolite diligere mundũ, neq; ea quæ in mundo sunt. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia uitæ. Et: Mundus transit, & concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem Dei, manet in æternum. Hanc igitur uoluntatatem Dei bonam exquirens, dimisi omnia, & adhæsi illius habentibus desiderium, & eundem quærentibus Deum: in quibus non est contentio, aut inuidia, tristitia, uel sollicitudo, sed omnes æqualem peragunt gressum, ut ad æternas perueniant mansiones, quas parauit pater luminum diligentibus illum. Hos ego parentes, hos ego fratres, hos amicos & notos possedi. Ab illis uero, qui aliquando mihi fuerunt amici & fratres, elongaui fugiens, & mansi in solitudine, expectans Deum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate. His ita facile & luculenter à Dei homine pronunciatis, rex cõmouebatur quidem ab ira, & amarissime torquere sanctum uolebat, sed retardabatur denuo & reuocabatur, honorem illius atq; nobilitatem reuerenter considerans. Exorsus ergo inquit ad eum: Vndiq; miser tui ipsius meditatus es perditionem, ad hanc (prout arbitror) à fortuna perductus: Acuisti nãq; mentem simul & linguam tuam, quatenus fatuam istam ac uanam fabulationem garriendo effutires. Sed nisi in principio sermonis promisissem tibi, quod de medio concilij iram remouerem, nunc utiq; igni tuas carnes traderem. Quoniam uero anticipans talibus me circumuenisti sermonibus, modo tuam procacitatem, quin & propter priorem meam gratam amicitiam: Surge ergo & fuge ex oculis meis, ne ultra te uideam et male te perdam. Tunc egressus uir Dei secessit in desertum, contristatus quidem, quod martyrium nõ sustinuit. Martyrium tamen quotidie in conscientia tolerabat, pugnans aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, sicut ait beatus *Apostolus*. Illo igitur abeunte amplius rex iratus, persecutionem uehementiorem contra monachorum meditatur ordinem, ampliori'q; honore idolorum cultores ueneratur ac pontifices. Cum in tali ergo rex esset errore crudeli & seductione, nascitur ei filius pulcherrimus: qui ex ipso florido decore, quod futurum de eo erat, præfigurabat. Dicebatur enim nequaq; in terra illa talem aliquando apparuisse gratissimum ac speciosissimum puerum. Gaudio itaq; rex maximo in natiuitate eius gauisus, hunc quidem Iosaphat uocauit. Ipse aũt ad templa idolorũ stulus abijt, insipientioribus se dijs immolaturus, & gratiarum actiones & hymnos & laudes redditurus, ignorans miser, quis uere bonorum autor sit omnium, cui spirituale oportebat offerre sacrificium. Ille autem inanimatis

& surdis

& surdis causam pueri sibi nati adscribens, ubiq; transmisit ut congregarentur multitudines, ad istius pueri natalitia. Tunc uidens omnes confluere timore regis, afferētes secum quæ sacrificio erant idonea, sicut cuiq; possibile erat, & manus illius inuenire poterat, & regalem dignita- becebat. Maxime uero ipse eos prouocabat ad solennitatem, tauros plurimos & maximos ad immolandum afferens. Et sic celeberrimo festo peracto, cunctos honorificauit muneribus, tam maiores q; minores, tam nobiles quàm ignobiles. In ipsa uero solennitate conuenerunt ad regem præelecti uiri quasi quinquagintaquinq;, circa astronomicam Chaldęorum sapientiam uacantes. Et hos proprius accersitos ad se rex, rogabat edicere singulos quid futurus esset puer, qui sibi natus erat. Illi uero plurima perscrutantes, dicebant illum magnum esse futurum in diuitijs & potentia, & supergressurum omnes qui ante eum fuerūt reges. Vnus autem de Astrologis excellentior cunctis, ait: Sicut ex his quę me docuerunt astrorū cursus, ualeo conijcere ô rex pueri huius profectus, qui nūc natus est tibi, nō in tuo erit regno, sed in alio meliori & incomparabiliter eminentiori. Æstimo uero illum quā persequeris Christianorum religionem fore suscepturum, nec puto quòd sua spe priuetur. Hęc quidem Astrologus dixit: sicut olim Balaam astrologiam non ueram pronunciante, sed Deo per aduersarios, ea quæ sunt ueritatis significante, ut omnem impijs excusationem adimeret, &c. Porrò ne liber in immensum succresceret, placuit Historiam interrumpere. Æquus lector cætera requiret in loco.

CATHEDRA PETRI.

Post Christi mortem & resurrectionem, completis iam diebus Pentecostes, spiritum sanctum accepêre discipuli: quo imbuti uarijs linguis res gestas summi Dei locuti sunt, etsi plærique eorum sine ulla eruditione sint habiti, maxime uero Petrus & Iohannes. Eorum autem uita ad utilitatem cōmunem respiciebat, nil proprij habebant, quicquid ante pedes eorum ob religionem ponebatur, id totum uel partiebantur inter se ad commoda naturę, uel pauperibus erogabant. Hi uero prouincias partiti sunt: Thomas Parthos sortitus est, Matthæus Æthiopiam, Bartolomæus Indiam citeriorem, Andreas Scythiam, Iohannes Asiam: unde & apud Ephesum commoratus, post longos labores & diutinas solicitudines è medio sublatus est: Petro autem principi Apostolorum Pontus, Galatia, Bithynia, Cappadocia obtigit. Apostolus enim natione Galilæus ex Bethsaide ciuitate Iohannis filius, Andreæ Apostoli frater, primus sedit annis septem in episcopali sede apud Antiochiam Tyberij tempore, qui Augusti priuignus & hæres, annis uigintitribus uarie imperauit. Horum itaq; temporibus fuit (Ex Platina.)

Petrus

Petrus ille, quem his uerbis Christus allocutus est: Beatus es Simon bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et, tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiā meam. Ac, tibi dabo claues regni cœlestis, potestatemq; ligandi & soluendi. Is uero omnium diligentissimus, ubi Asiaticas ecclesias satis confirmasset, confutatis eorum opinionibus, qui circuncisionem approbabant, secundo Claudij anno in Italiam uenit. Claudius enim C. Caligulæ patruus, quem nepos in ludibrium reseruauerat, imperium accipiens, quintus ab Augusto Britanniam, quam neq; ante Iulium Cæsarem, neq; post eum quisquam anttingere ausus est, in deditionem accepit. Orcadas insulas Romano adiecit imperio: Iudæos tumultuantes Roma expulit, compressit & seditiones in Iudęa à quibusdam pseudoprophetis concitatas. Obtrita etiam sunt triginta milia Iudæorum in portis Hierosolymitani templi azymorum diebus, Cumano eius iussu procurante Iudæam. Laboratum eodem quoq; tempore annonæ caritate ibiq; est, Agabo propheta tantam calamitatem prædicente. Ab externo hoste securus perfecit aquæductum, cuius ruinas apud lateranum cernimus à Caio inchoatum. Emittere quoq; fuscinum lacum est aggressus, non minus compendij spe quàm glorię, cum quidam priuato sumptu emissurum se pollicere tur, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem pasuum milia partim effosso monte, partim exciso, cuniculum ægre absoluit post undecim annos, triginta milibus hominum ibi sine intermissione elaborantibus. Portum quoq; Ostinensem, quem adhuc cum admiratione intuemur, extruxit, ducto dextra læuaq; brachio ad coërcendos maris fluctus. Messelina uxore conuicta probri interfecta, Agrippinam Germanici fratris sui filiam contra ius fasq; ducit uxorem, à qua postea imperij decimoquarto anno boletis ueneno illitis necatur. Petrus itaq; Romam caput orbis terrarū tunc uenit, & quòd hāc sedem pontificali dignitati conuenientem cernebat, & huc profectum intellexerat Simonem magum Samaritanum quendam, qui præstigijs suis eo erroris *iam* deduxerat populum Romanum, ut deus crederetur. Romæ enim *iam* titulum adeptus erat inter duos pontes positum, ac latinis literis sic scriptum: Simoni deo sancto. Hic dum in Samaria esset, tamdiu se credere in Christum simulauit, quoad baptismum à Philippo uno ex septem Diaconis acciperet, quo quidem postea in malam partem utens, multarum hæresum fundamenta iecit, cum Selene impudica muliere, quam sceleris sociam habuit, prouorare Petrum miraculis morte pueri homo nefarius ausus est: quem eius carmina primo mouere uisa sunt. Verum cum postea nihilominus puer iaceret, in nomine Iesu Petro iubente surrexit. Hanc ob rem indignatus Simon, uidente populo se uolaturum ex Capitolino monte in Auentinum pollicetur, si Petrus subsequi uellet, ea ratione dignosci posse, uter ipsorum sanctior haberetur, & Deo charior.

charior. Cum iam uolaret, rogatu Petri ad cœlũ manus tendentis ac rogantis Deum, ne deludi magicis artibus tantũ populum fineret, Simon decidit, ac crus infregit: cuius dolore nõ ita multo post Aritiæ mortuus est: Nam eò post tantam ignominiam delatus à suis fuerat. Hinc Simoniaci hæretici originem habent, qui donum spiritus sancti emere ac uendere consueuissent: quiq; affirmabant, creaturam non à Deo esse, sed ex superna quadã uirtute prouenire. Conuersus deinde ad propagandum uerbum Dei Petrus sermone & exemplo, rogatur à Romanis, ut Iohanni cognomento Marco, eius in baptismate filio conscribendi Euangelij negocium tradat. Probata nanq; erat eius uita, probati mores. Is enim (ut Hieronymus ait) in Israël sacerdotium agens secundum carnem Leuita, id est, additus uel appositus, ad Christi fidem conuersus, in Italia Euangelium scripsit, ostendens, quid generi suo deberet & Christo. Extant eius Euangelia testimonio Petri comprobata. Deinde uero in Ægyptum missus (ut ait Philo Iudæus scriptor egregius) ubi docendo & scribendo Alexandrinam ecclesiam optime constituisset, doctrina ac moribus insignis, octauo Neronis anno Alexandriæ moritur, & sepelitur, in locumq; demortui Anianus sufficitur. Anno uerò antè, morit̃ & Iacobus, cognomento Iustus, domini frater: Nam ex Ioseph & alia uxore natus erat: uel (ut alij uolunt) ex sorore Mariæ Christi matris. Hic enim (ut Egesippus ait, Apostolorum temporibus uicinus) in utero matris sanctus fuit, uinum & siceram non bibit, nil carnis degustauit unquam, intõsus, nec balneo, nec unguento usus est, uestibus lineis tantummodo indutus. Sanctasanctorum ingressus, ita assidue flexis genibus pro salute populi orabat, ut eius genua camelorum more occalluerint. Verum abeunte ex Iudæa Festo, ipsius prouinciæ gubernatore, priusquam ei Albinus succederet, pontifex Ananus Anani filius compellens publice Iacobum Christum dei filium negare, recusantem lapidibus obrui iussit: qui cum præceps de pinna templi deiectus esset, semiuiuus adhuc, & manus ad cœlum tendens pro persecutoribus oraret, fuste quo fullones utuntur, tandem necatur. Refert autem Iosephus, hunc tantæ sanctitatis fuisse, ut propter eius necem publice creditum sit, Hierosolymã esse subuersam. Hic est ille Iacobus, cui Dominus post resurrectionem apparuit, cuiq; panem benedicens ac frangens dixit: Mi frater, comede panem tuũ, quia filius hominis è morte resurrexit. Annis uero triginta Hierosolymitanæ ecclesię prefuit, id est, usq; ad septimum Neronis annum. Cuius sepulchrum iuxta templum unde deiectus fuerat cum titulo, Hadriani temporibus adhuc extabat. Mortuum quoq; Barnabam Cyprium, qui Ioseph Leuites cognominatus est, ante Petri martyrium constat. Hic enim cum Paulo gentium Apostolus electus, unam tantum Epistolam ad ecclesiam pertinentem, conscripsit: licet ea quoq; inter Apocryphas scripturas habeatur. Dissentiẽs item à Paulo,

 ob Marcũ

ob Marcum discipulum, in Cyprum proficiscitur Marco comite: ubi Christi fidem prædicans martyrio coronatur. Scripsit & Petrus duas Epistolas, quæ canonicæ nominantur. Secunda à plærisque eius esse negatur, quòd à stylo primæ dissideat. Verum quia pluribus intentus esse non poterat, cum orationi & prædicationi uacaret, duos Episcopos ordinauit, Linum scilicet & Cletum, qui sacerdotale ministerium Romano populo & aduenis bene sentientibus exhiberent. His rebus intentus uir sanctissimus, tantũ nominis sibi apud omnes comparauerat, ut iam ferè pro deo coleretur. Hanc ob rem indignatus Nero, mortem hominis quærere: unde Petrus monentibus amicis ad declinandam inuidiam & iram principis, uia Appia ab urbe discedens, ad primũ lapidem Christo (ut uerbis Egesippi utar) fit obuiam, quem quidem adorans rogat: Domine quo uadis? Tum Christus: Romam iterum crucifigi. Extat sacellum eo in loco ubi hæc uerba sunt habita. Tum Petrus de martyrio suspsius dictum existimans, quòd in se Christus passurus uideretur, ad urbem redijt: ac statim Clementem Episcopũ consecrat, eique cathedram & ecclesiam Dei commendat his uerbis: Eandem ego tibi potestatem ligandi & absoluendi trado, quam mihi Christus reliquit: spretis ac contemptis rebus omnibus, tum corporis, tum fortunę, oratione & prædicatione saluti hominum, ut bonum pastorem decet, consule. Cum hæc autem ita disposuisset, non multo pòst unà cum Paulo iussu Neronis necatur, ultimo eius anno, diuersis tamen cruciatibus. Petrus enim cruci affigitur capite in terram uerso, eleuatisque in sublime pedibus, ita enim uoluit, quòd diceret se indignũ esse, qui mortem Saluatoris imitaretur. Sepultus est autem in Vaticano uia Aurelia secus hortos Neronis, non longe à uia triumphali, quæ ad Apollinis templum ducit. Sedit autem annis xxv. Paulus uero eodem die capite mulctatus, funeratur uia Ostiensi, anno post mortem Christi trigesimoseptimo. Hoc idem approbat Caius historicus in Proculum quendam Cataphrygum disputans: Ego, inquit, trophæa Apostolorum habeo quæ ostendam: siue enim uia regali pergas, quæ ad Vaticanum ducit, siue Ostiensi, trophæa eorum inueuies, qui hanc stabiliuêre ecclesiam, duo certe fuêre, Petrus & Paulus. Præterea uero in eisdem Neronianis hortis multi cineres sanctorum martyrum reconditi sunt. Nam cum incendium tempore Neronis à cliuo Scauri ad Esquilias usque sex diebus uagatum, multas fortunas ciuium consupsisset, ac omnis culpa principi ascriberetur, ipse (ut ait Cornelius Tacitus) abolendo rumori intentus, falsos testes subornauit, qui id factum à Christianis causarentur. Vnde tot capti & interfecti sunt, ut ex eorum cadaueribus per aliquot noctes lumina continuata dicantur.

Passio

PASSIO SANCTORVM MARTYRVM Victoris & Coronæ.



IN illo tempore, cum persecutio Christianorum ab Antonino Imperatore mota fuisset, & Sebastianus dux iussa sui Imperatoris impleret: quidā miles de Cilicia Christianus erat timens deū, nomine Victor. Cui Sebastianus locutus est: Literę ab Imperatore manarūt, quibus iubetur, Christianos subijci tormentis: debes ergo sacrificare Victor, ne secundū Imperiale præceptum periculū uitæ subeas acerbitate pecuarū. Victor dixit: Ego sum miles magni Imperatoris Iesu Christi atq; æterni dei: ideo non obedio præcepto mortalis Imperatoris, cuius imperium fragile, finiendumq; est. Dei autem mei imperium neq; interire potest, neq; terminari, sed manet in æternum: & hi qui militant ei, merebuntur uitam æternam. Dux dixit: Nunquid tu unus non es ex eis, qui sub Imperio sunt? Audi ergo Imperatorum præcepta, & sacrifica. Victor dixit: Etiam cum humanam implerem militiam, & humana sustinerem munia, deum tamen occulte timebam: unde me nō potuit diabolus ex integro occupare. Corpus tantummodo in potestate tua est, animæ uero nocere non poteris, quia dei solius est, utraq; uel seruare, uel soluere, qui regnat in sæcula. Dux dixit: Video te in respōsione tua plurimū sapere. Victor dixit: Sapientia mea non est ex me, sed mihi eam deus meus largitus est. Dux dixit: Sacrifica. Victor dixit: Ego libenter ob hoc punior, imo & gaudeo, si dignus fuero testimonio Christi per tormēta præsentia præmia regni cœlestis adipisci. Dux ait: Lector es, an diaconus, q; ita disseris? Victor ad hęc: Non sum (inquit) dignus hac gratia: sed deus temen perduxit me ad hanc prædestinationem: ipse enim præstat rectis corde, & seruantibus mandata sua, sapientiam & participium diuitiarum suarum. Sicut enim agricola colit terram, & pręparat eam ad fructus faciendos, sic & dei sapientia sperantes in se animas excolit, & diuinis fructibus replet. Dux dixit: Ergo mortem eligis magis, q; uitam? Victor dixit: Hæc mors non est mors, sed uita, si sustinuero tormenta tua. Dux dixit: Hoc ergo elegisti? Victor ait: Hoc. Tunc dux iussit eum confringi, & comminui digitorū eius articulos, donec ossa de corio secernerentur. Victor dixit: Gratias ago deo meo, quia appropinquauit ad me gratia domini mei Iesu Christi. Dux dixit: Cur annonā tuam non consequeris? Victor respondit: Quia uiolenter & iniq; exigitur, ideo neq; consequi, neq; comedere eam delector. Habeo enim spiritualē annonam, ut non esuriam in ęternum. Post hæc iussit eum dux mitti in caminum ardentem, & post triduum inuenit eum incolumem: quia oratione ad deum fusa, ignis eum non tetigit. Tunc iussit ei dux uenena pręparari, atq; in carnem ea inijci, & offerri ei, ut māducaret. Cumq; oblata essent à nenenario, Victor di- D.Io.Cochl.

xit: Non quidem audebam carnem attingere, sed ut ostendam tibi, quia possum magicas omnes destruere artes, accipio de hac carne, & manduco. Et continuo oratione facta, manducauit, & nullius mali uim sensit. Venenarius autem acrius ei dedit, & dixit: Accipe nunc etiam, & si superaueris, relictis omnibus magicis artibus, credam deo tuo. Et cũ denuo comedisset, dixit magus: Vicisti: & corroboratus est, & ait: Saluasti animam meam, in profundum perditionis dimersam, ut ad uitam redeam. Sicut enim statua uetus rubigine tecta, atq; deformis, si cuius diligentia detersa fuerit, & solita ad splendorem pristinum renouatur: Sic & homo inueteratus in malicia, cõuertitur, & dei gratia sanatur. Statim ergo idem magus omnes codices suos incendit, & bonis suis renunciauit, docuitq; eum Victor fidẽ Domini nostri Iesu Christi. Quibus perfectis, dux dixit Victori: Sacrifica dijs, ut prudens appareas. Victor dixit: Semper ego prudẽs sum. Dux dixit: Stultus factus es. Victor dixit: Stulta sæculi elegit Deus, ut confundat sapientes. Dux dixit: Vbi hoc scriptum est? Victor respondit: In Apostolo Paulo. Dux dixit: Ergo deus est Paulus? Victor dixit: Non, sed dei Apostolus, & sapiens architectus, positus, supra fundamentum ædificare. Deniq; perimpleuit ędificium, accepta sapientia dei, et obtinuit plenitudinem scripturarũ, ostenditq; ita saluari cupientibus. Dux dixit: Comprime stultitiam tuam, & sacrifica, quia nõ proderunt tibi eius sermones. Victor respondit: Non sum stultus, sed sapientiam quæro. Stulti autem sunt, qui sacrificant idolis uanis, & deum ignorant, sicut pater eorum diabolus, qui ab initio ueritatem nescit. Illi mendaces sunt & corde hebetes, qui fidem in sensu nõ receperunt. Tunc iussit dux rumpi neruos eius de corpore, dixitq; Victor: Hæc omnia dolorẽ mihi non ꝓbuerunt. Sicut enĩ de rupta spina de pede extrahit secum omnem impatientiam & sensum doloris, & requiem tribuit homini, Ita & ego diruptis neruis requieui. Tunc iussit dux oleum plurimũ decoqui, & infundi ei per partes occultiores. Quo facto, Victor dixit: Sic mihi feruens oleum fuit, sicut aqua frigida æstate, quæ iter facienti porrigitur, ut lassum reficiat. Tunc dux iussit lampades ardentes suspenso applicari: sed nihil sensit ille confirmatus à Deo. Post hæc dixit dux: Sacrifica, quia usq; nunc aliquid tibi detuli. Victor dixit: Non tuam uolũtatem faciam, sed dei. Iterum iussit dux acetum & calcem gulæ eius infundi. Ad quem Victor, Acetum (ait) & calx sicut mellis fauus, sic mihi fuit pro fide domini mei Iesu Christi. Tunc iussit dux exoculari eum. Victor dixit: Etsi hanc corporis partem debilitaueris, mentis oculi plus uidebunt, Quia oculi corporis uanitatem mundi contuentur, Nam oculi cordis uerum lumen aspiciũt. Sebastianus dux dixit: Cogis me diuersas et graues tibi inferre pœnas. Victor dixit: Deo meo gratias ago q̃ subuenit seruo suo, fac q̃d tibi placet, noli tardare, q̃a paratus sum ad sustinendum: nec dominus deerit ad auxiliandũ. Tunc

iussit

iussit eum dux capite deorsum dimerso suspendi, donec de naribus eius sanguis exiret. Dimissus est ergo in illo suspendio tribus continuis diebus, sic tamen, ut eum carnifices obseruarent: qui eum mortuum putantes, accesserunt ad eum, & statim excęcati sunt. Dixit autem illis Victor: In nomine domini nostri Iesu Christi, propter quem suspensus sum, aperiantur oculi uestri: & continuo carnifices uiderunt, pertuleruntq; hæc ad ducem. Iratus aūt dux, iussit eum decoriari. Victor dixit: Etiam si corporis corium à carne sepaueris, tamen contra sensum nihil ualebis, nec me illo poteris denudare. Eodem tempore cuiusdā militis de castris uxor, nomine Corona, annorū circiter sedecim, exclamauit, dicens: Beatus es Victor, & beata opera tua: acceptabilis est immolatio tua, ut sacrificiū Abel iusti. Placuisti deo, sicut Abraham: obtulisti te, sicut Isaac: sustinuisti sicut Iacob: sapiens fuisti sicut Ioseph. Acceptum est sacrificiū tuum sicut Samuelis. Non tetigit te ignis, sicut nec tres pueros. Vidi em̄ duas coronas de coelo deferri, unam maiorem, & alteram minorem: Maior tibi imposita est ab angelis xij. minor mihi destinata est: quia licet sim uas infirmum, tamen reuerentiam gero nominis Christi, & hæres eius opto cum ipsius famulis inueniri. Cum hęc audisset Sebastianus dux, iussit eam sibi offerri, & dixit ei: Quæ es tu? Corona respōdit: Christiana sum. Dux dixit: Quot annorum es? Illa respondit, XV. & mensiū IX. Dux dixit: Quando nupsisti? Corona respondit: Ante annum, & menses IIII. Dux dixit: Quare tam cito quęris perdere speciem tuam? Corona respondit: Malo immundicias temporales & corporeas contemnere, ut possim obuiare uero sponso saluatori nostro, quem expectamus dominum nostrum Iesum Christum. Dux dixit: Sacrifica, ne nouis te cruciatibus consumam. Corona respondit: Ideo non sacrifico, ut accipiam dei coronam. Dux iratus iussit duas arbores inflecti, ita ut se utræq; contingerent, atq; ad singulas beatam Coronam religari, ac dimitti. Eis ergo ad situm suum redeuntibus, dirupta est Corona in duas partes, atq; ita consummato cursu bono & fideli testimonio, quieuit in pace. Victorem autem dux iussit Sebastianus decollari. Beatus Victor dixit, Gratias ago Domino meo, qui mihi donauit ingenuam libertatem. Cum autem staret, ut feriretur, dixit carnificibus: Post dies septem tortores morientur, & uos post dies XII. & post dies XXIIII. dux rapietur. Post annos uero tres uenièt nostri ad tollendum corpus meū. Habeo aūt sarcophagum & impendia sepulturæ, olim mihi pręparata. Ne ergo in alieno reponar exoro, nec ab alijs sepeliar, neq; quis prohibeat tolli corpus meū, ut ad sua redeat in pace. Percusso ergo eo, exiuit sanguis & lac, ut mirarentur omnes in his omnibus. Plurimi aūt applicati sunt fidei, ꝓpter mirabilia, quæ uiderant super euentum eorū, quæ pręddixerat: Omnia enim sicut dixerat, euenerunt. Atq; ex hoc plurimi crediderunt domino nostro Iesu Christo. Cui gloria in sęcula sęculorū, *Amen.*

PASSIO S. ALBANI MARTYRIS.

IGitur uir Dei Theonestus cum Albano suo alijsq; discipulis Roma ueniens, Moguntiam urbem regiam ingressus, inuenit eam uarijs erroribus obnoxiam, & hæreticæ prauitatis sordibus profanatam. Ipsa enim sicut ex diuersis partibus pro uarijs negocijs ad se confluentes cuiuslibet linguæ uel sectę excipiebat homines, ita multorum sectabatur errores: & cui erat potestas omnibus dominari, non spernebat omnium erroribus ancillari. Hac de re etiam sacerdotem suum sanctissimum sanè uirum aureum, quia errores eius increpando redarguebat, pontificali solio & mœnibus tunc temporis deturbauit. quem postea Hunorum gladius cum sorore eademq; sacra uirgine Iustina uictimatum Christo domino ad cœlos misit. Videntes aūt sancti uiri, urbē proprio pastore destitutam, occasionē prædicandi ex euentu nacti, cœperunt indigenis uerbū ueritatis Euangelizare, unitatem sanctæ Trinitatis contra Arrianos tam propheticis, q̃ euangelicis sermonibus astruere: scilicet filium patri esse consubstantialem, & coęternum, spiritum uero sanctum cum patre & filio idem esse & unum, quia unus est Deus uiuus & uerus pater & filius & spiritus sanctus. Arriani uero huic uerissimæ assertioni obnixè reclamantes, unanimiter obsistunt, & hęresiarchæ sui ueneno delibuti, sanæ doctrinæ sermonibus nullatenus adquiescunt. Videns autem Beatus Albanus uirum Dei Theonestum eorum argutijs & insultationibus uehemēter urgeri, & iam prope esse, ut illata sibi uiolentia debeat uinculatus teneri, ut erat uerbo promptus linguaq; expeditus, partes Magistri defendens, se medium interponit, & quid in hac, de qua agebatur, quæstione, ueritas habeat, aperte & diligēter exponit, ostendens gradus & distinctiones seu minorationes, quas Arrius in sanctam Trinitatem blasphemo ore confinxerat, penitus nihil esse, sed patrem & filium & spiritum sanctum coëssentialem & & coæternum, imò unum Deum ante omnia & per omnia sæcula sine fine regnare. Videntes ergo hæreticæ prauitatis alumni se Albani sermonibus in plebis audientia confundi, & inexpugnabilium luce rationum publice confutari, in ultionem suæ confusionis seditionem concitant in populo, clamantes: indignum facinus aduenas homines ignotos & idiotas eorū fidem & religionē impugnare, oportere disciplinam, ne quis de cætero talia præsumat, eorum sanciri sanguine, fore dignum, ut aut eorum assertus palmam dantes, se uinci patiantur, aut uindicibus flammis uiui tradantur, nouisq; & exquisitis pœnis in exemplum omnium rebellium puniantur. Hinc uulgari more strepentes, confusoq; fremitu & populari tumultu super eos irruentes, Albanū, qui eis uehementius cæteris insistebat, de medio fratrū abripiunt, trahunt, impingunt, cedunt, sine discretione super eum insaniunt, sine miseratione plagis uer-

gis uer

gis uerberibusq́ afficiunt. At ille qui iam quotidiano usu didicerat, labores & pericula pro Christo pati q̃ patienter, tam constanter omnia perferebat, & in omnibus gratias illi, pro quo hæc patiebatur, agebat: nec minus tamen Arrianæ bestiæ in insontem tormentis grassantur, & ut in eorum concedat sententiam omni pœnarum genere debachantur. Pauci uero qui sanioris erant sententiæ Christiana pietate ducti, quantum fas erat prohibebant talia fieri, uolentes ei carnali quadam miseratione suggere, ut sibi parceret, & aut eis consentiendo, aut ueritatem reticendo tempori cederet. Ad hæc Albanus ut columna immobilis in sancto firmiter herens proposito, negat se ad hoc posse cogi, nec contra Catholicam ueritatem aut tormentis concuti, aut blandimentis posse seduci. Arriani uero ut persentiunt inflexibilis constantiæ hominem irreuocabiliter in proposito perseuerare, iniurijs obprobrijsq́ exsaturatum extra ciuitatem eijciunt, & post uaria tormenrorum genera, capitali sententiæ addicunt. Erat uidere mirabile imò miserabile spectaculum, hominem innocentem sine causa damnari, uerum Christi testem perfidia præiudicante mactari. Ipse uero iuxta Apostolum stigmata Iesu in corpore suo portans, ac semet in Agoma positum in spiritu sancto confortans, tota ad cœlum mente suspensus mundũ animo negligebat. Ideoq́ & ipsa tormenta iam carne fatiscente deficiens, quasi non sentiebat, cupiens dissolui, & esse cum Christo. Confluit aũt ad spectaculum istud tota undiq́ uersum ciuitas mobile uulgus in uarias se scindit summas: Alij sacrilegum, alij clamant catholicum, hi dicunt sanctum uirum debere dimitti, illi impium turpissima morte damnari. Expectabatur iam iamq́ carnifex, qui deuota sanctæ huius uictimæ colla feriret, ac ceruicem iugo Christi assuetam stricto mucrone præcideret. Tandem Albanus genibus flexis, ore interim cernuus, corde in cœlum erectus, nudam spiculatori præbet ceruicem, pro tali patientia æternam recepturus mercedẽ. Ita uerus Christi Athleta & fortissimus fidei Agonitheta in stadio positus, & uerissimus Christi testis inuentus, bonum certamen certauit, cursum cõsummauit, fidem seruauit, de reliquo recepturus depositum, hoc est, coronam iustitiæ ab eo cui deposuit. Igitur deuota ceruix crudeli gladio trucidatur, sacrum gutturis organum, quod iugiter nomen aut laudem Christi personabat, impio ense præciditur, sanctissimum uiuæ hostiæ caput cruento mucrone rotatur. Sic sanctissima beati Albani anima carnis ergastulo fœliciter absoluta, sacri sanguinis imbræ purpurata, gloria martyrij coronata, angelico stipata comitatu ascendit ad regem suum, ut quẽ semper desiderauit, semper uideat, & cum eo regnans in æternum gaudeat. Dominus autem Iesus sedens ad dexteram paternæ maiestatis, & de excelso sancto suo prospiciens testem suum contra rebelles, fidei Agonizantẽ in terris, tali delectatur sacrificio, tali gloriatur holocausto, addens certanti uirtutem constantiæ, præbens bellanti

effectum

effectum uictoriæ, assumens triumphantem cum palma martyrij ad coronam gloriæ. Nec solum dominus sanctum suum cœlesti mercede remunerat, uerumetiã ad laudem sui nominis salutemq; mortaliũ, miraculis illustrat. Deniq; ut sanctissimum eius caput impio mucrone rotatum à ceruice reuulsum est, ipsum adhuc lingua in laudem Christi palpitante, adhibitis tollens manibus, firmo incessu ad locum usq; perrexit, ubi nunc placida & fœlici compositus pace quiescit. Ecce autem adest in huius glorificati hominis exequijs angelica cœlestiæ militiæ dignitas, diuinis laudibus prosequens non loculum funeris, sed triumphum martyris proprijs gressibus ad tumulum properãtis, eiq; cœlestes celebrant exequias ad laudem Redemptoris. Vere gloriosissimus inter martyres Martyr iste diuinus, cuius funus non fertur loculo, non eget baiulo, sed nobili & inusitato exequiarum genere caput in manibus portans, pedibus petit locum sepulchri, ipsa statione sua designans, ubi debeat sepeliri. Hæc uero licet dominus æternæ beatitudinis gremio confoueret, pia tamen sanctissimi corporis gleba debito negligentius & æquo incultius tunc temporis humata est. Id enim habebat articulus temporis catholicos nimium infestinantibus hæreticis. Post eam uero persequutionem, quam in ultionem huius sceleris et hæreticæ impietatis, sub Attila Hunorum rege cœlesti iudicio facta, supra retulimus, cum ecclesijs Christi reddita esset pax sanctorum precibus diuinæ animaduersionis iram propiciãtibus, sancti Albani tumba cœpit miraculis celebrari, & multo populorum conuentu frequentari: quia uidebant qualiter dominus sanctum suum mirificaret, & quomodo magnificentiam suam in eo exaltaret. Videbant enim eius inibi florere orationes, choruscare uirtutes, eiusq; meritis multa petentibus præstari beneficia, infirmantibus sanitatum dona, omnisq; qui ad eum de quacunq; tribulatione clamaturus ingrediebatur, protinus impetrata cõsolatione lætus regrediebat̃. Videbant ibi illuminari cæcos, insolitos gressus erigere claudos, omniumq; membrorum dolores & morborum languores in sanitatem pristinam reuocari. Inde Christiana religione ducti, prout tunc temporis erat copia, super sacrum cinerem paruæ molis ecclesiam fabricant, altare dedicant, eius se patrocinio commendantes, sanctiq; corporis loculum præ omnibus uenerantes. Aliquanto autem processu temporis euoluto, cum iam ciuitas ad integrũ esset renouata, & Christiana religio tam catholice quam canonice ad plenum redintegrata, uenerabilis Richolfus à præsulatu magni Bonifacij tertius, sanctæ Moguntinæ sedis archiepiscopus, sicut uidebat locum sancti Albani miraculis choruscare, ita hũc fabricis, alijsq; diuinis cultibus aggressus est honorare, fundans primo Basilicam tanto nomini condebitam. Cuius fabricæ modum & extructuram, quia promptum est oculis cernere, non est opus chartis intexere, estq; superfluum, ut literis uel lectione depingatur. Cuius facie

uel specie

uel specie omnis ingrediens delectatur. Super sacrū uero cinerem mausoleum erexit, quod auro ac gemmis, argento quoq;, ubi competebat, uestiens, diligenter undiq; contexit. Addidit præterea in cultū sanctuarij & in ministerium altaris uasa aurea & argentea, sacris ministerijs idonea, sacras quoq; uestes diuinis officijs, prout tempus dictat, competentes. Construxit etiam omnis regularis uitæ officinas, quas uoluit seruorum Dei inibi degentium ad perpetes martyris excubias esse receptacula, ut eius suffragantibus meritis ipsi eum in æterna recipiant tabernacula. Obtulit præterea sancto martyri sumptus deo famulantium prædia uillasq;, & ecclesiarum decimas, quas sancto altari rata astipulatione firmauit, scriptisq; testamentis perpetua stabilitate legauit. Idem aūt uenerabilis locus in tanta celebritate cepit haberi, ut non tantum eiusdem regiæ urbis Pontifices, uerumetiam regni primores cum defungerentur, non alibi se poscerent sepeliri. Siquidem in argumentum fidei intra & circa Ecclesiam quoquo uersum extant mausolæa singulorum nominū & obitus diē titulis designantia. Sed & potentissimus ille Carolus Magnus & orthodoxus Imperator cum Fastrada coniux eius apud Frankinfurt diem obisset, tam nobile funus ad monasterium sancti Albani præcepit deferri, & aquilonari uestibulo ante altare sanctæ Mariæ terram terrę præcepit mandari. Argumento est titulus monumenti eius in eiusdem uestibuli pariete intra fornicem descriptus, pro cuius animę remedio quædam sancto martyri contulit prædia, unde hodie & fratribus ministratur dieta. Iam nunc sufficiat de innumeris pro compendio pauca libasse. Si enim narrando singula percurram, paritura est prolixitas fastidij notam. Vere felix tali patrono Moguntia olim quidē peruicacia hæreticæ superstitionis ferrea, nunc uero obseruantia diuinæ religionis aurea: aurea inquam felix Moguntia, quę tanti martyris sanguine purpuratur, quæ tam pretiosi cineris techa consecratur, quæ uictoriosi huius agonistæ triumpho coronatur, in cuius ueneratione regina assurgit, Gallia nobilis adplaudit, Germania, imò tota congaudet Ecclesia. Quia ergo de perpetua huius preciosissimi martyris non dubitamus gloria, quam in cœlesti angelorum meruit curia, nos qui eius indigemus intercessione cœlestem eius natalem quia continuatim nequimus, uel annuatim celebremus, ut eius suffulti meritis ad eam pertingamus gloriam, quam ipse in conspectu regis sui, pro quo passus est, possidet, non annuam, sed continuā. Gloriosissimus igitur martyr Albanus pelliciam tunicā mortalitatis pro defensione ueritatis exuens, & mortalitatis materiæ tributū in Christi defensione persoluens, passus est undecimo Kl. Iulij, sub Iuniore Theodosio Augusto, ęternaliter regnante dn̄o nostro Iesu Christo in dextera paternæ maiestatis, qui cū eodē patre ingenito, & spiritu sancto ipse primogenitus & unigenitus unus & uiuus & uerus deus uiuit & regnat per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

S. PERPETVA ET FELICITAS.

Ex S. Augus. de tempore barbarico Cap. 5.



VIcerunt martyres mundum, inter quos martyres mares etiam fœminæ repertæ sunt fortiores. Ante paucos dies Natalicia celebrauimus martyrum Perpetuæ & Felicitatis, comitum. Et cum tot sint ibi uiri, quare istæ duæ præ omnibus & nominantur: nisi quæ infirmior sexus aut æquauit, aut superauit uirorum fortitudinem? Vna earum erat prægnans, alia lactans: Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tamdiu Perpetua lactauit, quādiu acciperet ab illo pastore simul & patre buccellā lactis: qua accepta, dulcedo Felicitatis Perpetuæ eam fecit contemnere filium, spernere patrem, nō inhærere mundo, perdere animam pro Christo. Felicitas uero, quæ sociam habebat Perpetuam, & parturiebat, & dolebat: obiecta bestijs gaudebat potius quàm timebat. Quæ uirtus in fœminis qualis est gratia: quę cū se infundit, nullum indignum iudicat sexum. Gratias gratiæ Dei reparauit enim sexum mulebrem. In opprobrium magnum mulier remanserat: quæ ab initio per mulierem unam Euam deiecit, sed Christus natus ex uirgine, multas fœminas exaltauit. Perpetua & Felicitas caput calcauerunt serpentis, quod Eua ad cor suum intus admisit. Istam deduxit falsa promittendo, illas non ualuit superare sæuiendo. Illam decepit in Paradisi felicitate: has non potuit adire nec substantiarum deposita potestate. Illius inter paradisi delitias ruinam: harum inter pœnas fortitudinis constantiam ipse quodammodo diabolus expauit. Meritò sic sunt exaltatę, meritò uiris uel coæquatæ, uel prolatæ. Quis enim in Christo Iesu non sit seruus, neque liber, non sit masculus, neque fœmina, sed omnes sint unum occurrentes in uirum perfectum: descendit tamen hoc donū ex magna gratia. Perpetua enim & Felicitas, nomina istarum sanctarum fœminarum, merces est sanctorum omnium martyrum.

De eadem Felicitate ex Gregorio Mag. in Euangelia, Homilia iij. fol. ccc. xj. super Euangel. Matth. xij. Ecce mater eius, &c. Ad quā rem nobis idoneè confirmandam adest beata Felicitas, cuius hodie Natalicia celebramus, quæ credendo extitit ancilla Christi, & prædicando facta est mater Christi.

GREGORIVS I.



GRegorius patria Romanus, patre Gordiano, uiro senatorio, uno omnium consensu, inuitus etiam, pontifex creatur, anno domini DC. ac XIX. Monachus nanque erat, ac Leuita. Is autem cum principis consensus requireretur (ut antea dixi) nuncios cum literis miserat, qui Mauritium obsecrarent, ne pateretur electionē cleri & populi Romani ea in re ualere. Interceptæ sunt literæ à pręfecto urbis, ac discerptæ, scriptæque aliæ, quibus rogabatur, ut quem populus ac clerus

ac clerus in pontificē legisset, eundem imperator confirmaret, quo nihil ei nunciari iucundius ac gratius potuit, cum secū familiariter, dum Constantinopoli erat Gregorius, uixisset, filiumq́ue eius è fonte baptismatis leuasset. Remittit itaq; Mauritius nuncios, ac quidem properè, qui Gregorium confirmarent, cogerentq́ue hominem sanctissimum, pontificatus gubernacula in tanta perturbatione rerū suscipere. Is itaq; non sibiipsi, sed utilitati hominum, ac honori diuino consulens, quem certè ob religionem & pietatem rebus omnibus semper antetulerat, spretis opibus, posthabitis uoluptatibus, atq; omni ambitione & potentia. Gubernacula reipublicæ Christianæ suscipiens, ita uixit, ut usq; ad tempora nostra neminem ex successoribus parem habuerit, nedum superiorem uel sanctitate uitæ, uel diligentia in rebus agendis, uel doctrina & scriptis. Nam & librū de sacramentis composuit, & Antiphonariū tam diurnū q; nocturnū, & cōmentarios in Ezechielē, in quadraginta Euangelia: in Iob quoq; (ut dixi) allegorice, ad mores & historiam respiciens, eleganter scripsit. Edidit & libros quatuor in dialogo, & librum, quē pastoralem appellauit, ad Iohannem Episcopum Rauennatem, de ratione gubernandæ Ecclesiæ. Instituit præterea, ne quid ornatus & concentus inter sacrificandum deesset, ut Antiphonæ canerentur: hęc uulgo introitus uocant. Eius quoq; inuentum est, ut nouies kirie eleyson caneretur, & alleluia, interpositis Septuagesimæ diebus usq; ad Pascha. Cantatur etiam post Euangelium, post cōmunionem suo mandato. Idem quoq; in Canonem redegit, Diesq́; nostros in tua pace disponas. Præterea uerò supplicationes maiores, quas Gręci letanias uocant, primus instituit. Stationum quoq; magnam partem, maxime autem quæ in basilica Petri habentur, die natali Iesu Christi, in Epiphania, in dominica passione, in albis Paschę, in ascensione, in Pentecoste, natalibus Apostolorum, in tertia dominica aduentus, in dedicatione eiusdem basilicæ, die festo sancti Andreæ, in cathedra Petri, dū maior letania fit in sabbato quatuor temporum. Quid plura de hoc sanctissimo uiro commemorem? cum omnis institutio ecclesiastici officij, ueteris præsertim, ab eo sit inuenta & approbata, quem quidem ordinē utinam sequeremur. Non abhorrerent hodie à lectione officij uiri docti, quemadmodum faciunt propter barbariem (nescio quam) illi latinitati & compositioni additam. Ne uerò ulla in re uir sanctissimus Ecclesię deesset, synodū habuit apud sanctum Petrum quatuor & uiginti Episcoporum, qua certe multa sustulit, quæ nocitura, multa etiam addidit, quę profutura fidei nostræ uidebantur. Misit et uiros optimos in Britanniam, Augustinum, Melitū, & Ioannem, cumq́; his monachos quosdam probatissimæ uitæ, quorū monitis & prædicationibus fidei nostræ dogma Angli tum primū integre receperunt. Rediere etiam Gotthi Gregorij opera ad unionē catholicæ fidei. Sunt præterea, qui scribant, Gregorium dialogum suum

 de mo-

de moribus ad Theudelindam Longobardorũ reginam misisse, cuius lectione praeferocem & indomitum uiri sui Antharis animum ad religionem & mitiorem cultum redigeret. Erat enim matrona insignis, & fidei Christianae studiosissima. Nam & basilicam beati Ioannis baptistae Modoëtiae aedificauit, quod oppidum decem millibus passuum a Mediolano distat: & eandem ecclesiam praedijs ac uasis aureis ornauit. Ferunt eo tempore, quo Hermichildus à patre Leuigildo Gotthorũ rege interfectus est, ꝙ fidem catholicam confiteretur, Iesu Christi tunicã, quae sorte uni militum obtigerat, inuentam esse apud urbem Zaphat in arca marmorea eo loci repositam, Thomae Hierosolymitani episcopi, & Ioannis Constantinopolitani, ac Gregorij Antiocheni tempore. Interea uero Mauritius superatis in Hetruria & Campania Hexarcho Romano duce, Longobardis in omnia uitia & omnem arrogantiam prolapsis, legem tulit, ut qui Romanę militiae ascriptus esset, nisi finita militia, aut mancus & debilis ex uulnere factus, deo militare non posset. Hanc ob rem motus Gregorius hominem admonet, ne eius religionem impugnet, cuius benignitate ex infima sorte hominum ad summũ gradum dignitatis peruenerat. Praeterea uero cum Ioannes Constantinopolitanus episcopus habita Graecorum synodo seipsum oecomenicum, id est uniuersalem patriarcham creasset, monuissetq́ Gregoriũ Mauritius, ut Ioanni obtemperaret, respondit homo constantis ingenij & fidei, potestatem ligandi & soluendi Petro traditam, eiusq́ successoribus, nõ episcopis Constantinopolitanis: proinde desineret iram dei in se cõcitare, dum seditiones studiose nimium in eius ecclesia serit. Nequaq̃ uero his malis contentus Mauritius, reuocatis militibus suis, qui in Italia erant, Longobardos adhortatᷣ, ut spretis foederibus iam ictis Romanos adorirentur: quare Agilulphus ex Cisalpina mouens uastatis longe ac late Hetruriae agris, quà iter faciebat, urbem Romam magnis illatis calamitatibus integrum annum obsedit, quo quidẽ tempore Seuerus Aquileiensis episcopus in haeresim ꝓlapsus est, quae multorum malorum seminarium fuit. Nam Seuero mortuo Aquileiensis ecclesia bifariam diuisa est, cum Agilulphus Longobardorum rex, Ioannem Aquileiensem, Gregorius Candianum Gradensem Foroiulianis episcopos pręfecissent. Agilulphus uero omissa spe potiundae urbis obsidionẽ soluens, Mediolanum redijt. At Mauritius non sponte, sed coacte poenitentia ductus, cum Gregorio mitius agere coepit, ꝙ intellexerat quendã monachi habitu indutum, strictum gladium in manu tenentem in foro Constantinopolitano clamasse, Imperatorem breui gladio moriturum: hoc idem eius somnium confirmauit, quo se uxorem ac liberos caedi uidebat. Interim uero milites stipendijs suis defraudati, Phocam centurionẽ imperatorem creant, & Mauritium obtruncant, undeuigesimo imperij sui anno. At Gregorius exornatis quibuscũq; rebus potuit basilicis Ro-
manis

manis, dedicataq; Gotthorum ecclesia, quæ in suburra est Agathę martyris nomine, Fl. Ricimerij uiri consularis opus (ut literæ missiuæ indicant) paternam domum in Cliuo Scauri positam non longe à circo maximo in monasterium redegit: quo in loco & hospites continuo accipiebat, & pauperes undiq; cõfluentes, cibo & potu in uita retinebat. Vir certe omni laude dignus, si uitam, si mores, si doctrinam, si solertiã in rebus tum diuinis tum humanis inspicis. Neq; est, cur patiamur Gregorium hac in re à quibusdam literarum ignaris potissimum carpi, q suo mandato ueterum ædificia sint dirupta, ne peregrini & aduenæ (ut ipsi fingunt) ad urbem religionis causa uenientes, posthabitis locis sacris, arcus triumphales & monumenta ueterum cum admiratione inspicerent. Absit hæc calumnia à tanto pontifice Romano, præsertim cui certè post deum patria quàm uita charior fuit. Multa profecto ex collapsis ædificijs exedit uetustas. Multa præterea demoliũtur homines ædificandi gratia, ut quotidie cernimus. Impacta illa foramina, quæ tum in concauo fornicum, tum in coniuncturis marmorum quadratorum'ue lapidum uidentur, non minus à Romanis, q̃ à barbaris auellendi æris causa crediderim. In fornicibus enim, quo leuior esset moles, ollás cum numismatibus collocabant. Lapides uero quadratos æneis clauis firmabant. Factum id quoq; à Romanis dixi, si Epirotæ, Dalmatæ, Pannonij, & fex totius orbis terrarum huc missa Romani appellari possunt. Gregorius autem confirmata omni ratione ecclesia dei anno xiij. mense vj. die x. pontificatus sui moritur: Phocæ uero imperatoris anno secundo: sepeliturq; collachrymantibus omnibus in basilica Petri ante secretarium, quarto Idus Martij.

S. BENEDICTVS CONFESSOR Domini.

Benedictus ex Nursia ciuitate claris parentibus ortus, & Romæ liberalibus disciplinis eruditus, ab ipsa infantia Christum egregia pietate coluit, & miraculis claruit. Quod ut faceret expeditius, in solitudinem & specum quandam profundam, ad locum qui dicitur Sublacus, secessit: Vbi triennio latuit cunctis hominibus incognitus, præter Romanum monachum, qui ei necessaria subministrabat. In qua solitudine, quum die quodam diabolica tentatione, ardore libidinis ureretur, se in spinis & uepribus nudum uolutauit, donec laceratus & cruentus tentationem superaret. Deinde uocatus à quibusdam monachis, ut ipsorum monasterio præesset: quidam ipsorum dissoluti quũ pauló sæuerius ab eo tractarent, ipsum uenenato uino necare constituerunt. Quod quũ ei in poculo uitreo porrigerẽt, ille rem diuinitus cognoscens, solo signo Crucis manufacto, uas intactum mirabiliter confregit: Et dimisso monasterio, ad solitudinem remeauit. Quo quum

Ex Rhoquignonio.

f iij multi

multi discipuli côuenissent, duodecim monasteria construxit, quæ optimis institutis, exemplo sanctitatis, multis etiam sequentibus signis fundauit, monachorumq; Regulam prudentissime ac luculenter scripsit. Hæc ille. Porrò, si cui libet plura de S. Benedicto, Euangelico uiro, nosse, is legat D. Gregorij dialogorum lib. ij. à principio. Is author Scholasticæ quoq; sororis Benedicti historiam attingit.

HYMNVS AD DIVVM BENEDICTVM.

HVc ades ô Benedicte, meos neu despice cantus,
Huc ades Orphea diue canende lyra.
Vre puer costum Assyrium redolentibus aris,
Vre & odoratis plurima thura focis.
Digne senex populi precibus, uotisq; potentûm
Digne senex, aræ cui sacra mille parent.
Mille canant, pater euge pater Benedicte, tibi omnis
Turba, chorusq; omnis cantitet, euge pater.
Hic uel mille aras tibi maxime Christe dicauit,
Mille arces, mille & mœnia, mille tholos.
Primus & hic Italæ posuit sacraria genti,
Et clausit sacros mœnia in una choros.
Huic & sæuities concessit barbara, & hostis
Armatus miti uictus ab ore uiri est.
Totq; uirûm ductor, & tantis inclytus actis
Prostratus geminos corruit ante pedes.
Quid maius radians uidit sol? & tibi plausit
Christus, & è cœlo nuncia signa dedit.
Instaura iam thura puer, cane sancte sacerdos:
Ingeminent laudes tympana pulsa nouas.

ADNVNCIATIO ANGELICA.



:Olympo
Labitur, & ueniens fulgentes explicat alas
Nuncius, & celeri penetrat secreta uolatu
Limina. ad ingressum subitæ perterrita lucis
Extulit attonito titubantia lumina uultu:
Et formam mirata uiri tabescere castum
Pectus, & insidias metuens pallescere cœpit
Aliger arguta reserans noua nuncia uoce:
Pone metus, inquit, Superis gratissima uirgo,
Lætus ab ætherea uenio tibi nuncius arce
Æterni iucunda ferens mandata Tonantis.
Conceptura nouos ullo sine semine fœtus,

Et

Et prolem paritura Dei, materq; futura es
Stirpis Olympiacæ tactus non passa uiriles,
Et Deus ipse tuam ueniens labetur in aluum
Gressibus occultis, tuaq; intra uiscera corpus
Ipse sibi formans post nonæ tempora Phœbes
Exijt humanæ uelatus imagine formæ
Arma ferens pacis uenit, atq; salutifer orbi.
Propterea sanctam dabis attestata salutem
Nomina, in immensum crescet, ueturaq; magno
Sæcula consensu templis congesta superbis
Dona ferent illi, rutilo qua surgit ab ortu
Lucifer, hesperias & qua declinat in undas,
Qua micat Arctophylax, latum qua sustinet orbem
Axis inocciduus, resonans qua nascitur Auster.
Imperio premet omne genus telluris & undæ,
Possessurus opes cœliq; habiturus honorem
Perpetuum, & mundum æquatis recturus habenis.
Sed neq; fulgentes auro radiante coronas,
Nec Tyrios regum feret ornamenta colores.
Non illi sublime domus dabit ardua culmen,
Marmora nec tollet subeuntibus alta columnis
Viuenti, non Martis opus, non ærea tela
Tractabit, rigido non oppida milite cinget,
Non ruet aërias arces, non æquora grandi
Classe premet, non hinnitus laudabit equorum,
Nec quæ bella mouent horrenti classica cantu,
Ferrea nec mittet captos in uincula reges
Nec populo illustres ducet spectante triumphos.
Scilicet hæc homines curant, nos alta tenentes
Qui regimus totum damus hæc non quærimus orbem.
Non illi humana bellum est cum gente, superbum
Spirituum genus atq; procax, atroxq; quod ausu
Diuinum ingenti iam uulgo usurpat honorem
Impetit, huc belli uires, huc dirigit omne
Robur, & hæc agitur non ferro pugna, sed astu
Quid fieri maius poterit, quàm trudere diuos
Sedibus antiquis & auito pellere regno?
Sed grauis humanas premit ignorantia mentes:
Nam quod promittunt uenturo oraculo Christo
Imperium mortale putant, uatemq; futurum
Terrena tantum ducunt à stirpe, Deumq;
Esse negant.

Fœlices

Fœlices annos,& quæ tua protulit ætas
Aurea non Cæsar renouauit sæcula, uerum
Tuq́ puerq́ tuus: nam primi dulcia mundi
Tempora conuerso cœperunt currere gressu.
Læta quies oritur, niueis pax aurea pennis
Descensuram.

Nuncius hæc. humilis firmato pectore uirgo
Imperio dixit magni parere Tonantis
Cogimur, & miti curuans caput annuit ore
Candida uirginitas, simplex prudentia, uelox
Et matura fides, humilisq́ modestia totos
Lætitia impleuit cœlos & sydera cantu.
Tum diuina grauem subitis conceptibus aluum
Extulit, atq́ sinus soboles extendit onustos.
Sicut in adductos penetrat cum lubrica folles
Aura, cauernosum surgens tumor exit in orbem.
Mirata est creuisse uterum natura, suumq́
Esse negauit opus trepidas ut uirginis aures
Aliger afflauit cœlesti nuncius ore.
Diuulgata polo res est, mysteria norunt
Ætherij ciues, Mariæ tunc æthere toto
Nomen honoratum, cœli cantata Theatris
Virginitas fœcunda fuit nondum agnita nigris
Manibus, infernoue Ioui, sub hypostasin unam
Naturæ coire duæ.
Temporeq́ ex illo semper toto æthere uirgo est
Angelicis prælata choris, & dignior omni
Agmine spirituum rutilo.

AD ANGELISMON SEV ANNVNCIATIONEM *purißimæ Dei genitricis Mariæ.*



Angelus præantistes è cœlo missus est dicere Dei genitrici: Aue, & cum incorporea uoce, corporeũ factum te aspiciens domine, obstupuit, & stetit clamans ad eam hæc: Aue, per quam lætitia effulget. Aue, per quam nocumentum deficiet. Aue, Adam cadentis reuocatio. Aue, lachrymarum Euæ redemptio. Aue, altitudo difficile accessibilis humanis intellectibus. Aue, profunditas difficultis contemplabilis & angelorum oculis. Aue, quoniam es regis cathedra. Aue, quoniam portas portantem omnia. Aue, stella manifestans solem. Aue, uenter diuinæ incarnationis. Aue, per quam renouatur creatio. Aue, per quam infans efficitur conditor. Aue, sponsa innupta. Aspiciens sancta seipsam in castimonia, inquit Gabriel audacter: Admirabile uocis tuæ, difficile percepta meæ animæ uidetur, inseminatæ enim

tæ enim conceptionis fœturã quo pacto dicis,clamans alleluia. Cognitionem incognitam cognoscere uirgo quærens clamauit:administrantẽ ex lumbis castis,filium,quo pacto est nasci possibile? dic mihi. Ad quam ille dixit in timore nisi clamans ita: Aue, consilij arcani sacerdos. Aue, silentij indigentium fides. Aue,miraculorum Christi procemium. Aue, dogmatum ipsius caput. Aue,scala cœlestis,per quam descendit Deus. Aue,pons traducens terrestres ad cœlum. Aue,angelorũ diuulgatum miraculum. Aue,dæmonum diuulgatum uulnus. Aue,lumen ineffabiliter generans. Aue, quo pacto nullum docens. Aue, supergradiens cognitionem. Aue, fidelium illustrans mentes. Aue, sponsa innupta. Potestas altissimi obumbrauit tunc ad conceptionem nuptiarum experti,atq; fructiferum huius uentrem,ut agrum ostendit suauem omnibus uolentibus metere salutem in psallendo sic: Alleluia. Habens Dei plenum uirgo uentrem, currit ad Helisabet. Infans autem illius statim agnoscens huius salutationem,gauisus est, & saltibus ut cantibus clamabat ad Dei genitricem: Aue, germinis marcescibilis palmes. Aue,fructus incorrupti possessio. Aue,agricolam agricolata humanum. Aue, plantatorẽ uitæ nostræ producens. Aue,aruum germinans fertilitatem misericordiarum. Aue,mensa ferens abundantia propitiationum. Aue, quoniã paratum deliciarũ reuirescere facis. Aue,qm̃ portum animarũ paras. Aue,acceptũ legationis incensum. Aue,totius mundi propitiatio. Aue Dei ad mortales bona uoluntas. Aue mortaliũ ad Deum fiducia. Aue sponsa innupta. Fluctuationẽ intus habens rationum ambiguarũ castus Ioseph perturbatus est ad innuptã te aspiciens,et cælantẽ nuptias suspicans irreprehensa, discens autẽ tuam conceptionem ex spiritu sancto, dixit alleluia. Audierunt pastores angelos cantantes, corpoream Christi præsentiam, & currentes ut ad pastorem, aspiciunt hunc, ut agnum immaculatum in uentre Mariæ pastum, quam laudantes dixerunt: Aue, agni & pastoris mater. Aue, caula rationalium pecudum. Aue inuisibilium ferarum telum. Aue, paradisi ianuarum apertorium. Aue,quoniam cœlestia congaudent terræ. Aue,quoniam terrestria coexultant cœlis. Aue, Apostolorum non silens os. Aue,certantium inuicta fiducia. Aue,firmum fidei firmamentum. Aue, splendida gratiæ cognitio. Aue,per quam spoliatus est infernus. Aue, per quam induti sumus gloriam. Aue, sponsa innupta. Ad Deum currentẽ stellam uidentes Magi, huius secuti sunt splendorem, & ut lucernam tenentes ipsam,uestigauerunt fortem regem,& præuenientes lætati sunt clamantes alleluia. Viderunt filij Chaldæorum in manibus uirginis qui fecerat manu homines, & dominum cognoscentes ipsum, & si serui sumpsit formam, festinarunt donis uenerari, & clamare benedictæ. Aue, astri inoccidini mater. Aue,lux mysticæ diei. Aue,deceptionis fornacem extinguens. Aue,trinitatis sacerdotes illuminans. Aue, tyrannum inhu-

manum expellens è principatu. Aue, dominum humanum ostendens Christum. Aue, à barbara redimens cultura. Aue, à cœno liberans operum. Aue, ignis adorationem quiescens. Aue, à flamma affectuum absoluens. Aue, fidelium dux castitas. Aue, omnium generationum lætitia. Aue, sponsa innupta. Nuncij à Deo ducti facti sunt Magi, conuersi sunt in Babylonem cum perfecissent tuum oraculum, & nunciassent te Christum omnibus, & derelinquissent Herodem illusum nescientem cantare alleluia. Cum illustrasses in Ægypto illuminationem ueritatis expulisti mendacij tenebras. Nam idola huius saluator non ferentia tuam fortitudinem, ceciderunt. Ex his autem liberati nunc clamant ad Deiperam: Aue, correctio hominum. Aue, depressio dęmonum. Aue, deceptionis robur conculcans. Aue, idolorum dolum arguens. Aue, mare summergens Pharaonem stolidum. Aue, petra potum præbens sitientibus uitã. Aue, ignea columna ducẽs eos qui in tenebris sunt. Aue tegmen mundi latius nebula. Aue, cibæ mannæ susceptiuę. Aue, deliciarum sanctarum ministra. Aue, terra annunciaonis. Aue, aqua fluit mel & lac. Aue, sponsa innupta. Migraturo Simeone à præsenti sæculo deceptore, traditus es quasi infans ei, sed cognitus fuisti ei Deus perfectus. Ideo obstupuit tuam ineffabilem sapientiam clamans: Alleluia. Nouam ædificationem demonstrans conditor nobis ab eo factis ex insemine germinans uentre, & seruans ipsam, ut erat, incorruptam, ut miraculum uidentes, laudemus ipsam clamãtes: Aue, flos incorruptionis. Aue corona continentiæ. Aue resurrectionis formam illustrans. Aue, angelorum uitam demonstrans. Aue arbor splendidi fructus, ex quo nutriuntur fideles. Aue lingnum bonæ umbræ foliorum, sub quo teguntur multi. Aue, quę peperisti ducem errantibus. Aue, quæ genuisti redemptorem captiuis. Aue iudicis iusti placatio. Aue multorum errantium uenia. Aue dilectio omne desyderium uincens. Aue sponsa innupta. Admirabilem partum intuiti peregre eamus à mundo, mente in cœlum transposita. Propterea igitur excelsus in terra apparuit humilis homo uolens trahere ad celsitudinem sibi clamantes alleluia. Totus erat in inferioribus, & à superioribus non penitus aberat, inconscriptibile uerbum. Descensus enim diuinus non transmutatio autem localis facta est. Et partus ex uirgine deicipia audiente hæc: Aue Dei incomprehensibilis regio. Aue uenerandi mysterij ianua: Aue infidelium ambigua auditio. Aue fidelium certa locutio. Aue currus sanctissimum eius, qui supra Cherubin. Aue habitatio optima eius, qui supra Seraphim. Aue, quę contraria in idem adduxisti. Aue uirginitatem, & phœturam iugans. Aue, per quam soluta est transgressio. Aue per quam apertus est paradisus. Aue clauis Christi regni. Aue spes bonorum sæculorum. Aue sponsa innupta. Omnis natura angelorum obstupuit ob magnum incarnationis opus: Inaccessabilem enim ut Deum speculabatur

batur omnibus accessibilem hominem nobiscum quidẽ conuersantem, audientem autem ab omnibus alleluia. Oratores sonoros ut pisces mutos uidemus in te deipera. Dubitant enim dicere, quonam modo & uirgo manes, & parere potuisti. Nos autem mysterium admirantes, fideliter clamamus: Aue sapientiæ Dei receptaculum: Aue prouidentiæ ipsius ærarium. Aue sapientes insipientes ostendens. Aue arte loquentes indisertos redarguens. Aue, quoniam insaniuerunt graues indagatores. Aue, quoniam aruerunt fabularum poëtæ. Aue Atheniensium nodos abrumpens. Aue piscatorum sagenas implens. Aue profundi ignorantiam extrahens. Aue multos in cognitione ditescens. Aue ratis uiolentium saluari. Aue portus uitæ nautarum. Aue sponsa innupta. Saluare uolens mundum cunctorum ornator, in hunc ipse nuncius uenit, & pastor existens, ut Deus per nos apparuit secundum nos homo. Simili enim simile cum accersiuisset, audit ut Deus, alleluia. Murus uirginum ô deipara uirgo, & omnium in te confidentium. Nam cœli & terræ præparauit te ô immaculata, cum habitasset in mitra tua, & omnes acclamare docuisset: Aue columna uirginitatis. Aue ianua salutis. Aue princeps intelligibilis reformationis. Aue datrix diuinæ bonitatis. Aue, tu enim regenuisti conceptos turpiter. Aue, tu enim admonuisti captos mente. Aue, correptorem mentium arctans. Aue, satorem puritatis enixa. Aue thalamus sponsalitij. Aue fideles domino aptans. Aue pulchra puellarum nutrix uirgo. Aue animarum sponsa ornatrix sanctarum. Aue sponsa innupta. Laus omnis minuitur extendi festinans multitudine multarum miserationum tuarum æque numerabiles psalmos, & cantus afferentes tibi rex sancte nihil perfecimus dignũ eorum quæ dedisti ad te clamantibus alleluia. Luminis acceptricem lampadem ijs qui in tenebris apparentem uidimus sanctam uirginem: nam immateriale accedens lumen, ducit ad cognitionem diuinam omnes splendore mentem illuminans, clamore autem honorans hæc. Aue radie intelligibilis solis. Aue facula inoccidui luminis: Aue fulgur animas illustrans. Aue, ut tonitru inimicos perterrefaciens. Aue, quoniam à te multiflua oritur illuminatio. Aue, quoniam multi numeris per te scaturit fluuius. Aue lauacri figurans formam. Aue poculum miscens exultationem. Aue odor Christi beneuolentiæ. Aue uita figuratum conuiuium. Aue sponsa innupta. Gratiam præbere uolens debitorum antiquorum omnium debiti solutor hominum. Venit per seipsum ad profugos suæ ipsius gratiæ, & scisso chirographo, audit ab omnibus alleluia. Canentes tuum partum laudamus te omnes ut animatum templum deipera. In tuo enim habitans uentre tenens omnia manu dominus sãctificauit, glorificauit, edocuit clamare tibi omnes: Aue tentoriũ Dei & Verbi. Aue sancta sanctis maior. Aue scriniũ deauratũ spiritu. Aue depositum uitæ inexpensum. Aue preciosa corona regum piorũ.

Aue honoranda sacerdotum piorum: Aue ecclesiæ immota turris. Aue regni infracta mœnia. Aue per quam excitatur trophęa. Aue per quam inimici decidunt. Aue corporis mei medicina. Aue animæ meæ salus. Aue sponsa innupta. O perlaudanda mater, quæ peperisti sanctorum sanctissimum uerbum, accipiens nūc oblationem, ab omni libera calamitate omnes, & à futura redime animaduersione clamantes alleluia.

MARIA ÆGYPTIACA.

Ex Paulo Diacono.

FVit quidam senex in Palestinæ monasterijs, uir uitæ uenerabilis, & uerbo decoratus, qui ex ipsis cunabulis monachicis nutritus est moribus, Zozimas nomine. Nullus enim existimet cognominatione nominis Zozimæ illum me dicere Zozimam, cui inter dogmaticos detrahebatur, ut putetur hęreticus. Nam hic alius atq; ille alius: multa enim inter utrosq; fuit differentia: hic orthodoxus monachicam elegit uitam in quibusdam (ut dictum est) Palestinę monasterijs, totam percurrens patrum conuersationem, omniq; orbi in abstinentia repertus est præcipuus: simulq; regulas sibi traditas iuxta eorū certamina, infans dum esset, conseruauit. Plura enim adinuenit de sua propria natura, qualiter subditam spiritui carnem faceret. Nam ita fertur certaminibus ijsdem senex ignitus, ut pleriq; multotiens in propinquis monasterijs aliquando & in longinquis degentes, ad eius currerent doctrinam, eiusq; imitarentur abstinentiam, & eo informari atq; erudiri festinarent. Talis enim fuit seni uirtutis operatio, quę meditationem aliquando sacri uerbi nunq; negligeret. Reficiendo autem uel à refectione surgendo opus ab eius manibus non desijt. Dicebat ergo hic Zozimas, ꝙ ex ipsis matris finibus in eodē traditus monasterio, quinquaginta ibidem degisset annos, monachicum cursum perficiens. Post hæc, ut ipse retulit, molestabatur à quibusdā cogitationibus dicens intra se: Perfectus sum in omnibus, aliena doctrina minus egeo, putasne inuenitur quisquam inter monachos, qui bonū mihi tradere aut ędificare possit, quod nescio? aut quam ego operatus non sum monachicā operam? Nec inueniri potest in deserto uir philosophus, qui me sensu uel opere præcellat. Hæc secum cogitans, pater quidam astitit ei, & dicit ad eum: Bene quidē in omnibus certasti, optimi monachi cum cursum perfecisti: uerūtamen tu cum nullum hominem putas esse perfectiorē, iam sunt & aliæ salutis uiæ, quas si uis apprehendere, egredere de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui, ut Abrahā ille in patriarchis opinatissimus, & sequere me in quoddam monasterium, iuxta Iordanē fluuium positum. E' uestigio senex sequens præcipientem, egressus est monasterium, in quo pusillus creuerat. Cumq; peruenisset ad Iordanem sacratissimum flumē, ductus uoce clamantis in illud monasteriū, in quod

deus

deus iusserat eum uenire, manu atrij regiam pulsauit. Mox ut locutus est, quidam monachus regiam custodiens, nunciauit eum abbati, qui su sceptus est ab eo, &c.

Tunc ergo Zozimas iuxta consuetam regulam monasterij, pertransiuit Iordanem, paruumq́ secum detulit cibum ad sustentationem corporis, & pannum, quo induebatur: equidem regulam adimplebat pertranseundo heremum, tempore uero refectionis edebat cibum necessarium pro natura corporis. Soporē uero in terra paruū iacens capiebat, modicū gustando somnū, ubi eum finis diei occupasset, atq; iterū diluculo iter suum faciebat, incessabiliter augmentando cursum, habens desiderium pertransire heremum, sperans aliquem reperire patrē in deserto qui eum potuisset ædificare iuxta eius desiderium. Currebat igitur securus optimam uiam, ut ei permissum fuerat, festinanterq́ currebat. Viginti ergo dierum pergens iter, facta hora quasi sexta, paululum se abstinuit ab itineris labore: eleuatisq́ oculis ad orientem, consuetam sibi celebrabat orationem. Solitus autem erat statuto diei tempore, id est, tertia, sexta & nona abstinere se à sui itineris cursu orationis causa, eleuansq́ oculos ad superna, & respiciens ad dexteram, uidit in quodam loco stare quasi umbraculum humani corporis. Stupefactus ac turbatus ualde, existimabat fantasma esse, quod uidebat, & signaculum sibi redemptionis sanctæ crucis faciens, ac completa oratione, uidit quandam ambulantem in parte meridiana, nudo nigroq́ corpore ex incendio solis exustam, capilli capitis eius ut lana Candana, atq; parui usq; ad collum corporis descendentes. Dum hoc uideret Zozimas, admiratus repletusq́ gaudio magno, cœpit currere ad eandem partem, in qua prædicta uidebatur. Nam & illa quum Zozimā uidebat, ineffabili exultabat lætitia: quoniam uidebat, quod multorum annorum spacio minime respexerat, humanæ naturæ speciem, neq; alicuius animalis uel uolucris figurā. Miratur ergo Zozimas, qui uel qualis esset, quam uiderat, existimans, q magnam uidisset personam. Dum enim illa uiderat de longe ad se appropinquantem, cepit gradu concito fugere ad interiora deserti: Zozimas autem contemnens senectutis debilitatem fastidiumq́ itineris, concito eam gradu sequebatur, & illa magis fugam petebat. Erat aūt Zozimę cursus uelocior, & paulatim appropinquabat fugienti. Proximus aūt ei factus, ita ut etiam uox eius posset audiri, cepit Zozimas uociferare, talem emittens uocem cum lachrymis: Vt quid me fugis hominem senem & peccatorem serue dei uiui? Sustine me quicunq; sis: coniuro te per deum, pro cuius amore hunc habitas heremum, ut recipias me debilem atq; indignum senem. Coniuro te per illum, ad quē pro tantis tuis laboribus spem habes bonam & æternam tribulationem, colloquere mecum dulcedinis ac suauitatis uerba, & noli me derelinquere sine mutua locutione, &c. ¶ Reliqua requirat lector in uitis patrum.

HYMNVS DE S. QVIRINO MARTYRE.

Ex Prudētio

INsignem meritis uirum
Quirinum placitum deo
Vrbis mœnia Sisciæ
Concessum sibi martyrem
Complexu patrio fouent.
Hic sub Galerio duce,
Qui tunc Illyricos sinus
Vrgebat ditionibus,
Fertur Catholicam fidem
Inlustrasse per exitum.
Non illum gladij rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant,
Sed lymphis fluuialibus
Gurges dum rapit, abluit.
Nil refert uitreo æquore,
An de flumine sanguinis
Tingat passio martyrem,
Æque gloria prouenit
Fluctu quolibet uuida.
Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis Episcopus
In præceps fluuio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Deiectum placidissimo
Amnis uertice suscipit,
Nec mergi patitur sibi,
Miris uasta natalibus.
Saxi pondera sustinens.
Spectant eminus è solo
Doctorem pauidi greges,
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina
Stipato agmine sepserat.
Sed Quirinus ut eminens
Os circumtulit, heu suos
Exemplo trepidos uidet,
Nil ipse proprij memor
Inter stagna pericli.
Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Neu constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga uehunt uadis,
Nec substrata profunditas,
Saxoq́ꝫ, & laqueo & uiro
Audet sponte dehiscere.
Sensit martyr Episcopus
Iam partam sibi præripi
Palmam mortis, & exitus,
Ascensumq́ꝫ negarier
Æterni ad solium patris.
Iesu cunctipotens, ait,
Haud quaquam tibi gloria
Hæc est insolita, aut noua,
Calcare fremitum maris,
Prona & flumina sistere.
Scimus discipulum Petrum
Quum uestigia tingeret
Mortali trepidus pede,
Dextræ subsidio tuæ
Subiecisse salum solo.
Iordanem quoq; nouimus
Tortis uorticibus, uagum,
Dum fertur rapido impetu,
Ad fontem refluis retro
Confugisse meatibus.
Hæc miracula sunt tuæ
Virtutis domine, ut modo
Suspendar leue prænatans
Summo gurgite fluminis,
Cum collo scopulum traham.
Iam plenus titulus tui est,
Et uis prodita nominis,
Qua gentilis hebet stupor,
Absoluas precor optime
Huius nunc animæ moras.

Quid

Quid possis, probat amicus,
Qui uectat silicem liquor.
Hoc iam quod superest cedo,
Quo nil est pretiosius
Pro te Christe deus mori.

Orantem simul halitus,
Et uox deserit, & calor,
Scandit spiritus ardua.
Fit pondus graue saxeum
Corpus suscipiunt aquæ.

DIE PALMARVM.

VTq; caduca uagi contemnens culmina sæcli
Monstraret se rite deum, non curribus altis,
Qui pompæ est mortalis honor, rapidisq; quadrigis
Puluereum sulcauit iter, nec terga frementis
Ardua pressit equi, phaleris qui pictus & ostro
Ore cruentatum mandenti concutit aurum.
Sed lento potius gestamine uilis aselli
Rectori suffecit honos, leuis ungula cuius,
Vt tanto sessore decus mirabile portans,
Nobilior sub fasce foret, non illius impar,
Qui patulo Christum licet in præsepe iacentem
Agnouit tamen esse deum. Plebs omnis adorans
Insolito molles subiecit tramite uestes.
Dicite gentiles populi, cui gloria regi
Talis in orbe fuit? cui palmis compta uel unquam
Frondibus arboreis laudem cœlestibus hymnis
Obuia turba dedit domino? nisi cum patre Christo
Qui regit æthereum princeps in principe regnum?

DIVI AVGVSTINI CONCIO de festo Palmarum.

ADmonet uos fratres charissimi ad solennitatem Dominicæ passionis, ipse in quo eam nec muta elementa tacuerunt. Celebret eam lux fidei linguis hominũ, quam cõclamauerunt etiã silentia tenebrarum. Hodie dominus noster in statera crucis pretiũ nostræ salutis appendit, & una morte uniuersum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absoluit. Indubitanter enim credamus, q; totum mundum redemit: qui plus dedit, q; totus mundus ualeret. Meritum enim redemptæ mercedis dignitas insignis pretij supragressa est. Inter redemptum & redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata propria, digne deleuit aliena. Solus hic pia uictima pro omnibus cecidit, ut omnes leuaret. Et quia debitum solus non habuit, recte fœnus misericordiæ pro debitoribus erogauit.

Perpende

Perpende inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem à nobis sit exacturus usuram. In hac itaque die fides prophetissæ annunciationis impleta est, ita dicentis: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus: faciem meam non auerti à fœditate sputorum. Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam. Agnosce homo quantum ualeas, & quantum debeas: & dum tantã redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicies peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur: pro stulto sapiẽtia illuditur, pro mendace ueritas necatur. Damnatur iustitia pro iniquo: misericordia afficitur pro crudeli. Pro misero repletur sinceritas aceto: inebriatur felle dulcedo: addicitur innocentia pro reo: moritur uita pro mortuo. Expauit scelus hominum natura rerum: & quę creatura rebellis non agnoscit, eum mundi dominum tremens terra testatur, & cœli regem Sol fugiens cõfitetur. Chlamyde coccinea induitur, quia sanguine martyrum suorum Ecclesiæ corpus ornatur. Corona spinea capiti eius imponitur: quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc ediuerso, ut membrorum uita capitis sit corona. Quòd uerò sitire se in cruce positus dicit, fidem incredulæ gentis concupiscit. Sed econtrà acetũ malitiæ porrigunt: quia uinum sapientię, quod à deo acceperant, peccando corruperant. Velum templi scinditur, quia synagoga honore nudatur. Obseruatio antiqua dissoluitur, Ecclesiæ unitas præmonstratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis iura iure superantur. Laxata sede tartarea à domino rerum profundæ noctis claustra reserantur: Et quem homines non recipiunt, Inferi deum esse cognoscunt. Quòd autem triginta argenteos Iudas uenditor pphanus refudit, indicabat nihil sibi Christi precium profuturum, sed salutis beneficium scelere suo alijs conferendum. Videamus quid hoc refuso precio emptum esse eloquia diuina testantur. Emerunt, inquit, ex eo agrum figuli in sepulturam peregrinorũ. Figulus Christus est: ager Christi ecclesia: acquisitio peregrinorum populus gentium. Superest charissimi, ut agri huius quotidiani atque perpetui studeamus esse cultores: seminemus in eo frugem bonæ conscientiæ, ut cum tempus messis, id est, consummationis, & dies reddendæ rationis aduenerit, cum securitate & exultatione bonorum operum manipulos reportemus, & post contritionẽ ieiuniorum præsentis quadragesimę laudabilium actuum candore uestiti, & indumento castitatis ornati, ad festa futura procedamus, & Pascha illud æternũ piorum inserti concilijs celebremus: Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in sæcula sæculorum,

AMEN.

Feria

FERIA QVINTA MAGNA,
Sermo S. Cypriani.



IAm sacramenta corporis sui Apostolis Dominus distribuerat, iam exierat Iudas, cum repente de mensa surgens, linteo se praecinxit, & ad genua Petri lauaturus pedes eius, ipse genibus flexis dominus seruo consummatę humilitatis obtulit famulatum. Et ne quid consummationi doctrinae deesset, inter fixa & immobilia praecepta, & ea quae moueri possunt & repeti, distinctionem posuit, ut caeteris immutabiliter semel statutis, ultima lauacri species, quotidianis expiationibus commodata commendaretur fidelibus. Et sicut lex per singulas offensiones propria sacrificia requirebat, unum figeretur fidei Christianae remedium, ad quod curreret, quoties se cognosceret offendisse. Quod quidem Petro nondum fuerat reuelatum, quippe qui huius traditionis nondum audierat disciplinam. Docetur ergo quae sit baptismi & aliorum sacramentorum stabilitas, & quantum ad expiationem proficiat humilis pietas & pia humilitas, & quomodo omni tempore prosequenda et repetenda sit ablutio pedum per quam recte cognitam & intellectam, adherētes animae sordes quotidiana satisfactione lauantur. Nam baptismum repeti, ecclesiasticę prohibent regulae, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans praesumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterum renouat, nemo sacro oleo lita iterum linit aut consecrat, nemo impositioni manuum uel ministerij derogat sacerdotum, quia contumelia esset spiritus sancti, si euacuari posset quod ille sanctificat, uel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit & confirmat. Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor & autor, in caeteris homines spiritum sanctum habuere doctorem, & sicut par est spiritui sancto & Christo diuinitas, ita in suis institutis aequa est autoritas & potestas, nec minus ratum est quod dictante spiritu sancto Apostoli tradiderunt, q̄ quod ipse tradidit, & in sui cōmemorationem fieri praecepit. Manet singulis propria dignitas, & uniformis in suo genere stat actio omnium, nihil addi, nihil subtrahi, nihil potest corrigi uel mutari. Ornata et honorata erat ecclesia quasi paradisus, in amplitudinis suae umbilico fontem continens gratiae singularis, flumina creans in uitam aeternā salientia, uiuam habens originem & decursum perennem. Hinc egredientia quatuor Euangelij flumina per uniuersum mundum secum regenerationis euehunt lauacrum, & de abdito et secretissimo spiritus sancti munere huius gratiae liquor emanat, sic lauans quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula aliqua sui post ablutionem illam uestigia derelinquat. Praeteritis lotis uita deinceps arbitrio est proprio deducenda, ita tamen ut actualibus aliquando recrudescentibus iam non imputentur originalia, nec propter illa damnationi obnoxius sit cui semel

illa sunt in baptismo induta. In originalibus enim corruptio naturæ abiici & exterminari meruerat, sed quia non erat uoluntas in culpa, prouidit Deus generali damnationi remedium, & suę sententiam iustitię temperauit, hæreditarium onus à sobole remouens, & misericorditer ablutione & unctione medicinali corruptionis primitiuæ fermentum expurgans. Sed in eos qui post indulgentiæ huius gratiam uoluntarij per peccata euagati sunt, qui proprio abutuntur arbitrio, & uoluntate non necessitate ducuntur, indignatio & ira non immerito redit, nec in morte Christi aliquis eis superest quęstus, sed iustissime eos beneficia cōtempta condemnant. Nunc contemptum suum non statim ulciscitur Deus, nec per singulas offensas iudicantis ira discurrit, nec obstruxit fonti misericordiæ suæ ostia meatusq́ multiplices, sed obuiat fugientibus & cogit regredi desperatos, ostendens eis pœnitentiæ uiam, qua nulla latior inuenitur, & reuersis dat ut iterum eis possint sacramenta iniuriata prodesse, quorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum. Propter hoc benignissime domine pedes lauas discipulis, quia post baptismum & eucharistiam quæ sui reuerentia non patitur iterari, aliud lauacrum procurasti quod nunq́ debeat intermitti, tamen ipse quod doces facis, ut quanti quæstus hoc opus sit ex tua bonitate discamus, & inclinata ad pedes nostros altitudine tua, stans aduersus proximos et erigens se contra deum confundatur superbia hominū & ad humilitatem dei nouerit de se humilia sapere lutum. Pauent discipuli, nec audēt obloqui, & quasi ecstasis teneat eos, uel mens aliàs rapta peregrinetur, nec magistro resistere, neq́ quid hoc sit, uel cur fiat inquirunt. Solus Petrus sciens quia perhibuerat ei testimonium quòd filius dei uiui esset, & quia uerba uitæ æternæ haberet, iudicans apud se indignum & inconueniens, sanctum sanctorum flectere genua ad pedes peccatorum: Neutiquam, inquit, tu mihi pedes abluis, & huius humilitatis sustinere obsequium non est nostrum, qui adorare debemus in loco ubi stant pedes tui, & satis est nobis quòd sicut catuli de mensæ tuæ reliquijs manducamus, hoc in muliere peccatrice aliquando passus es, nec dedignatus es in mensa solenni multis conuescentibus infamis personæ suscipere famulatum, cuius deuotio usa est ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptismo, tetigit, lauit, & unxit unguento. Mactata intrinsecus anima proprium in sancta sanguinem intulit, singula suum præbuere ministerium, cor contritum erupit in lachrymas, fides lauit, charitas unxit. Hæc multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis fletus hausit protulit: de pœnitentiæ pixide unguenta quę obtulit, caputq́ pro suppedaneo strauit, crinibus circunfusis pedes sacros inuoluit et tersit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi deuouit, & tu affectum potius quàm factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lauantē, tergebas intrinsecus pœnitentē. Superbo

oculo

oculo Simon leprosus hanc clementiæ tuæ diligentiam non poterat intueri, sed moleste ferebat, quod tangi se ab huiusmodi persona dominus sustinebat. Qui si lepræ suæ te attenderet mundatorē, non dedignaretur, si de plenitudine gratię tuæ alij accipiunt, si lauas immundos, si iustificas impios, si reuocas exules & abiectos. Honor tuus deus iudicium diligit, & æquum est, ut omnis terra adoret te, & in nomine tuo omne genu flectatur: uerum quod tu ante figmentum tuum curuaris, quod seruis pedes abluis, non competit maiestati. Habebat in excusatione sua zelum dei Petrus, sed non secundum scientiam: & tolerabile aliquo modo uideretur quod humilitas suggerebat, si non obstinatio resistere pręceptori niteretur: Non lauabis, inquit, mihi pedes in æternum. Ego si oportuerit me mori tecum, paratus sum: Hoc enim debeo, hoc amplector. Pro te libenter ceruicem porrigo percussori, sed Deum meum & dominum meum ad pedes meos prostratum non patior, non audeo sustinere. Simili modo & Ioannes uenienti Domino ad baptismum tentauit resistere, sed mansuetius increpatus illico obediuit: & qa super hoc etiā responsum acceperat, licet territus acquieuit. Sed differentiā causæ huius Petrus intelligēs, lauare magistrum & obsequi ei tolerabile iudicabat. Lauari aūt ab eo & tantam humilitatis eius pati deiectionem, ita uidebatur indignum, ut omnino cogi nō posset, nisi interminatio periculosissima coarctaret. Ait ei Dominus: Nisi lauero te, non habebis partem mecum. Paulatim mysterij huius declaratur necessitas, quam conditio proposita ineuitabilem reddit: & si cum Christo aliter partem habere non possumus, nisi ipse pedes nostros abluat, quandoquidē sic arctatur consensus, lauet, & tergat, et sacramenti huius nobis uirtutē exponat. Supra diximus, semel lotos baptismate eodem lauacro ulterius non egere, sed hoc lauacrū quotidianis est excessibus institutū, & iugis retractatio usq; ad nouissima ueniens, omnia debet opera & cogitatus singulos pscrutari, & affectus per uitia discurrentes, uagam instabilēq; animam per inania euehentes corrigere & lauare, nec quicquam in uita prætermittere indiscussum, quod gemitibus & suspirijs non fuerit expiatum. Hoc cum dominus suos usque in finem discipulos dilexisset, in fine statuit, & dixit, neminem posse habere perfectam ablutionem, nisi hac solicitudine muniatur. Mandatum igitur simul & exemplum complexus est, ut hoc exemplo instructi, non dedignarentur in alterutrum agere, quod actum est à magistro, & mandato posteris religionis autoritas firmaretur. Vnde & subiungit: Si ego dominus & magister laui uestros pedes, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Non erubescat seruus, si facere iubetur, q̄d prius fecit dominus: nec difficile nobis esse debet, si sicut ille nobis donauit, & nos inuicē condonamus: quia alter alterius onera comportantes, sic legem Christi implemus. Quoties igitur cohortamur pusillanimes, & his qui Pharaoni in luto & latere famulati

mulati sunt persuademus, ut exeant de Ægypto: quoties cum infirmis infirmamur, & cum his qui scandalum ferunt urimur: quoties cum afflictis gemimus, toties inhærens lutum peccatorum qua possumus solicitudine lauamus, non quod nostra ablutio ex nobis sufficiat, nisi ad lauandum omni tempore nos pius magister accedat. In hoc se periculo fluctuantem laborans anima in Canticis canticorum conqueritur: Laui inquit, pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quod ablutum est, timet iterum inquinare, sed in uia lutulenta uix aliquid solitum ubi pedem figat inuenit, & in quibus sæpe prouoluta est, paludum inquinamenta formidat. Clementissime magister quoties ego doctrinæ tuæ transgressus sum regulas? quoties edicta tua domine sancte contempsi? & cum diceres mihi: Reuertere, non sum reuersus: cum minareris, non timui: cũ bonus esses & lenis, exasperans fui: ultra septuagies septies in cœlũ & coram te peccaui, quis tot sordes abluet? quis abradet stercora conglobata? Quicquid dicat Petrus, necesse est ut ipse nos abluas, neque enim lauare nos possumus, sed in omnibus quæ agimus, indulgentiæ tuæ lauacro indigemus. Ad mensæ tuæ participationem Iudas proditor est admissus, sed ab hoc lauacro salutari exclusus, lauari in fine non potuit, quia Apostolatus sui honorem detestabili cupiditate fœdauit. Quia uero apud te fons uitæ est & miserationum quæ à sæculo sunt profunditas infinita, quos abluisti baptismo, quos lauasti sanguine tuo, quos semper lauas quotidiana peccata donando, transfer à paludibus sæculi huius, & luto uitæ præsentis ad purgatissimũ gloriæ tuæ regnum, ubi nec scabies ulla, nec lippitudo, ubi nemo fluxum sanguinis patiens, nemo immundus, ubi nullo amplius opus est lauacro, configurato corpori claritatis tuæ corpore nostro, secundum promissa tua, necesse est ut impleas, et qui incepisti in nobis opus bonum, perficias solidesq; per Christum dominum nostrum.

FERIA SEXTA MAGNA, SEV PARASceue, De passione Christi.

Ex Cypriano.

DOmine audiui auditum tuum, & timui. Terruit me cum appropinquaret traditor Iudas, & immineret passionis hora, quod dixisti ad patrem: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Et tristem te usq; ad mortem, præ nimia anxietate sanguineo sudore perfusus coram Apostolis es professus. Audiens hæc ego expaui. Quis enim non timeat, si timet ille, quem omnia timent? si pauet ille, cui omne genu curuatur? si ille, qui mors est mortis, & morsus inferni morte propinquante pertimescit? Nonne ad hoc ueneras, & ita futurũ ipse prædixeras? Nonne hoc & signa & oracula & uaticinia prophetarum à mundi initio conclamarunt? Si uoluntarie obedisti patri, & non te, ut patereris, coegit necessitas, quid quereris, quid causaris? Nonne tu docueras

ueras & instruxeras fideles tuos, ut non timerent eos, qui corpus occidunt: quia usque ad animam tyrannica uiolentia non attingit. Sed metus ille infirmitatis humanæ communem exprimebat affectum, & generalitatem omnium in carne uiuentiũ hoc dolore urgeri, & dissolutionem corporeæ spiritualisque naturæ hac molestia nõ posse carere, & hanc pœnam uniuersæ successioni Adam sine exceptione impositam, ut difficultas extremi transitus timeretur. Et hæc quidem molestia in eos, qui dei iudicio rationẽ reddituri occurrunt, nõ immeritò cadit: qui de eo quod beneficio uitæ & rationis, & reliquorum largitate munerũ abusi sunt, accusante conscientia redarguti, examen illud, in quo nullum est subterfugium, timent: & ipsa auulsio spiritus carnis teneritudinem dirumpit, & lædit: hanc nemo anxietatem euasit, & nemo egrediente anima sine amaritudine expirauit. Sed tu domine, qui iudex es omnium, qui potestatiue ponis animam tuam, & potestatiue resumis: nec pœna te ex necessitate persequitur, nec formidabilis patris tibi potest esse conspectus, quid anxiaris? quid tremebundus ad orationem discurris? Dormitantibus Apostolis peruigil proditorem expectas, nec tamen te abscondis, sed obuius in aduentum eorum procedis, qui te ligare ueniũt, et trahere ad Pilati tribunal, quos Iudas signifer instructa malignitate p̃cedit. Audiui domine auditũ tuũ, & expaui, dum quæris à quærentibus q̃d quærant, cũ noueris quod te quærant. Et dixisti eis, te esse Iesum Nazarenũ. Inuasit ilico timor tuus eos, q̃s tu timueras, & p̄strati solo iacuere exanimes, & armatam cohortẽ uox unius hominis terruit, & latens in humanitate omnipotentia te discipulis pauidũ coram p̄secutoribus terribilem exhibebat. Sed ut fieret uoluntas patris, & sacrificiũ carnis à timore & tristitia inchoaret, suberant uictimæ desolatorij carbones, quos obedientiæ liquefactus adeps extinxit: & cum traheretur uinctus ad præsidem, non supplicauit apparitoribus, sed Petri compescuit zelum: nec gladiorum passus est adhiberi suffragia, imò & Herodis & Pilati contempsit fastigia: nec potuit altitudo potestatum extorquere ad interrogata responsum. Iam postposito timore, quasi utens potentiori autoritate inter sputamẽta & colaphos, & reliqua ludibria, patientia & mansuetudine uesanas persecutorum mentes conturbas: & in eo quod inter iniurias & conuicia se malicia Iudaica sentit contemptam, uehementius exacerbatur, & de impietate & malicia suauitas pietasque Christi triumphat. Frustra funestas iudex manus in prætorio abluis, à sanguine domini te profitens innocentem. Tu ipse causam mortis cum diligenter inquisieris, te non inuenisse in eo fateris, ipsa coniunx tua nihil tibi & iusto huic esse mandauerat, quod utique per os eius dæmonia imminere sibi iudiciũ sententia testabantur: non excusas, sed accusas: causam tibi facis cum Iudæis communem. Illi se proditione, tu parricidio te cõdemnas. Illi lingua, tu ferro occidis, tam te quàm illos inauditæ crudelitatis scelus inuoluit. Ve-

niet anima tua in manus iudicis, quem condemnas, fractisq; tribunalibus tuis iudicaberis, et demergeris in profundum inferni, eruntq; tibi et Iudæ scelerato in tenebris & gehennalibus flammis pœnę irremediales, inconsumptibiles ignes, dolores perpetui, & tormenta ęterna. Et quidē filius hominis, sicut scriptum est de illo, uadit: qui damnatus est, ut liberaret damnatos: doluit, ut sanaret infirmos: timuit, ut faceret securos: opprobria pertulit, ut improperia detrahentium non mouerent electos: deputatus inter impios, quorum alter assumptus, alter reprobatus est, ut daretur exemplum & forma indissolubilis manens in posteros: quia nec in ultimis Dei clementia pœnitentes excludit: nec ulla hora sera est, cui compunctio districta occurrit: nec eos qui uitæ suæ quocunq; articulo temporis ueri sunt iudices iterū iudicari: quia cum iudicis & tortoris uices nō parcens peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat, holocausti huius incensio in conspectu dei ueniam impetrat. Neq; enim bis in idipsum iudicat deus, sed impœnitentes ipse iudicat & damnat: Pœnitētes uerò q̄a à seipsis suscipit iudicatos, absoluit: neq; iudicio, quod pœnitentiæ humanæ seueritas protulit, aliquid iustitia cœlestis apponit. Iudicati sunt Ægpytij, cū in redeuntibus super se maris fluctibus inuoluerētur: iudicati Sodomitæ, cū subuersis eorum urbibus flammis sulphureis cremarentur. Sed si in eisdem subuersionibus gemerent pœnitentes, temporali pœnæ æternalis non succederet pœna, sed esset eis pro remedio suppliciū, & pro absolutione tormentum, nec contritos corde æternum contereret & aggrauaret iudicium. Sic in cruce latro confitens non tantū indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, prę missus est in paradisum, & factus est particeps regni: per confessionē factus collega martyrij. Illi uero blasphemo, quia de domini desperauit potentia, nulla potuit subuenire clementia: nec potuit illi crucis prodesse consortium, cuius malitia non expiabat pœnitentiæ lauacrum. Ascendisti domine palmam, quia illud crucis tuę lignum portentebat triumphū de diabolo, uel de principatibus, & potestatibus, & nequitijs spiritualibus uictoriam: erantq; in manibus tuis duo cornua, in quibus erat fortitudo tua abscondita, & imperiū tuum super humerum tuum: tu ipse patibuli tui baiulus hærebas ligno, quod tuleras, euectionis & passionis anxietates sustinens & labores: Consideraui opera tua & expaui. Clauis sacros pedes terebrantibus fossisq; manibus, de uulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum caput pungentibus non quereris, sed satagis, ut innotescat posteris, quare derelictus à deo uidearis, expositus contumelijs & Iudæorum ludibrijs. Causam mortis in te non esse Pilatus ipse prædixerat, & Caiphas mortē tuā pro inimico populo satisfacturam, cum esset anni illius pontifex, prophetauerat. Tu de morte nō agis, de opprobrijs non contendis, sed hoc uis intelligi, quæ sit causa mortis, quis quæstus, ut utraq; re cognita peccatum

catum

catum appareat & gratia, & quanti ponderis sit utrunque, rerum probet effectus, cum originali morti nullum nisi in Christi morte potuerat esse remedium: nec reconciliare deo potuit exules & damnatos quælibet oblatio, nisi sanguinis huius singulare sacrificium. Et sine hoc holocausto poterat deus tantum condonasse peccatum, sed facilitas ueniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam Christi uix cohibent passiones, quæ uix sceleratos animos à uoluptatū fece auellunt. Vulneri sanè tam putrido, & antiquarū cicatricum foetori non inueniebatur medicamentum conueniens, nisi unguento sanguinis huius plaga uetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extensæ siccarentur uenena, quę calcaneo primi hominis & omni posteritati eius serpens ille seductor antiquus infuderat. Hæc una medela corrosit illas, quæ in immensum excreuerant cicatrices, & uim suam concupiscentiarum perdidit corruptela, & deleta damnationis conscriptionę, nouis literis assignata est, restituta libertas, priuilegio dato charta indulgentiæ sigillo plagæ lateralis firmata. Considero opera tua, & admiror te cruci inter damnatos affixum, iam nec tristem, nec pauidum, sed suppliciorum uictorem eleuatis manibus triumphantem de Amalech & quasi sanctificantem de excelso plebem & eleuatum in sublimi, & quasi coelo proximum superioribus inferentem consummati agonis uexillum, & inferioribus erexisse scalam in patris occursum. Ibi dolorum et conuiciorum immemor subtiliter inuestigas, & ipse exponis, quare derelictus fueris, indįcans anxietates illius querimoniæ uerba esse delictorum tuorum, quorum personam & causam assumpseras, in tantum, ut per Moysen & per Apostolum sustineres uocari peccatum & maledictum pro similitudinæ poenæ, non culpæ: quod pro eis uoluisti intelligi, qui deseri à deo propter peccata meruerant, quorum reconciliationis agebas causam, in qua allegator subtilis pro seruis seruilem non dedignaris accipere personam: & in tantum infirmis compateris, ut nec crucifigi, nec mori, dum illi uiuant, & te patrocinante non pereant, nec erubescas, nec formides, altitudinem tuam derelinquens ad tempus gloriæ tuæ maiestatem euacuans, ut redeant dispersi, & respirent derelicti. Hæc est causa, quare derelictus sis, ut colligeret & reuocaret inanitio tua eos, qui fuerant derelicti, & qui sine deo fuerant, dum dominaretur eis peccatum, reducti ad iustitiam cōformes Christi, & Christi efficerentur & dij. Vnde scriptum est: Ego dixi, dij estis. Cōsidero domine te in illo patibulo, ubi uidebaris sine adiutorio, quomodo imperatoria potestate latronem præmittis ad regnum: & in cuius assumptione iam manifeste constat, quantum apud derelictos profeceris, quorum primus iste gloria & honore coronatus, ipsa die paradisi ciuis & domesticus curiæ coelestis efficit̃. Impossibile quippe erat illam sanctam animam tuam teneri ab inferis, de qua ipse ad patrem dicis: Quia non derelinquens animam meam in inferno, nec corrumpi

carnem

carnem meam in sepulchro: quia ubi in præsentia illius effractis inferis est captiuata captiuitas, præsentata uictrice anima in conspectu patris, ad corpus suum sine dilatione reuersa est: & appropinquauerunt saluti, qui longe erant à salute, & inter mortuos liber morti obnoxios perpetua libertate donauit. Considero te in cruce de matre solicitum, cui uolenti loqui tecum cum euangelizares, negaueras retroactis diebus colloquium, & prætuleras matri auditores uerbi, pauperes spiritu, dicens eos tibi esse pro matre & fratribus, qui uoluntati patris obtemperant. Nunc materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, & prouides sedulo benedictæ inter mulieres apostolicam clientelam, & obsequium uirginis, uirgini discipulo tradis: ut iam nõ Ioseph tanti mysterij oneretur præpositura, sed Ioannes: quia iam exigebat ratio, ut coniugij remoueret opinio, nec ultra pater Christi æstimaretur, qui eatenus uicem patris & coniugis tenuerat. Habebat Ioseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognouisset carnalem maritum: sed quia in spiritu actum erat coniunctionis illius mysterium, passus est Ioseph æquanimiter sibi eum in hoc seruitio præponi, quem digniorem se iudicabat: & ideo maxime, quia magistri electio sic negociũ ordinabat. Ad hæc sacerdotalis autoritas priuilegium in medio proferens, mediator inter nos & patrem oras pro his, qui ad dolorem uulnerũ tuorum opprobria addiderunt, & pro inimicis impetras ueniam, supplicas & obsecras, ut hæc eis iniquitas dimittatur, & à morte tua habeãtur inoxij ipsi, qui sanguinẽ tuum super se & super filios suos manere præcantur: usqueadeo excæcati, ut scelus suum non intelligant, nec odium Christi ipsa mors crucifixi extinguat. Sed charitas tua interim suspendit iudicium, & reis ingratisq; patientia tua pœnitentiæ prouidet locum, tempusq; reseruat, & differt punire dignos exitio, hæc orans, ut aperiantur oculi eorum, & agnoscant quæ sit uirtus crucis, quæ efficientia sanguinis, quæ magnitudo delicti & doni, gratiæ & peccati. Tanta erat spissitudo uelaminis, & crassitudo doctrinæ, qua erant Moyseos scriptura imbuti: ita erant eorum sensus hebetes, & ingenia tenebrosa, ut in uerbis legis nihil diuini saperent, nihil aliud quàm exterioris umbraculi integumenta uiderent, neq; ad sacramentorum secreta aliqua intellectus indagine penetrarent. Imò si quis eos uellet in sancta inducere & introducere in arcana profundaq; mysteria, impium iudicabant & stultum, mel è petra sugere, & de saxo durissimo oleum eliquare. Dimissum est ergo Christo orante peccatum, & ex parte maxima cæcitas illuminata est, & malignantium perfidia demum credidit & intellexit: & de torculari crucis mustum expressit, accepit & bibit: & in calice quod propinarat Moyses uinum merum à fecibus segregauit. Ecce plus potuit donum quàm delictum, & gratia quàm peccatum: quoniam ex debito damnationis

nionis obnoxios gratis sine ullo merito gratia beneficio pietatis absolvit, & iudicium imperante Christo misericordiæ dedit locum, & districtionis suæ temperamentum iustitia domino disponente modeste sustinuit. Iam uidet Hebræus, & quicunque de seruitute Ægyptia ad repromissæ patriæ libertatem anhelat, quod sanguis Christi efficacius quam sanguis agni illius, quem in Ægypto Israël immolauit, contrarias abigat potestates: cuius hodie tanta est autoritas & potestas, ut non solum Israëlitica limina muniat, sed etiam ab his, qui Israëliticè non uiuunt, solum sacramenti signum repellat dæmonia: & ubicunque conspecta fuerit, terribilis sit eis sacri nominis uirtus & sanguinis nota. Denique quicunque sint sacramentorum ministri, qualescunque sint manus quæ uel mergunt accedentes ad baptismum uel ungunt, qualecunque pectus, de quo sacra exeunt uerba, operationis autoritas in figura crucis omnibus sacramentis largitur effectum, et cuncta peragit nomen, quod omnibus nominibus eminet, à sacramentorũ uicarijs inuocatum. Et licet indigni sint qui accipiunt, sacramentorum tamen reuerentia & propinquiorem ad Deum parat accessum: & ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum: nec alias quæri, aut repeti necesse est salutiferum sacramentum. Iam sanguis tuus domine non quærit ultionem, sanguis tuus lauat crimina, peccata condonat. Clamat sanguis Abel, clamant Sodomorum peccata, & parricidium, & libido, digna sunt ultione: tu olim ultionem deus, modo misereris & parcis his qui offenderunt: sanas contritos corde, & alligas uulneratos: filio prodigo reuertenti non improperas luxum: mulieri adulteræ non opponis prostibulum: peccatricis publicæ non recusas seruitium: debenti pecuniam dimittis depositam: Iudæis perfidis & dedisti gratiam, & dimisisti scelus scelerum, & peccatorum peccatum. De latere tuo fons egreditur in uitam æternam prosiliens, & de eadem consubstantialique origine diuisis limitibus aqua et sanguis emanant, ad complementum, perfectionemque totius iustitiæ, sacramenta in perpetuum duratura, & fontis illius ubertas perenni lapsu uniuersam ecclesiã irrigat & fœcundat. Ex hoc fonte non tantum ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Christum undas haurimus, sed & compunctionum & lachrymarum perennes effluunt riui, & misericordiarum suauitas, & totius pietatis affectus emanat. Tu domine sacerdos sancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, sancti huius sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium huius sancti liquoris in perpetuum tradidisti, & constituisti nobis consumptibiliter potum uiuificum, crucis signum, & mortificationis exemplũ. Tu consumatis omnibus uade ad patrem, & trahe nos post te: da nobis in uita præsenti, ut simus sine angaria baiuli crucis tuæ, & comprehendamus cum omnibus sanctis quid latitudo, quid longitudo, quid sublimitas, quid profundũ huius ligni significet,

quo conſpecto non noceat nobis, neque mordeat coluber ſolitudinis, ſed incolumes per omnia ſequamur te, tecum paruuli ſimus, tecum circuncidamur, tecum baptizemur, tecum ieiunemus, tecum lotis pedibus panem angelorum edamus, tecum crucifixi mundo uiuamus, tecum ſpiritu ſancto repleti, & corpore & ſpiritu in æternum maneamus: Qui uiuis & non ultra morieris in ſæcula ſæculorum.

SABBATHVM PASCHÆ.

Ex prudẽtio



INuentor rutili Dux bone luminis,
Qui certis uicibus tempora diuidis
Merſo Sole chaos ingruit horridum,
Lucem Chriſte tuis redde fidelibus.
Quamuis innumero ſydere regiam,
Lunariq́ polum lampade pinxeris,
Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno ſemine quærere.
Hoc ſignas opere Conditor inclyte,
Lumen ueridicum mentibus omnium,
In Chriſto domino quærere iugiter,
Quem petram loquitur doctor egregius.
Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis
In Chriſti ſolido corpore conditam,
Qui dici ſtabilem ſe uoluit petram,
Noſtris igniculis unde genus uenit,
Pingui quos olei rore madentibus
Lychnis aut facibus paſcimus aridis,
Quin & fila fauis ſcirpea floreis
Preſſo melle prius collita fingimus. &c.

Reliqua uide apud Prudentium, in libro, qui Cathemerinωn inſcribitur.

IN DIE PASCHÆ

Ex Sedulio.



COeperat in terrā poſt triſtia Sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A' Domino dominãte trahit, primusq́ uidere
Promeruit naſci mundum, atq́ reſurgere Chriſtum.
Septima nam geneſis cum dicit ſabbata claret
Hunc corbis caput eſſe diem, quem gloria regis
Nunc etiam proprij donans fulgore trophæi
Primatum retinere dedit, hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæq́ ſimul cum munere matres

Meſſis

Messis aromaticæ notum uenere gementes
Ad tumulum, uacuumq; uident iam corpore factum,
Sed plenum uirtute locum. Nam missus ab astris
Angelus amoti residebat uertice saxi,
Flammeus aspectu, niueo præclarus amictu,
Qui gemina specie terrorem & gaudia portans,
Cunctaq; dispensans, custodibus igne minace
Venerat in formam Christum quærentibus albam.
Illæ igitur dominum calcata uiuere morte
Angelica didicere fide: perterritus autem
Miles in ancipiti retinet discrimine uitam
Deserta statione fugax, testisq; timoris
Vera refert gratis, postquam data munera fallit,
Discipulumq; globum placidi sub tempore somni
Clam sibi nocturna Christum abstraxisse rapina.
Compositus simulator ait: Fare improbe custos,
Responde scelerata cohors, si Christus (ut audes
Dicere) concluso furtim productus ab antro
Sopitos latuit, cuius iacet intus amictus,
Cuius ad exuuias sedet angelus? an'ne beati
Corporis ablator uelocius esse putauit
Soluere contectum, quàm deuectare ligatum?
Cum mora sit furtis contraria? Cautius ergo
Cum domino potuere magis sua lintea tolli.
Mentita est uox uana sibi: tamen ista figuram
Res habet egregiam. Iudæis constat ademptum,
Quem nos deuoto portamus pectore Christum.

EX IUUENCO.

SYdera iam noctis uenturo cedere soli
Incipiunt, tumuli matres tum uisere septum
Concurrunt: motus sed terram protinus omnem,
Concutit, & cœlo lapsus descendit aperto
Nuncius, & saxum tumuli de limine uoluit.
Illius & facies splendet ceu fulguris ignis,
Et niuis ad speciem lucent uelamina uestis.
Militibus terror sensum discluserat omnem,
Et iacuere simul, ceu fusa cadauera leto.
Ille sed ad matres tali cum uoce profatur:
Vestra pauor nullus quatiens nunc corda fatiget.
Nam manifesta fides, sanctum uos quærere corpus,
Quod crucis in ligno scelerata insania fixit,
Surrexit Christus, æternaq; lumina uitæ

Corpore cum ſancta deuicta morte recepit.
Viſere iam uobis licitum eſt, ꝙ ſede ſepulchri
Nulla iſtic iaceant fuerant quæ condita membra.
Dicite præterea celeri properoq́ꝫ recurſu
Diſcipulis, Chriſtum remeaſſe in luminis oras,
Inq́ꝫ Galilæam lætum præcedere terram.
His dictis uiſisq́ꝫ animos perfuderat ardens
Lætitia attonitis, ſtupido ancipitiq́ꝫ fauore.
Deniqꝫ præcipiti celerantes gaudia curſu,
Talia diſcipulis referunt, tumulumq́ꝫ relinquunt.
Ecce uiæ medio clarus ſe oſtendit Ieſus,
Et fidas matres blandè ſaluere iubebat.
Occurrunt illæ, & genibus plantisq́ꝫ prehenſis
Victorem læti pauide uenerantur Ieſum.
Talibus ille dehinc præceptis pectora firmat,
Mentibus abſiſtat fidei pauor omnis, & iſta
Fratribus hinc noſtris properè mandata referre
Noſtri conſpectus ſi cura eſt, Ite uolentes
Inq́ꝫ Galilæam properè diſcurrite terram.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

Ex Cypriano.



QVæſitis aromatibus ad unguendum dominum Ieſum in monumento poſitum, ſacræ mulieres communicato conſilio conuenerunt, & repertis ibi ſine corpore ſudarijs, quem non inuenêre putauêre ſublatum. Nam & lapis reuolutus, & uacuum monumentum ſimplicibus animis cōiecturas huiuſmodi opponebant, quòd corpus ſtrictum linteis niſi tranſlatum eſſet moueri loco non poſſet, nec lapis magni ponderis niſi ui humana nullatenus reuolui potuiſſet: unde & mane uenientes quomodo poſſet ab oſtio monumenti lapis *gyrari*, anxie cauſabantur. Sed dominus, qui inſpirauerat ut uenirent, præuenerat uenientes, & egreſſus de ſepulchro uacuum locum reliquerat, apertoq́ꝫ oſtio ingredi uolentibus liberum dederat aditum: & quaſi monebat ſe aliàs quęri, qui illis anguſtijs non poterat occultari. Flebant igitur ſacræ fœminæ, quæ eum cui obſequi uolebant, ſe perdidiſſe putabant, & obriguerant mœſtitudine, eo quòd deuotio ſua deſiderato fruſtraretur effectu. Habuerunt ſiquidem eum ſicut prophetam non inferiores fide illis diſcipulis, qui dicebant, quòd Ieſus Nazarenus uir propheta fuerat potẽs in opere & ſermone. Et licet de reſurrectione ſua ipſe tam apoſtolos ꝙ reliquos diſcipulos, in quorũ ſocietate iſtæ eſſe meruerant, magiſter prouidus inſtruxiſſet, incuſſerat tamen omnibus dubietatem & terrorem ſupplicium crucis & mortis atrocitas: nec tamen ab eorum

cordibus

cordibus auelli poterat dilectio, qua ei adhæserant, & recordatio signorum, quę uiderant, & admiratio doctrinę, quam audierant, & conuersationis piæ admirabilis sanctitudo, qua fuerant informati. Necdum firmo gressu ibant, sed lababat pes dubitantium, sed quærebant quem amabant, nec malignè desperabant: unde factum est, ut quæstum inuentionis, dilectionis perseuerantia mereretur. Illæ itaq; primæ uiderunt, & cognouerunt quæ ardentius dilexerunt, quæ deuotius quæsierunt, illæ sermocinatæ cũ Christo, certificatæ quòd ipse esset, qui à mortuis resurrexisset: nunciant Petro & cæteris quòd Christus resurgens à mortuis iam non moritur. Euangelizarunt uiuentem, qui mortuus putabatur: nec iam sepulturæ eius odoramentis corporalibus deseruiunt, sed aromatibus firmæ fidei, & certæ spei, & charitatis synceræ regnanti domino famulantur, & uirtutum fragrantiam non iudicato præsentant, sed iudici. Lætantur apostoli, quos mundus quasi dehiscens terruerat, & quasi dissolutione elementorũ quassaretur, omnia præcipiti ruina sterneret, minas horribiles intentarat, solidatisq; & compactis cœlestibus & terrenis æterna redemptione inuenta, gratulabundi adorant, quem reliquerant, credũt, nec in aliquo hęsitant: assistunt quantum possunt ei, à quo diffugerant. Quem non fragor ille mundi terreret, quando terra tremuit, sol expalluit, & radios lucis suæ sol contenebratus abscondit? Ipsa monumenta lapides sibi superpositos proiecerunt, & indignata superior & inferior plaga tenebris & moribus & scissuris, compassionis suæ & uehementis angustiæ indicauerunt affectum: nec sustinuit intueri mundus perfidiæ Iudaicæ scelus, & uisa sunt insensata elementa sensu uti abundantiore quàm homines, quibus secundum naturam ratio inerat, & crudeliores extitere feris abutentes intellectu, intantum Christi sanguinem sitientes, ut seipsos maledictione æterna damnarent, & in paruulos suos anathematis illius reliquias immobili stabilimẽto firmarent. Sed ne in eorum scelere diutius immoremur, qui repulsi sunt et destructi in finem, quorum parricidalia uota seruitium & exterminium meruerũt, quos cum Dathan & Abiron, quos ob dissensionis flagitium terra dehiscens uiuos absorbuit, constat in tenebris inferi sigillatos, ne tantarum abominationum recordatio paschalem serenitatem interpolet, circa solennitatis inclytæ gaudia deuotis & alacribus animis insistamus. Neq; enim fas est, ut à nobis aliqua his diebus tristia recitentur: sed sicut filijs Chore datum est, ut semper læta canerent & prophetarẽt, & omnes psalmi eorum attitulati, nominibus gaudia prædicant, nec aliqua minantur aduersa: ita nos ad Christum pertinentes, cuius sanguine conspersa creditur Adam caluaria, qui sub loco quo crux domini fixa est, humatus traditur ab antiquis, eiusdem sanguinis sanctificati elapsu, lætemur & delectemur in domino, nec iam amatoribus crucis mors magistri sit horrori, neque pœna sit dolori, nec passio sit pudori, cum hæc

omnia uitæ nostræ sint instrumenta: quia mors eius pro peccatis nostris sacrificium fuit, & pœna crucis excessibus pœna dignis occurrit, labor eius onera nostra deposuit, dolor eius nos sanauit, & damnatio indebita nos à damnatione æterna absoluit. Et si qd cõfusionis uisa est in tempore illo pati sancta eius humilitas, rerum hodie manifestatur effectu, quod Apostolus ait: stultum huiuscemodi sapientius esse hominibus, & infirmum fortius omni fortitudine: Per quod reprobata sapientia huius mundi, & de sapientibus & potentibus in nomine crucifixi pauperes spiritu potentissime triumpharunt. Cantemus igitur domino, gloriose enim honorificatus est. Liber populus egreditur de Ægypto, Moyse duce, mare fit peruium, columna flammea nocte coruscans, Israëliticum antecedit exercitum: stat à dextra & leua mare suspensum, desiccato luto profundi, inoffensum abyssus dat transitum: & egresso populo Dei, Pharaonem cum populo suo repentina mole illapsum pelagus intercludit. Iam præcesserat agnus, quem Israël in Ægypto immolarat, cuius sanguine limina rubricata percussor Angelus non est ausus attingere: nec exterminatoris gladium populus formidabat, cui & de spiritualibus nequitijs parabat uictoriam: illud sine macula sacrificium & mare diuisum, & totum Ægypti robur extinctum. Primum illud antiquum pascha his miraculis coruscauit, & excluso fermento, præceptum est ut horum dierũ celebritas ageretur in azymis: nec solennitatis huius gaudia seruilibus operibus fuscarentur, nec omnino aliqua tantæ syncæritatis gloriam malignitas inquinaret. Certa data est ex lege distinctio, quæ esset paschalis oblatio, & tempus, & locus, & modus, quando, uel ubi, uel quomodo sacra deberet hostia immolari. Victima, agnus, locus, una per singulas familias domus: caro nõ elixa, sed assa, hora uespertina. Hæc cum eo tempore fierent in figura, quod nos in ueritate agimus, typice loquebantur: & dirupto in Christi morte templi uelamine, uerus agnus solus inter filios hominum sine macula Christus ætate ultima, in qua mundi uesperascit conditio, ab una populi Christiani familia in unitate ecclesiæ assus in cruce, proiectis foras hæreticorum fermentis, syncerę fidei solidata compagine, inconsumptibiliter editur, creditur, & tenetur. Noua & uetera sub hoc nomine conuenerunt, egreditur Israël de seruitute Ægypti, exit populus Dei de regno diaboli, baptizantur in nube & mari Hebræi, & iam spiritu sancto & sanguine Christi mundatur à peccatis populus Dei: ex diuersis familijs una fit domus, una fit tribus, unus est cibus, significantia & significata, res & signa, uirtus inuisibilis, & inuisibilia sacramenta sic faciunt unum corpus, sicut caro & spiritus, & quod uidetur, & nomine & uirtute Christi corpus censetur. In hac rerum cõuenientia honorificatus est Christus, & gloriosæ laudis triumphos lętabunda hodie canit ecclesia, in lapide angulari consocians disiunctos olim parietes, quos in unum mirabilis artifex fuso sanguine glutinauit:

glutinauit: & reprobato diu à malignis fidei fundamento, charitatis suæ nexibus diuisas copulauit macerias, et redegit partes in totum, & multa in unum: & facti sunt una domus confœderati parietes, & stabile fundamentū. Honorificatus est Christus resurgens à mortuis, uictor mortis, spolians inferos, & captiuos præmittēs ad superos. Hucusq; per humilitatis gradus ascendēs, modo gloria & honore coronatus nil mortale, nil passibile retinens, impassibilitatis & immortalitatis donauit nos gloria, & resurgentes in beatitudine constituit sempiterna. Resurrexerunt quidem ante Christū, sed in nomine et fide eius sub Helia uiuente in corpore, unus, & Helisæo uiuo & mortuo, duo qui obierant, sed ad mortem quam gustauerant, iterum redierunt: Surrexit & Lazarus, & alij nonnulli ad imperium Christi: & aliquo tempore beneficio uitæ usi, iterum ad funera rediêre. Res quidem honorabilis & dominatio potestatiua fuit, ad corpus exanime spiritum reuocare: sed resurrectionis huius, cuius sunt in Christo primitię, incomparabilis est dignitas, quam nec sequitur corruptela, nec dissoluit antiquitas, nec aliqua mutabilitas labefactat. Mirati sumus in transfiguratione, quæ facta est in monte præsentibus apostolis Petro & Iacobo et Ioanne, quando sicut sol resplenduit facies Saluatoris, & uestimenta eius candorem omnē exuperantia apostolorum hebetauêre conspectum: sed momentaneus ille decor imaginem, non speciem: similitudinem, non substantiam: partem, non plenitudinem transformationis mirificè explicauit. Sed neq; eandem gloriam quam ante ostendit apostolis, resurgens illico ostendit, sed quod uidere consueuerant, hoc uiderunt: & dilata est claritatis illius quam nobis pollicitus est, plenitudo quæ in se erat perfecta, & à nobis in nobis expectatur perficienda lucidior & syncerior, q̄ æstimari possit ab aliquo, uel q̄ illa etiam claritas intimauerit, cuius primitias in Christo transformato accepimus. Agunt in cœlestibus hæc pascalia gaudia ipsi angelici spiritus, & resurgentis domini gloriam admirātur, lætantur, & delectantur in eo, quòd forma serui reuersa sit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit maiestatem. Sed & in hoc multiplicata sunt gaudia, quòd ab his pro quibus se humiliauerat, tantæ excellentiæ beneficium dignatus esse commune, & partiri nobis suæ abundantiam uoluit claritatis: ut post resurrectionem corpus non aggrauet animam, sed sit caro sine mole & pondere, agilis et mobilis, nullis clausa obstaculis, uisu & auditu penetrans omnia, & attingens, quocunq; uoluerit sine impedimento discurrens. Inerit resuscitatis corporibus nulli uanitati subiecta libertas: & quæ cogi non possit ad aliquid, in nullo laborans, iam à spe educta, re ipsa perfruens, nulla expectatione suspensa, & in pace quietissima confirmata, omnisq; expers formidinis in spiritualibus delitijs iugis illa permansio reflorebit. Quàm mirabilis est scientia tua Deus, confirmata est super nos, nec possumus ad eam attingere.

Hęc sapientiæ tuæ altitudo qui mundum non ex præcedente materia, sed solo uerbi tui condidisti imperio, creaturis uero corporalibus ex mundi essentia dedisti initium, suis incolis singula elementa adornans, hominem quem de mundo fecisti, cunctis in terra & aëre & aquis uiuentibus præficiens, ita ut suo præposito singula in suo genere ministrarent: tu alijs uitam temporalem, alijs procurasti perpetuam, admirabili ordine quædam mutans & renouans, & præfinito tempore metam irrationabilibus omnibus præfixisti, & terminum quem transire non possit, dissolutioni conditio destinata. Homo quia ex cœlesti & terrena materia compactus est, uestitus extrinsecus pelle et carnibus, tempus accepit, quo te iubēte, redderet terrę quod de terra assumpserat, & ad immaterialem originē reuerteretur spiritus: cuius natura dissolutionis nō admittit iniuriā. Corpus putredine & caro uermibus cōsumenda, secundū naturæ suæ rationē ęternitatis non poterant priuilegio perfrui: et quod sibi iure non competebat, à condidore nequibat exigere: neq; ulla eorū interrogatio super hoc merebatur responsum. Sed tu optime domine ultro gratiam uoluisti dare spiritui, decreuisti clementius, ut ex societate & clientela quam reddiderat animæ caro, aliquid ei commodi proueniret: & quæ ei uehiculum fuerat & particeps studiorum in recompensione ministerij iterum dilecto accolę consociata pudica & pacifica rediret, nullas secum reuehens cōtumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Sed & hoc domine ad cumulum beneficij addidisti, ut inter legem carnis & spiritus nulla postmodum esset diuersitas: nec post initum fœdus ulla iterum inter eos recrudescat rebellio, sed per manum tuam reconciliatio ordinata stabilis in perpetuum perseueret. Te igitur iubente, terra fit caro, & expulsa de domo iterum cōiungatur uiro, non iam ancilla, sed libera: & habitant unius moris in domo murmurationibus consopitis, quas olim compugnantes inter se concupiscentiæ concitabant. Quis domine deus considerare hæc opera tua sufficit, & quis lutum coagulare potest in carnem, quis formare potest in hominem, quis infundere animam, quis reddere uitam, quis dare æternitatem, quis addere felicitatem? Ad hunc prouentum humana laborat creatio: hæc semper fidelium expectatio fuit. Hoc optebat rex ille humilis, qui se nouerat imperfectum, ut adderes conditioni tuę quod deerat, & perficeres & solidares opus tuū, corruptibilitas & mortalitas assidue conuicijs multis solebant affligere, & uarijs opprobrijs consueuerant infestare. Tu morti imperas & absorbta eliditur, inanescit corruptio, ubi æger, te medente, sanatur. Gustasti mortem pro filijs hominum, ut qui tecum mortui erant, tecum uiuerent, & participes tribulationum etiam consolatione gauderent. Resurrectio quidem communis est, & ante tribunal Christi necesse est in corpore iustos stare & impios, Dei hoc dictante iustitia, ut pietas & impietas in operatoribus debitis stipendijs donaren-

donarentur: & qui finem habere contempserunt in malis, infinita clauderentur ultione in pœnis: & qui gloriati sunt in cruce cum crucifixo regnantes beatæ fierent perrennitatis participes. Non sunt participes huius gaudij quos damnat ambitio: nō potest furtiuos habens oculos, paschalibus solennijs interesse. Nihil proditor et uenditor magistri, fermentator prophanus commune habet cum azymis: omnis immundus in anima ad esum huius agni prohibetur accedere. Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur, omnis malignitas excluditur: calciatus pedibus ad euangelizandum peractus, accinctus renibus & sanctimoniæ destinatus, habens baculum in manibus, & festinans ut Ægypti deserat idola, sequens Moysen, nec formidans uiæ discrimina, quisque purus & syncerus sine fraude homo uerus accedat: et edat et securus quod resurgat, mortem optet, ut attingat ad æterna gaudia, in quibus est uita nostra sursum manens, & nos trahens ad bona cœlestia. Qui uiuit.

EX LACTANTIO FIRMIANO.

SAlue festa dies toto uenerabilis æuo,
Qua Deus infernum uicit, & astra tenet.
Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona redisse suo.
Namque triumphanti post tristia tartara Christo,
Vndique fronde nemus, gramina flore fauent.
Legibus inferni oppressis, super astra meantem
Laudant rite Deum lux, polus, arua, fretum.
Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat:
Dantque creatori cuncta creata precem.

EX AMBROSIO.

CHorus nouæ Hierusalem,
Noua meli dulcedine
Promat, colens cum sobrijs
Paschale festum gaudijs.
Quo Christus inuictus leo
Dracone surgens obruto,
Dum uoce uiua personat,
A morte functos excitat.
Quam deuorarat improbus,
Prædam refudit tartarus,
Captiuitate libera,
Iesum sequuntur agmina.
Triumphauit ille splendide,
Et dignus amplitudine,
Soli polique patriam
Vnam facit rempublicam.
Ipsum canendo supplices
Regem precemur milites,
Vt in suo clarissimo
Nos ordinet palatio.
Per sæcla metæ nescia
Patri supremo gloria,
Honorque sit cum filio,
Et spiritu paraclito. Amen.

S. AMBROSIVS EPISCOP. Mediolanensis.

Ex Paulino presbyt.

HOrtaris uenerabilis pater Augustine, ut sicut beati uiri Athanasius Episcopus, & Hieronymus presbyter, stylo ꝓsequuti sunt uitas sanctorum Pauli & Antonij in heremo positorũ, sicut etiam Martini uenerabilis Episcopi Turonensis Ecclesiæ, Seuerus seruus Dei sermone contexuit, sic eiam ego beati Ambrosij Episcopi Mediolanensis Ecclesiæ, meo prosequar stylo. Sed ego ut meritis tantorum uirorum, qui muri Ecclesiarũ sunt, & eloquentiæ fontes, ita etiã sermone me imparem noui. Tamen quia absurdum esse opinor, quod præcipis declinare, ea quę à probatissimis uiris, qui illi ante me astiterũt, & maxime ab sorore ipsius uenerabili Marcellina didici, uel quæ ipse uidi, cum illi astarem, uel quæ ab his agnoui, qui illum scripta sunt, cum adhuc obijsse nesciretur. Adiutus orationibus tuis & meritis tanti uiri, licet inculto sermone, breuiter strictimq́ꝫ describã. Igitur posito in administratione præfecturæ Galliarũ patre eius Ambrosio, natus est Ambrosius, qui infans in area prætorij in cunabulis positus, cum dormiret aperto ore, subito examẽ apum aduenięns, faciem eius atqꝫ ora compleuit, ita ut ingrediendi egrediendiq́ꝫ frequentarent uices. Quæ pater, qui propè cũ matre uel filia deambulabat, ne abigerent ab ancilla, quæ curã nutriendi infantis susceperat, prohibens: sollicita em̃ erat, ne infanti nocerent. Expectabat tamen patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At illæ pòst aliquandiu euolantes, in tantam aëris multitudinẽ subleuatæ sunt, ut humanis oculis minime uiderentur. Quo facto territus pater ait: Si uixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Operatur em̃ iam tunc dominus in seruuli sui infantia, ut impleretur quod dictũ est: Fauum mellis sermones boni. Illud enim examen apum, scriptorũ ipsius nobis generabat fauos, qui cœlestia dona annunciarent, & mentes hominum de terrenis ad cœlum erigerent. Postea uerò cum adoleuisset, et esset in urbe Roma constitutus cum matre uidua & sorore, quæ uirginitatẽ iam fuerat professa, comite alia uirgine, cuius uirginis soror Candida, & ipsa est eiusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit iam anus, cum uideret sacerdotibus à domestica sororis uel matris manus osculari, ipse ludens offerebat dexterã, dicens & sibi id ab eis fieri oportere, siquidem episcopum se futurum esse memoraret: Loquebatur em̃ in illo spiritus sanctus: qui illum ad sacerdotium nutriebat. Illa uero ut adolescentem & nescientem quid diceret respuebat. Sed postquam edoctus est liberalibus disciplinis, ex urbe egressus est: professusq́ꝫ in auditorio præfecturæ prætorij, ita splendide causas perorabat, ut aligeretur à uiro illustri Probo, tunc præfecto prætorij ad consilium tribuendum. Post quod consularitatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam, Æmiliamq́ꝫ prouincias, uenitq́ꝫ Mediolanum per idem tempus mortuo Au-

xentio

xentio Arrianæ perfidiæ episcopo (qui Dionysio beatæ memorię con fessore ad exilium destinato, incubabat Ecclesiam) cum populus ad seditionem esset, quæ illi cura sedandæ seditionis, ne populus ciuitatis in periculum sui uerteretur, perrexit ad Ecclesiam. Ibiq; cum alloqueretur plebem, subito uox fertur infantis in populo sonuisse, Ambrosium Episcopum. Itaq; qui antea turbulentissime dissidebant, quia et Arriani sibi & catholici sibi episcopum cupiebant, superatis alterutris ordinari repente in hunc unũ mirabili & incredibili concordia consenserunt. Quo ille cognito, egressus Ecclesiam tribunal sibi parari fecit, quippe mox futurus episcopus, altiora conscendit. Tunc contra consuetudinem suam tormenta iussit personis adhibere. Quod cum faceret, populus nihilominus acclamabat: Peccatum tuum super nos. Sed non similiter is populus tunc clamauit sicut populus Iudæorum. Illi enim uocibus suis sanguinem dominicum effuderunt, dicentes: Sanguis huius super nos: Isti uero catechumenum scientes, fideli uoce remissionem illi peccatorum omnium per baptismatis gratiam promittebant. Tunc ille turbatus reuertens domum, philosophiam profiteri uoluit, futurus sed uerus philosophus Christi, qui contemptis sæcularibus pompis, piscatorum secuturus esset uestigia, qui Christo populos congregarunt: non fucis uerborum, sed simplici sermone, & ueræ fidei ratione, missi sine pera, sine uirga, etiam ipsos philosophos conuerterunt. Quod ubi ne faceret, reuocatus est, publicas mulieres publice ad se ingredi fecit, ad hoc tantũ, ut uisis his, populi intentio reuocaret. At uero populus magis magisq; clamabat: Peccatum tuum super nos. At ille cum uideret, nihil intentionem suam proficere posse, fugam parauit. Egressus noctis medio ciuitatem, cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam ciuitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, inuenitur. Deus enim, qui Ecclesiæ suæ catholicę murum parabat aduersus inimicos suos, & turrem erigebat, dabat contra faciem Damasci, hoc est, perfidiam hæreticorum, fugam illius impediuit. Qui inuentus cum custodiretur à populo, missa relatio est ad clementissimum imperatorem tunc Valentinianum, qui summo gaudio accepit, quod iudices à se directi ad sacerdotium peterētur. Lætabatur etiam Probus præfectus, quòd uerbum eius impleretur in Ambrosio. Productus itaq; & adductus Mediolanum, cum intelligeret circa se dei uoluntatem, nec se diutius posse resistere, postulauit nõ se nisi à catholico episcopo debere baptizari. Sollicitã enim habebat perfidiam Arrianorum. Baptizatus itaq; fertur omnia ecclesiastica officia implesse, ad quæ octaua die episcopus ordinatus est cum summa gratia & lætitia cunctorum. Igitur post annos aliquot ordinationis suæ, ad urbem Romam, hoc est, ad proprium solum perrexit, ibiq; sanctam puellam, de qua supra memorauimus, cui manum offerre solitus erat, in domo propria cum germana sicut reliquerat, inuenit, iam matre defuncta.

Atq; cum illa dexteram illius oscularetur, subridens ait illi: Ecce ut dicebam tibi, sacerdotis manum oscularis. Per idem tempus cum trans Tyberim apud quandam clarissimã inuitatus, ut sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix atq; paralytica in lecto iacebat: cũ cognouisset ibidem esse domini sacerdotem, in sellula se ad eandem domum, ad quã ille inuitatus aduenerat, portari fecit, atq; oranti & imponenti manus, uestimenta attigit. Quæ cum exoscularetur, statim sanitate recepta, ambulare cœpit, ut impleretur illud dominicum dictum ad Apostolos: Etiam maiora his facietis, credentes in nomine meo. Ordinato itaq; catholico sacerdote, Mediolanum reuertitur, ibiq; Iustinæ Augustæ mulieris innumeras insidias sustinuit, quæ muneribus atq; honoribus aduersus sanctum uirum oblatis, populum excitabat: sed infirmorũ mentes talibus promissis decipiebantur. Promittebat enim tribunatus, & diuersas alias dignitates, his qui illum de ecclesia raptum ad exilium perduxissent. Quod cum multi conarentur, sed deo pręsule, perficere non ualuerunt, unus infelicior cæteris, nomine Eutimius, tanto furore excitatus est, ut iuxta ecclesiam sibi domũ pararet, atq; in eadem carrum constitueret, quo facilius raptum superpositũ carpento ad exilium perduxisset. Sed iniquitas eius in uerticem ipsius descendit. Post annum eodẽ die quo illũ rapere se arbitrabatur, in eodẽ carpento impositus, de eadem domo ipse ad exilium destinatus est, reputans sibi iusto iudicio dei id in se esse cõuersum, ut in eodem carpento dirigeretur ad exiliũ, quod ipse parauerat sacerdoti. Cui non minimũ solatij sacerdos præbuit dando sumptus, uel alia quæ erant necessaria. Sed hæc cõfessio hominis nec mulieris furorem, nec uoces sonorum Arrianorum clementia repressit. Maiore enim accensi dementia, basilicam Portianam inuadere nitebantur. Exercitus etiam armatus ad custodiẽdas fores ecclesiæ est directus, ut nemo auderet catholicam Ecclesiam ingredi. Sed dominus, qui de aduersarijs suis Ecclesiæ suæ triumphos donare consuenit, ad ecclesiæ suæ munimentum militum corda conuertit, ut aduersis scutis ecclesiæ fores seruarent, nec egredi dimitterent: sed ingredi ecclesiam plebem catholicam minime prohiberent. Sed nec hoc satis erat missis militibus, nisi ut etiam pro catholica fide cũ plebe pariter acclamaretur. Hoc in tempore primo Antiphonæ, hymni, ac uigiliæ in ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt: Cuius celebritatis deuotio usq; in hodiernum diem, non solum in eadem ecclesia, uerum per omnes penè prouincias occidentis manet. Per idem tempus sancti martyres Prothasius & Geruasius se sacerdoti reuelauerunt. Erant enim in basilica positi, in qua sunt hodie corpora Naboris & Felicis martyrũ. Ipse autem uir uenerabilis Episcopus erat multæ abstinentiæ & uigiliarum multarum & laborum, quotidiano ieiunio macerans corpus. Cui prandendi nunquam cõsuetudo fuit, nisi die sabbato & Dominico, uel cum natalitia celeberrimorum martyrum

rum

rum essent. Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte. Nec operã declinabat scribendi propria manu libros, nisi cum aliqua infirmitate corpus eius attenuaretur. Erat enim in illo sollicitudo omnium ecclesiarũ, interueniendi etiam magna assiduitas & constantia. In rebus etiam diuinis implendis fortissimus labor, in tantum, ut quod implere solitus erat circa baptizandos, quinq; postea episcopi tempore quo decessit uix implerent. Sollicitus etiam pro pauperibus & captiuis nimiũ. Nam in tempore, quo episcopus ordinatus est, aurum omne atq; argentum, quod habere poterat, ecclesiæ, uel pauperibus contulit. Prædia etiam quæ habebat, reseruatu usufructu germanę suæ, donauit ecclesiæ suæ. Nihil sibi quod hic suũ diceret, derelinquens, ut nudus atq; expeditus miles Christi dominum sequeretur. Qui cum diues esset, propter nos pauper factus est, ut nos eius inopia ditaremur. Erat enim gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus. Siquidẽ quotienscunq; illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illũ flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum iacente iacere. Causas aũt criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud deum sint, magis q̃ accusatores apud homines. Sed tandem ordinato sacerdote ecclesiæ Ticinensi, incidit in infirmitatem: qua cum plurimis diebus detineretur in lectulo, comes Stilico dixisse fertur, q; tanto uiro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ. Vnde cõuocatis ad se nobilibus uiris illius ciuitatis, quos diligi à sancto sacerdote cognouerat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, ut pergerent ad sanctum sacerdotem, suaderent illi, ut sibi uiuendi peteret à domino commeatum. Quod ille ubi ab illis audiuit, respondit: Non ita inter uos uixi, ut pudeat me uiuere: nec timeo mori, quoniam dominũ bonum habemus. Per idem tempus cũ in extrema parte porticus in qua iacebat, in uno positi Castus, Polenius, Venerius & Felix tunc diaconi secũ tractarent, uoce ita repressa, ut uix inuicem se audirent, qui post obitum illius episcopus ordinandus esset, atq; cum de nomine sancti loquerentur Simpliciani, tanq; interesset tractatui, cum longe positus ab ipsis iaceret, approbans exclamauit tertio: Senex, sed bonus, Erat enim Simplicianus æui maturior. Qua uoce audita expauescentes fugerunt. Defuncto tamen eo non alius illi successit in sacerdotio, nisi is, quem ille bonum senem trina uoce signauerat. Cui Simpliciano Venerius, quẽ supra memorauimus, successor fuit. Felix uero nunc usque Bononiensem regit ecclesiam. Castus autem & Polenius nutriti ab Ambrosio bonæ arboris boni fructus, in Ecclesia Mediolanensi diaconij funguntur officio. In eodem tamen loco, in quo iacebat (sicut referente sancto Basiano episcopo Laudensis ecclesiæ, qui ab eodem audierat didicimus, cum oraret unà cum supradicto sacerdote) ui-

derat dominum Iesum aduenisse ad se, & arridentem sibi. Nec multos post dies ablatus est. Sed eodem tempore, quo à nobis migrauit ad dominum, ab hora circiter undecima diei, usq; ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis orauit. Nos uero labia illius moueri uidebamus, uocem autem non audiebamus. Horatus aūt sacerdos ecclesiæ Vercellensis cum in superiora domus sequi eum composuisset, tertio uocem uocantis se audiuit, dicentisq; sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit sancto domini corpus. Quo accepto ubi glutiuit, emisit spiritum: bonum uiaticum secum ferens, ut in uirtute escæ anima refectior, angelorum nunc consortio, quorum uita uixit in terris, & Heliæ societate lætetetur. Quia, ut Helias nunquam regibus uel ullis potestatibus, ita & iste pro dei timore loqui ueritus est. Atq; inde ad ecclesiam maiorē antelucana hora, qua defunctus est, corpus ipsius portatum est: ibiq; eadem fuit nocte, quam uigilamus in Pascha, quem plurimi infantes baptizati cum à fonte uenirent uiderunt, ita ut aliqui sedentem in cathedra tribunali dicerent: alij uero ascendentem suis parentibus digito ostenderent: sed illi uidentes uidere non poterant, quia mundatos oculos non habebant. Plurimi aūt stellā supra corpus eius se uidere narrabant. Sed lucescēte die dominico, cum corpus illius peractis sacramētis diuinis, de ecclesia leuaretur, portandū ad basilicā Ambrosianā, in qua positus est, ita ibi dæmonū turba clamabat, se ab illo torqueri, ut eiulatus eorū ferri non possit. Quæ gratia sacerdotis, non solum in illo loco, uerum etiam in plurimis prouincijs usq; in hodiernum manet. Iactabant etiam turba uirorum ac mulierum oraria uel semicinctia sua, ut corpus Sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exequiarum turba innumerabilis totius dignitatis, totiusq; sexus, omniumq; penè ætatum, non solum Christianorum, sed etiam Iudæorum & paganorum, maiore tamen gratia ordo præcedebat eorum, qui fuerant baptizati.

EVSTACHIVS MARTYR.

Georg. Vuicelij.



SI uera est historia Placidi Eustachij, habemus in eo reuocatū Cornelium Centurionem simul & Hiobum illum Vzitam. Nam is Cornelius alter erat catechumenus adhuc, Hiobus uero Christianus iam existens. Verum quòd ad cruenta bella Cæsaris impij, ab exilio ac tam grandi tentatione redijsse narratur, minus apud me fidei meretur. Vox Euangelica eius est: Ego Christum deum colo, & illi soli sacrifico. In laude quoq; ponitur, quòd uxorē suam unà cum liberis, Christo adduxit. Vitam finiuit fortiter, in æneo tauro scilicet, in quo, subiecto igni, uiuus exustus est. Quod supplicij inuentum Perilli cuiusdam, primus Phalaris in artificem retorserat. Nō minus exquisito

pœnæ

poenæ genere cruciatus fuit homo militaris Sebastianus. Talem uero Phalarismum fuisse uel in Traiano uel in Hadriano Imperat. quis erat suspicaturus? Raphaël Volater. de S. Eustachio sic habet: Eustachius Romanus Martyr, qui inter aulicos fuerat Traiani principis. Placidus antea dictus, cũ in uenatione ceruum sectaret, conspecto inter eius cornua Crucis simulachro, & uoce ferè eiusdem audita: Quur me persequeris? Domi uxori Thephytæ & filijs rem manifestauit, factiq; ex hoc Christiani ipse unà cum uxore, sub Adriano in æneo tauro necatus est: cuius Romæ templũ festumq; colitur. Hactenus Rapha. Rectius aũt dicit Eustathius q̃ Eustachius. Et procliuis lapsus est apud latinos scribas literę θ in χ. Idem penè lapsus accidit in nomine Acacij, quẽ perperam Achacium uocant, mutantes κ in χ. Est enim græca uox ἀκάκιος, latinis sonat Innocentem hominem, seu qui alienior sit à malitia.

S. FELIX MARTYR.

DE hoc diuo Felice S. Augustinus sup. Psal. CXXVII. in eũ modum scribit: Ergo fratres Felix martyr & uere felix & nomine & corona, cuius hodie Natalis est, contempsit mundum. An forte quia timebat dominum, inde erat felix, inde erat beatus, quia uxor eius tanquam uinea fertilis erat in terra, et filij eius circundederunt mensam eius. Omnia ista perfecte habet, sed in corde illius qui hîc describitur, & quia sic ille intellexit contempsit præsentia, ut acciperet futura. Noueritis autem fratres non eum passum mortem, quam alij martyres passi sunt. Confessus est enim dilatus est ad tormenta, alio die inuentum est corpus exanime. Clauserant enim illi carcerem, sed corpori, non spiritui. Quem illic parabant torquere carnifices, absentem inuenerunt, perdiderunt sæuitiam suam, iacebat exanimis sine sensu illis ne torqueretur, cum sensu apud Deum ut coronaretur. Vnde & iste Felix fratres, non tantum nomine, sed & præmio uitæ æternæ si ista dilexit &c.

S. ACACIVS X. MILIVM MARtyrum antesignanus.

MArtyr sanctissimus in arborem nucis suspensus est, & illic postea constructum Oratorium, quod dicitur domus τῆς καρύας, id est, nucis. Ita enim Socrates Hist. Tripart. lib. xj. cap. xxxv. Alibi legitur Acacium de cruce seu arbore illa socios sermone exhortatum, & Symbolum catholicæ fidei professum fuisse. Decem milium S. Martyrum uexillifer contra Agarenos missus fuerat, qui defecerant à Rom. imperio, tempore Imperat. Anthonini.

S. Linus

S. LINVS I.

Ex Platina.



Inus natione Tuscus, patre Herculaneo, ab ultimo Neronis anno usque ad Vespasiani tempora peruenit: à consulatu Saturnini & Scipionis usque ad Capitonem & Ruffum consules. Hoc autem interuallo imperarunt, sed breui tempore, Galba, Otho, Vitellius. Galba enim uir antiquissimæ nobilitatis in Tyberia Imperator à militibus creatus, ubi Neronis mortem comperit, Romam confestim uenit. Verum cum omnes auaritia ac segnitia offenderet, insidijs Othonis Romæ ad lacum Curtij iugulatur septimo imperij sui mense cum Pisone nobilissimo adolescente: quē in filium per adoptionem susceperat. Vir certe fuit uita priuata insignis militaribus ac domesticis in rebus. Sæpe tamen consul, sæpe proconsul, frequenter dux fuit grauissimis bellis. Hunc ut laudem, facit Marcij Fabij Quintiliani doctrina, quem secum Galba ex Hispania Romam duxit. Otho uero materno genere quàm paterno nobilior, uita priuata, mollis quippe qui Neronis familiaris fuerat, inter tumultos (ut dixi) cædesque inuasit imperium. Cum autem ciuile bellum contra Vitellium in Germania imperatorem creatum molitus, tribus leuibus prælijs superior fuisset, uno ad Alpes, alio apud Placentiam, tertio ad Castorem, quarto apud Bebriacum superatur, unde rerum desperatione sibimet manum iniecit, imperij sui mense tertio. At Vitellius familia magis honorata quàm nobili Romam ueniens, ac imperio potius, in omnem nequitiam, sæuitiam et ingluuiem prolapsus est. Nam tantæ uoracitatis fuit, ut sæpius in die comederet, & una cœna suo iussu duo milia pisciū, & septem milia auium apposita sint. Verum ubi comperit Vespasianum apud Iudæam Palæstinæ ab exercitu Imperatorem creatum cum legionibus aduentare, primum deponere imperium constituit, postea uero à quibusdam animatus, sumptis armis Sabinum Vespasiani fratrem cum Flauianis in Capitolium compulit: quo quidem succenso, omnes concremati sunt. Quare superueniente Vespasiano, cum nullum ueniæ locum sibi reliquisset, è cella palatij, in qua delituerat, turpissimè tractus per uiam sacram, nudus ad scalas gemonias ducitur, ubi excarnificatus in Tyberim proijcitur. Hoc itaque tempore Linus fuit Petri successor. Sunt qui hunc locum Clementi asscribant, & Linum ac Cletum prætermittant, quos nō solum historia, uerumetiā Hieronymi autoritas reprehendit: Quartus (inquit) post Petrum Romæ episcopus Clemens fuit, siquidem Linus secundus, Cletus tertius sunt habiti, tametsi latinorum plerique post Petrum statim Clementem numerent: quem certe constat (tantæ modestiæ fuit) coëgisse Linum ac Cletum ante se munus pontificatus obire, ne posteris hæc principatus ambitio pernitiosi exempli haberetur: licet eidem Petrus quasi ex testamento successionis locum tradiderit. Linus uero ex mandato Petri constituit, ne qua mulier nisi uelato capite tem-

plum

plum ingrederetur. Præterea uero ex sacris ordinibus bis in urbe habitis, presbyteros decem & octo, episcopos undecim creat. Scripsit & res gestas Petri, maxime uero eius contentionẽ cum Simone mago. Huius autem temporibus fuit Philo Iudæus natione Alexandrinus, qui multa ita eleganter & grauiter scripsit, ut dictum merito sit, aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo. Is autem sua doctrina & elegantia Appionis temeritatem contra Iudæos ab Alexandrinis missam compescuit. Romæ uero imperante Claudio consuetudinem cum Petro habuit. Inde multa de laudibus Christianorũ conscripsit. Iosephus quoque Mattathiæ filius, & Hierosolymis sacerdos à Vespasiano captus, ac cum Tito filio tantisper relictus, donec Hierosolymæ caperentur, Romam ueniens, Iudaicæ captiuitatis libros septem patri ac filio obtulit Lini pontificatu, qui etiam in bibliothecam publicam repositi sunt, & autor ipse ob ingenij gloriam statua ac merito certe donatus est. Scripsit & alios XXIIII. antiquitatũ libros, à principio mundi usque ad quartumdecimum Domitiani Cæsaris annum. Linus autem cum sanctitate, & moribus in pretio haberetur, dæmones fugaret, & mortuos in uitam reduceret, à Saturnino consule, cuius filiam à dæmonibus liberauerat, capitali supplicio afficitur: sepeliturque in Vaticano iuxta Petri corpus die undecimo kalendas octobris, cum sedisset in pontificatu annos undecim, menses tres, dies duodecim. Sunt qui scribant Gregorium episcopum Ostiensem corpus sanctissimi pontificis Ostiam ex uoto transtulisse, & in templo Diui Laurentij magnificè collocasse.

S. PHILISPVS ET IACOBVS APOSTOLI.

POlycrates Victori episcopo urbis Romæ scribens Philippi Apostoli ac filiarum eius pariter meminit, dicens: Sicut iam superius inseruimus, quòd magna lumina in Asiæ partibus dormierũt, quæ resuscitabit dominus in nouissimo die Aduentus sui, cũ ueniet in gloria, & requiret omnes sanctos suos. Dico autem de Philippo, inquit, qui fuit unus ex Apostolis, qui dormiuit apud Hierapolim. Sed & duæ eius filiæ inibi uirgines, consenuere, & alia eius filia spiritu sancto repleta permansit apud Ephesum, &c. lib. iij. cap. xxxj. Ex Eusebio.

De alio Philippo, nimirũ diacono, sic scribit idẽ Eusebius: Sed & Philippus, qui erat unus de septem, cum Stephano diaconus ordinatus, descendit Samariam, uirtute dei repletus, & prædicabat primus uerbũ dei Samaritanæ genti. In quo tanta erat diuinæ gratiæ efficacia, ut etiam Simonem magum suis prædicationibus consternaret, qui per idem tempus celebris famæ apud Samaritanorum populos habebatur, ita ut uirtus dei magna esse putaretur. Sed is cum uidisset signa & miracula, quæ

à Philipo per diuinæ gratiæ potestatem fiebant, obstupefactus & territus cessit, & credere se in Christum, usque quo etiam baptismũ acciperet, simulauit, &c. lib. ij. cap. j. De diuo Iacobo Christi Iesu apostolo scribit noster Eusebius quoque hæc uerba: Hunc, inquam, ipsum Iacobum, qui & Iustus cognominatus est ab antiquis, uirtutum merito, & insignis uitæ priuilegio, primum historiæ tradiderunt suscepisse Ecclesiæ, quæ in Hierosolymis est, sedem, sicut Clemens in sexto dispositionũ libro asserit, dicens: Petrus enim, inquit, & Iacobus & Ioannes, post assumptionẽ saluatoris, quamuis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen sibi nõ uindicabant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur Iustus, Apostolorum episcopum statuunt. Idem quoque ipse in septimo eiusdem operis libro addit de ipso etiam hæc: Iacobo, inquit, qui dicebatur Iustus, & Ioanni & Petro post resurrectionem dominus omnem scientiam tradidit, & ipsi cæteris Apostolis, qui Apostoli illis septuaginta discipulis tradiderunt, ex quibus unus erat & Barnabas. Duos autem fuisse Iacobos constat. Vnum hunc Iustum, qui de pinna templi deiectus, fullonis uecte percussus est, & morti traditus. Alius autem est ille, qui ab Herode capite cæsus est. Huius ergo Iusti Iacobi etiam Paulus meminit, cũ scribit: Alium autem, inquit, Apostolorum uidi neminem, nisi Iacobũ fratrem domini. In hoc ergo tempore etiam Thattæus (de quo supra memorauimus) secundum Domini præceptum ad regem Abgarũ missus, ipsum quidem ægritudine morbi corporalis absoluit, uniuersam uero ciuitatem Edessenorum Christo domino fideli satis credulitate sociauit, ita ut in hodiernum ciuitas illa (quippe quæ ipsius domini & saluatoris meruit scripta suscipere) uelut speciali quadam Christo deuotione dicata sit, &c. De S. Philippo Apostolo sic refert D. Hieronymus: Philippus apostolus in Phrygia prædicat Euangelium dñi Iesu. Sepelit Hierapoli, cum filiabus honorifice. De S. Iacobo Apostolo scribit D. Hieronymus in hunc modum: Iacobus, qui appellatur frater *Domini*, cognomento Iustus, ut nonnulli existimant, Ioseph, ex alia uxore, *ut autem* mihi uidetur, Mariæ sororis matris domini, cuius Ioannes *in libro* suo meminit filius, post passionem domini, statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus, unam tantum scripsit Epistolã, quæ de septem catholicis est, quæ & ipsa ab alio quodam, sub nomine eius ædita asseritur: licet paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem. Hegesippus uicinus Apostolicorum temporum, in quinto Commentariorũ libro de Iacobo narrans ait: Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ, post Apostolos frater domini Iacobus, cognomento Iustus: Multi siquidem Iacobi uocabantur. Hic de utero matris sanctus fuit: uinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo. Huic soli licitum erat ingredi sancta sanctorum. Siquidem uestibus laneis non utebatur, sed lineis, solusque

ingre-

ingredietur templũ,& fixis genubus,pro populo deprecabatur, in tantum,ut camelorum duritiem traxisse eius genua crederẽtur.Dicit et alia multa,quæ enumerare lõgũ est. Sed & Iosephus in uicesimo libro antiquitatum refert, & Clemens in septimo Hypoteposeon,mortuo Festo, qui Iudæam regebat, missum à Herone esse successorem eius Albinum,qui cum necdum ad prouinciam peruenisset,Ananus,inquit,pontifex adolescens, Anani filius, de genere sacerdotali,accepta occasione ἀναρχίας, Concilium congregauit, & compellens publice Iacobum, ut Christum dei filium denegaret, contradicentem lapidari iussit, qui cum præcipitatus de pinna templi,confractis cruribus,adhuc semiuiuus tendens ad cœlum manus diceret: Domine ignosce eis: quod enim faciunt,nesciunt. Fullonis fuste, quo rudia uestimenta extorqueri solent,in cerebro percussus, interijt. Tradit item Iosephus,tantæ eum sanctitatis fuisse, & celebritatis in populo, ut propter eius necem creditum sit, subuersam esse Hierosolymam. Hic est, de quo Paulus Apostolus scribit ad Galatas: Alium autem Apostolorũ uidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini.Et apostolorũ super hoc crebrius acta testantur:Euangelium quoq;, quod appellatur secundum Hebræos,& à me nuper in Græcum Latinumq; sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe utitur,post resurrectionem saluatoris refert: Dominus autem cum dedisset sindonem seruo sacerdotis,iuit ad Iacobum,& apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus, se non comesturum panem, ab illa hora, qua biberat calicẽ domini,donec uideret eum resurgentem à mortuis.Rursusq; post paululum:Afferte ait dominus mensam,& panẽ: statimq; additur:Tulit panem,et benedixit,ac fregit,& dedit Iacobo Iusto,& dixit ei:Frater mi comede panem tuum,quia resurrexit filius hominis à dormientibus. Triginta itaq; annos Hierosolymis rexit Ecclesiam,id est,usq; ad septimum Heronis annum, & iuxta Templum, ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est. Titulum usq; ad obsidionem Titi, & ultimam Hadriani, notissimũ habuit. Quidam è nostris in monte olıueti eum putauerunt conditum: sed falsa eorum opinio est.

S. ATHANASIVS EPIS. ALEXADNRIÆ.


Vm post persecutionem Diocletiani & Maximiani imperatorum crudelissimorum pax Christianis et quies data fuisset, & fœcunditas Ecclesiæ fructus exhiberet amplissimos, atque confessorum inclytis meritis gauderet,confusus dæmon,astu callido noua contra Ecclesiam bella, atq; prioribus persecutionibus peiora excogitauit. Et cum creatoris diuinus cultus quotidie per orbem terrarum excresceret,nec aperto bello ut expertus fuerat,comprimi potuisset,sed quanto maiores persecutiones inferebat,tanto maior ecclesiæ gloria,& Ex Ioanne Aretino.

Christianorum uictoria resultabat: noua machinatus non iam aperte, sed ex his, qui nomine potius quam re Christiani dici poterant, aliquos occulte circumueniens ad dissidium fidei & ecclesiæ dei, ac ueri cultus persecutionem adduxit, atque magnam gentem in pristinū redegit errorem, ut creaturam potius quàm Creatorem adorare contenderet, Christum scilicet Iesum, quem creaturam omnino profiteri non uerebantur. Sed Christus ipse, qui Petri nauiculam submergi non patitur, dedit sapientiam sanctis suis, qui cum in illius splendoris radios aciem omnino intendissent, uero lumine illustrati, pro Euangelica prædicatione, ac ueri cultus pietate ad mortem usque decertarunt, atque diaboli machinas conterentes, serpentis antiqui caput fortiter contriuerunt. Inter quos præcipuus Apostolicæ gratiæ particeps magnus Athanasius fuit Alexandrinæ celeberrimæ ciuitatis antistes, qui ueluti margarita præfulgida, feruens spiritu et cœlesti amore saucius, diutissime magistratibus plurimis, atque etiam regibus, hæreticorum ducibus per totum orbem pro tuenda rectæ fidei puritate ardentissime obstitit. Et diuina uirtute fretus aduersus impiorum turbam maximis periculis undique agitatus, uictoriam penitus reportauit. Cuius tanta & tam præclara contra hęreticos in beata ecclesia pro fidei integritate fuêre certamina, ut etiam de ipso id dictum esse uideatur, quod scriptum est: Ego enim ostendi illi, quanta eum pro nomine meo oporteat pati. Nam in eius persecutiones non quadraginta uiri, sed uniuersus penè conspirauit orbis. Commoti sunt principes terræ & gentes, & regna, atque exercitus contra illum conuenerunt. Sed ipse diuinum eloquium opere implebat, quo dicitur: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prędium, in hoc ego sperabo. Verum tanta illius ac talia feruntur gesta, ut uel certamina exponere, uel uariam in diuinis eloquijs differendis sapientiam, quæ in libris ab eo relictis sole clarius eluceret, enarrare nemo quantalibet facundia præditus digne pro meritis posset. Nec nos id efficere pollicemur, sed pro uirili nostra eius quędam gesta, quę apud Græcos conscripta comperimus, in Latinum fidelissime conuertemus. Addemusque alia quædam, quę apud Latinos ac probatissimos autores legendo didicimus, atque in primis quæ nam fuerit pueri indoles, & uitæ tam mirabilis indicium, paucis explicemus. Cum post felicem consummationem beatissimi martyris atque Alexandrinę ecclesiæ præsulis Petri, & post eum Achillas sanctæ memoriæ Alexander ipsius ciuitatis ordinatus esset episcopus, apud Alexandriam Petri martyris solēnem diem agebat. Et cum post expleta solennia cōuenturos ad conuiuiū suū clericos domi expectaret, in loco mari uicino cernit ex editiore parte domus pueros ludū ritu ecclesiastico inire, atque ea quæ in ecclesia geri cōsuetum fuerat, peragere. Erat aūt domus aspiciens mare, in cuius littore ipsi ludebant pueri: inter quos puer Athanasius simulatus erat episcopus, & alij coæui

eo, qui partim presbyteri, partim diaconi designati, offerebãt isti Athanasio Catechumenos pueros baptizandos. Quos ille omni ecclesiastico ritu seruato, baptizabat. Stupefactus autem in his quæ fiebant Alexander, ac ilico perturbatus uocari ad se clericos iubet, atque eis quod eminus ipse uiderat, ostendebat. Tum abire eos & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumq; adessent, qui eis ludus, & quid egissent, uel quomodo, perscrutatur: Illi (ut talis habet ætas) pauidè negare primum cœperunt. Sed ut cognitos se nouerunt, rem omnino gestam per ordinem pandunt. Cum Alexander diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebantur, q̃d interrogati fuerũt, simul & ab Athanasio quid interrogauerat: ubi uidet secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, allocutis clericis, cum consilio clericorum statuisse traditur illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non deberi, sed chrismate eos inungens signaculo Christi confirmauit. Et conuocatis Athanasij parentibus, ac illorum, quos uel presbyteros habere uisus fuerat, uel ministros sub dei obtestatione tradidit ecclesiæ nutriendos. Atq; cum pauco peracto tempore grammaticam sufficienter Athanasius atq; integre ꝑdidicisset, tanq̃ fidele domini commendatum à parentibus episcopo Alexandro restituitur. Qui ab eo uelut alter Samuel in templo domini nutriendus accipitur, ut si in senectute bona ad patres à domino uocari cõtingeret, ad portandum post se sacerdotale Ephod eligatur. Interim cum successu temporum mirabiliter diuinis literis eruditus euaderet, & acrimonia ingenij, atq; integritate uitæ cæteris præstaret, instituente Alexandro Archidiaconus Alexandriæ ordinatur ecclesiæ. Cuius ingenium, fides, ac pietas in ecclesiasticis negocijs, quanta fuerint apud Nicenam in æcumenico, seu uniuersali Concilio ob causam congregato, ad quod cum episcopo suo conuenerat, omnibus palam fieri cœpit, &c. Hilarium uero in Italia tunc degentem, hoc idem moliri repperit. Qui cum uir esset natura lenis & placidus, simulq; eruditissimus, & ad persuadendũ commodissimus, rem diligentius & apertius procurabat, atq; libros de fide nostra nobiliter conscriptos edidit. Quibus & hæreticorum uersutias, & nostrorum deceptiones, & male credulam simplicitatem ita diligenter exposuit, ut & præsentes & longe positos, quibus ipse per se disserere uiua uoce non poterat, perfectissima instructione corrigeret. Ita duo isti uiri uelut magnifica mundi lumina Illyriam, Italiam, & Gallias suo splendore radiarunt. Interea audiens Iulianus, prædicationibus Athanasij plures ex paganis ad Christi fidem conuerti, atq; ex idolorum sacerdotibus nonnullas uxores habere Christianas, filiosq; & seruos, infremuit ira. Nec fictæ temperantiæ imaginem continere potuit, indicantibus maxime ipsis magis, nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasium uelut horum omnium obstaculum, sustulisset. Ob quod iterum

mittitur exercitus, iterum duces, iterum oppugnatur ecclesia. Verum cùm mœsti & flentes populi circumstarent, prophetico apud eos usus sermone perhibetur. Nolite, inquit, ô filij perturbari, quia nubecula est, & cito pertransibit. Et cum discessisset, ut refert etiam Rufinus, & naui per Nilum fluuium iter ageret, comes qui ad hoc ipsum missus fuerat, cognito eius itinere, instanter eum insequi cœpit. Et cum fortè Athanasij nauicula ad locum quendam applicuisset, comperit à prætereuntibus post tergum esse percussorem suum, & iamiam nisi prospiceret, imminere. Conterriti omnes qui simul aderant socij, eremum suadebant ad fugæ præsidium petendam. Quibus ille: Nolite, inquit, ô filij deterreri: Eamus magis in occursum percussori nostro, ut sciat, quia longe maior est qui nos defendit, q̃ qui persequitur. Et conuersa nauicula iter agere obuiã ei qui se insectabatur, aggressus est. Ille qui nullo pacto suspicari poterat in occursum sibi uenire, quem quæreret, tanquam quosdam prætereuntes interrogari iubet, ubi uidissent esse Athanasium. Et cum respondissent, se uidisse eum à longe euntẽ, tota celeritate pertransiens, in uanum festinans, capere properabat, quem ante oculos positum uidere non poterat. Ille uero Dei uirtute munitus, Alexandriam redijt. Ibiq; tuto latebras, usquequo persecutio cessaret, exegit. Interim secundo anno Imperij sui Iulianus in Persas profectus, nostram post uictoriam, dijs sanguinem uouerat, ut scribit Hieronymus: Sed inconsultius cum à suorum erraret agminibus, forte ab obuio hostium æquite, ilia perfossus interijt, anno ætatis suæ trigesimo secundo. At Calixtus, qui inter familiares Imperatoris tũc militabat, heroico uersu eius uitam Græca lingua describens ait, eum à dæmone uulneratum, occubuisse. Cuius laudes Libanius rhetor, magnæ etiam nunc famæ apud Græcos, conscripsit. Qui & illi in gloriã tribuit, lectitasse nocte libros, ut enixius contra asserentes Palæstinum hominem deum deiq; filium, prœliaretur. Post eius igitur mortem sequenti die Iouianus ex primicerio domesticorum, Imperator ab exercitu factus est. Qui composita pace cum *Barbaris*, prout tempora deposcebant, ad Romanum regressus solium, rem publicam totam post nimias quasi procellas, omni ratione reparare aggreditur: Atq; ecclesiarum curam, & ueram religionem in primis habere. Nec id incaute, ut constantius egerat, sed ipsius lapsu admonitus, Athanasium, quem constantissimum & omnium prudentissimum senserat, honorificis, & officiosissimis literis requirit, ut ab ipso formam fidei, & ecclesiarum reponendarum normam suscipiat. Cui ab aliquibus creditum est illi symbolum illud pulcherrimum destinasse: Quicunque uult saluus esse. Alij uero, ut Theodoricus affirmat, Athanasium illi simplicem Niceni Concilij fidem misisse: ad quem apud Antiochiam degentem, Athanasius deuenisse scribitur, & magno illi amore deuinctum suasisse, ut legem ferret, Ne quis, non dicam rapere, sed attentare

sacratas

ſacratas uirgines in matrimonium de cætero auderet. Et hoc ideo, quia Iuliani temporibus quidam apud Alexandriam atque alia diuerſa loca homini ſacras rapuerunt uirgines, & matrimonio ſibi coniunxerunt. Poſt hæc remittẽs Athanaſium Alexandriam, curam diſponendarũ eccleſiarũ, atq; omniũ populorũ Ægypti ei cõmiſiſſe Sozomenus ſcripſit. Sed hæc tam *pia tam*q; læta principia, mors immatura corrupit. Poſt octo *etenim menſes* imperij ſui, & ætatis anno quadrageſimo quarto apud *Ciliciam diem* obijt. Poſt quẽ Valentinianus imperiũ ſuſcepit, qui (*ut Ruffinus* ſcribit) pro fide noſtra à Iuliano militia fuerat expulſus. *Sed compleuit* in illo dominus, quod promiſit, plus etiam, q̃ centuplũ *in præſenti* ſęculo reſtituens ei, ut qui militiam pro Chriſto reliquerat, *recepit* imperium. Qui, ut ſcribit Theodoricus, non modo fortitudine, *ſed* prudentia, temperantia, iuſtitia, & uera religione, atq; corporis magnitudine & pulchritudine pręfulgebat, regius pariter & urbanus. Qui cum exercitus ei conſortem imperij ſociare tentaſſet, reſpondiſſe fertur: Veſtrum, inquit, fuit ô milites, Imperatore non exiſtente, mihi, imperiũ: Verum ubi hoc ſuſcepi, meum iam, non ueſtrum eſt, de rebus cogitare cõmunibus. Cuius prudentiam admirati milites, omnem eius perſecuti ſunt uoluntatem. Verum quod non debuit in conſortium regni Valentem fratrem aſſumpſit, & ſibi quidem occidentis partes delegit, illi autẽ orientales reliquit. Valentinianus igitur Italiam pergens, omnia pie & religioſe diſponebat: cuius imperij anno primo Auxentio Arriano epiſcopo, aqud Mediolanum defuncto, Ambroſius ad epiſcopatum aſſumitur, & omnes ad fidem rectam in Italia conuertit. Et ſequenti anno mortuo Liberio, Romanę eccleſię gubernacula ſuſcepit Damaſus. Quo anno Valentinianus legem ſtatuit de ueræ fidei & ſanctæ Trinitatis obſeruatione, quam & ſuo & Valentis fratris nomine, atq; filij gratia, quẽ Imperatorẽ ſimiliter fecerat, promulgauit. Et Valens cum in initio imperij recta fide incederet, ab uxore, more Adam, ſeductus, quæ prius ipſa ab Eudoxio Conſtantinopolitano epiſcopo Arrij perfidia imbuta fuerat, *in* eius impietatẽ prolapſus eſt. Nam & Valens cum cõtra Gotthos qui Iſtrum ꝑtranſierant, & Thraciam peragrans proficiſci intenderet, ne ſine baptiſmate pergeret, ab Eudoxio baptizari uoluit, à quo iuramento aſtrictus fuit, ne dogmatis Arriani impietatẽ quoad uiueret, abnegaret, atq; omnes contra ſentientes, undiq; inſequeretur. Quamobrẽ fauendo hæreticis, omnem orientis perturbauit Eccleſiam, et epiſcopos Catholicos presbyteroſq;, atq; diaconos, & monachos plures in exiliũ exegit. Verum in cęteros cum principis perſecutio debaccharet, ab Alexandria & tota Ægypto ob Athanaſij reuerentiã, uelut quadã diuina uirtute ꝓhibitus, abſtinuit. At beatiſſimus Athanaſius longo iam tempore in Eccleſia ſua & tota Ægypto pacem cernens, quadrageſimo & *ſexto anno* ſacerdotij ſui, poſt multos agones, multaſq; patentiæ coronas, ad

nas, ad ueram uitam translatus, requieuit in domino, anno quarto imperij Valentiniani. A' tempore uero, quo assumptus fuerat Alexander ad episcopatum Alexandrinum, computari posse uidentur anni ferè sexaginta. Quo anno sanctus episcopus uiderat Athanasium gerentem ludum ecclesiasticum, qui uerisimiliter octo & nouem, aut decem ætatis suæ annos gerere poterat. Ex quo ætas eius usq; ad septuagesimum annum, uel circa, extendi potuisse uidetur. Verũ sciscitatus Athanasius de successore, Petrum archidiaconum Alexandrinum, tribulationum suarum participem & socium, delegit. Sed Lucius ab Arrianæ partis Episcopis, ad eandem sedem episcopus similiter ordinatus, ueluti lupus rapax Alexandriã aduolat, & potentia regia Petrum de sede expellit. At ille nauem conscendens, Romam ad Damasum pontificem maximum profugit. Qui sua uirtute & sapientia pacem Ecceſijs reddi procurauit, Donante domino nostro Iesu Christo, qui uiuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

GEORGIVS MARTYR.

Georg. Vuicelij.



Eorgius ex Cappadocia patria, chiliarchus seu tribunus militum, tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum Romanorum fuisse perhibetur. Is cum Euangelium Christi Iesu edoctus esset, fidemq; illi, non tantum nomen dedisset, gessit se ubiq; locorum, quemadmodum Christianum decuit, nimirum miles Christianus iam, atq; cum spiritalibus in aëre hostibus belligerãs ac colluctans. Ab eo uiro fertur draco immanis in Lybia confossus esse, idq; non humana, sed diuina uirtute. Herculem monstrorum domitorem mendax gentilitas olim habuit. Nobis ille Georgius uerus Hercules esse debet, cuius manu fortissimus Deus Lernæam hydram uere contudit, adeoq; contriuit. Et non potest non credibile esse, grande miraculum: Siquidẽ deo omnia possibilia, Christiani credimus. Gentilitas persuasa poëticis fabulis, credidit quicquid confingebatur de tauro Marathonio, & Calydonio apro, beluis terræ exitiosissimis. Verum quando nos omnipotentiæ diuinæ fortiter gesta omnia religiose adscribimus, nihil absurdũ habuerit, draconem Lybicum abs deo per dexteram Christiani equitis è medio sublatum, ne plus damni inferret miseris mortalib. Etenim dei est, per organum electorum suorum hominibus prodesse, inq; maximis malis opem ferre. Dij atq; idola dæmoniorum quid ualuerint, quidue effecerint in omni terrarum orbe, suo exitio experti sunt gentiles. Christo duce, Georgius hastam uibrat, aduersus hydram impetu fertur, barathrum teterrimũ uincit, figit, interficit, atq; eo beneficio liberatur regia filia, & eodem miraculo tanto magna uis paganorum Christo duci lucrifit, dum prædicato Euangelio, datore spiritu creditur, dum baptizatur, dum crescit Ecclesia. Esto tu quoq;, quicunq; censeris Christianus,

nus, Georgius, seu si mauis, Theurgius, idq; re ipsa. Pater coelestis γεώργος est, inquit Euangelista. Nos huius mystici agricolæ γεωργία sumus, sicut Apostolus ait. Beatam agricolationem, si spiritu alacerrimo imbuti fuerimus, quo pectus robustissimi militis redundauit in præclarissimũ facinus. Draco *Leuiathan*, ipse diabolus est: filia regis, sponsa Christi, seu Ecclesia. Hanc si è fauce mortifera sæuissimi hostis eripias, Georgiũ præstiteris: *hac præsertim* tempestate sectarum caliginosissima. Excelso animo *inuadendus* est cacodæmon, nec ad speciem diabolicæ immanitatis expauescendũ. Fidei fortitudine deijcitur magna bestia uno ictu testacei *uasculi*. Tanta est uirtus firmissimi Iehesu in infirmissimis mẽbris suis.

Cæterum fidem ac eiusmodi strenue facta Euangelici militis, inuidia uicti satanæ, crux atrox sequi solet. Monstratum illud ipsum est in Georgio, & in plerisq; sanctis dei hominib. Cæso dracone, liberato populo, adornata Ecclesia, excitatur imperatorius furor in gregem dominicum. Multa Christianorum milia passim martyrij palma donantur, non ob aliud, q̃ q Christiani erant. Nam eo tempore iudicabatur, Christianũ esse, hominem perditissimum, atq; ipsa luce esse perindignum: regnante nimirum potestate tenebrarum. Tanta in persecutione optimorũ hominum uim inuicti spiritus exerẽs Georgius, & supplicio addictos fratres solari, & crudeles tyrannos increpare cœpit, citato Psalmo: Omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem coelos fecit. Qua contione offensi proceres, uiolentas manus uiro fortissimo afferunt. Interrogatus de patria ac cõditione, intrepide omnia respondet, iam non miles Romanus, sed Christianus. Vbi audit Christi & Euãgelij nomen, ardent ira bipedes leones, iubent abripi confessum Christianum ad multa pœnarũ genera, quæ sunt stupenda dictu. Sed sentit in summis tormentis se diuinitus refici, ac corroborari. Adhibetur Magica, ut cuius præstigijs diuina uirtus in Georgio ostensa in cõtumeliam Christiani nominis uertatur. Verum tanto contumeliosius ipsa ars satanica exibilata est, quo immobilius uir dei perstitit. Adhibẽtur item inescando militi haud quaquam delicatulo blandarum persuasionum illecebræ; sed in hoc quoq; omnis opera luditur. Versutiæ prudentiam opponit, fraudem mirabili techna fallit. Pollicetur tyranno, se omisso deo, dijs sacrificaturum. Hac exorta fama, læto clamore accurritur. Georgius idolẽon subit, uelut sacra facturus de more gentilium: sed in spiritu Heliæ fusis ad deum coeli flagrantissimis precibus pro retegenda paganorũ impietate, pro illustranda Christi Iehesu gloria, accidit, ut igne coelesti delubrum unà cum sacrificibus suis absumeretur: nec id sine terræmotu. Potentes preces prophetici zeli, atq;, quod ad concussionem terræ attinet, Apostolici exempli. Eo miraculo plurimum fructus ad Euangelium redijsse, uerisimile est. Cum primis dicitur tyranni uxor Christi nomen professa esse cum magna sexus muliebris admiratione. Nondum uerò baptizata hæc, sed ad

m huc

huc catechumena scuticis ac scorpionibus cæsa, supremũ flatum tradit, quippe in sanguine proprio tincta ac renata, iuxta admonitionẽ Georgij, qui pugil tandem in arenam educitur, cum ipsa morte decertaturus. Mors superata doluit, dum spiculatoris ense tyrannus Georgium è uita sustulit. De hoc inclyto martyre Christi S. Ambrosius in libro præfationum, qui intercidisse fertur, tale testimonium profert: Georgius fidelissimus miles Christi, dũ Christianismi ꝓfessio tegeretur, solus inter Christicolas intrepidus dei filium Iesum confessus est. Cui tantam constantiam gratia diuina concessit, ut & tyrannicæ potestatis præcepta contemneret, & innumerabilium non formidaret tormenta pœnarũ. O felix & inclytus præliator Domini, quem non solum temporalis regni nõ persuasit blanda promissio: sed persecutore deluso, simulachrorum eius portenta in abyssum deiecit. Idem Ambrosius de eodem: Ob hoc regina quoq; Persarum crudeli à dictata sententia, nondũ baptismi gratiam consequuta, gloriosæ passionis meruit palmam, &c. S. Gregorius epistol. lib. x. ad Marinianum Abbatem, mentionem diui Georgij facit, quippe mandans, ut templum Georgij nomine nuncupatum restauret, & sacram Psalmodiã in eo restituat. Veteres Græci recensent in Diario sub finem Aprilis, γεώργιον, σέβεσαν τε τοὺς στρατηλάτας, hoc est, militię præsides. Et hodie diui Georgij celebritas apud Græcos præ cęteris perq; eximia est. Orandum est, ut nos sanctissimi martyris fidem & charitatem imitari possimus.

TESTIMONIVM GRAECAE ECCLESIAE DE DIVO Georgio, ex Cyri Theodori Epigrammatis.

εἰς τὸν ἅγιον γεώργιον ἐν λευκῷ λίθῳ τυπωθέντα.

παῖς Ἀβραὰμ ὁ μάρτυς ὄντως ἐκ λίθου πλαῶ εἰ τις σαρκὸς εἶχεν ἐρυθρωμένον. ἔχτο ὤφθη τοῦτο, λευκὸν εὑρέθη μαρτυρικοῖς ὑδρῶσιν ἐκπεπλησμένον.

εἰς τὸν αὐτόν. φθάνει γεωργεῖν εἰς ἑκατὸν ἡ πέτρα οὐ στάχυν, ἀθλητῶν δὲ τὸν χρυσοῦν στάχυν μὴ τὴν ἀερμῶν εἶχεν ἡ πέτρα δρόσον, δι' ἧς ὁ μάρτυς ἐκ φυσῆς ἀνεγράφη.

Qui hodie uiuunt Gręci, appellant S. Georgium Megalomartyra, hoc est, magnum Christi testem, & Tropæophorum, id est, uexilliferũ. Fuit præter hunc & alius Georgius, qui dicitur diaconus, cuius socius Aurelianus, ij apud Cordubam Hispanię pro Christi Iesu nomine passi sunt. Sic enim Adonis Martyrolog. habet.

IN BASILICAM S. GEORGII MARTYRIS, Fortunati presbyteri carmen.

MArtyris egregij pollens micat aula Georgij,
 Cuius in hunc modum spargitur altus honor.
Carcere, cæde, fame, uinclis, site, frigore, flammis
 Confessus Christum duxit ad astra caput.
Qui uirtute potens, orientis in axe sepultus,
 Ecce sub occiduo cardine præbet opem.

Ergo

Ergo memento preces & reddere uota uiator,
Obtinet hic meritis, quod petit alma fides.
Condidit antistes Sydonius ista decenter,
Proficiant animæ quæ noua templa suæ.

MARCVS EVANGELISTA.

EVsebius Cæsar. lib. ij. cap. xv. de S. Marco hæc in monumentis reliquit: Igitur cum Romanæ urbi clarũ uerbi Dei lumen fuisset exortum, Simonis quidem tenebrę cum suo autore restinctæ sunt. Sermo autem ueritatis & lucis, qui per Petrum prædicabatur, uniuersorum mentes placido illustrauit auditu, ita ut quotidie audientibus eum nulla unquam satietas fieret. Vnde neq; auditio eis sola suffecit, sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorant, ut ea quæ ille uerbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam scripturæ traderet, quo domi forisq; in huiusmodi uerbi meditationibus permanerent. Nec prius ab obsecrando desistunt, quàm quę orauerant, impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur Euangelium. Petrus uero, ut per spiritum sanctum religiose se spoliatum comperit furto, delectatus est, fidem eorum per hęc deuotionemq; considerans, factumq; confirmauit, & in perpetuum legendam scripturã ecclesijs tradidit. Clemens in sexto Dispositionum libro hæc ita gesta esse describit. Cuiq; simile dat testimonium etiam Hierapolites episcopus nomine Papias: qui & hoc dicit, quòd Petrus in prima Epistola sua, quam de urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylona nominarit, cum dicit: Salutat uos ea quę in Babylone est electa ecclesia, & Marcus filius meus. Hunc autem Marcum tradunt primum ad Ægyptum perrexisse, atq; inibi Euangelium quod ipse conscripserat, prædicasse, & ipsum primum ecclesiam apud Alexandriam constituisse. Tanta autem refertur multitudo credentium uirorum ac mulierum, primo ingressu exemplo sobrietatis eius & continentiæ cõgregata, ut etiam conuersatio eorum qui per ipsum crediderant, & uita totius abstinentiæ, ac frugi eorum sobriaq; conuiuia, librorum memoriæ mandarentur à uiro disertissimo Philone, quem sermo tenet temporibus Claudij Imper. Romam uenisse, & Petrum Apostolum uidisse, atque eius adhæsisse colloquijs, uerbum Dei prædicantis. Quod ualde est uerisimile: quia & scripturam istam, quam diximus, posterioribus ab eo temporibus constat esse compositam. In qua euidentissime omnia ecclesiæ instituta complectitur, quæ & tunc tradita sunt, & in hodiernum seruantur à nobis. Sed & abstinentium uitas, eorum duntaxat, qui nunc in ecclesijs uel monasterijs degunt, describit ad liquidum. Vnde plane manifestissime proditur, non solum sciens quę nostra

sunt, sed & amplectens: qppe qui diuinis laudibus extulit sui temporis Apostolicos uiros, ex Hebræorũ (quantum intelligi datur) præcipue genere credentes: quoniamquidem constat, quod hi qui sub Apostolis ex Israëlitis credebant, Iudaicis adhuc institutionibus, & legis obseruationibus inhærebant. De Hermagora discipulo Marci ciue Aquileiensi, quem Aquileię à populo electum, episcopum ibidem constituit: Item de Calciario Ananio, qui successit illi Alexandriæ, ibi ordinauit Ecclesiam: Vide Hierony. ad Euagrium. Fuit S. Marcus unco tractus Alexandriæ, spiritum Deo suo commendauit, &c.

CLETVS I.

Ex Platina.



CLetus patria Romanus, de regione Vicopatritij, patre Æmiliano, adhortante Clemente pontificatus onus inuitus suscepit, licet doctrina, moribus, & dignitate plurimum apud suos ualeret. Fuit aũt tẽporibus Vespasiani & Titi, à cõsulatu Vespasiani septimo, & Domitiani quinto, usq; ad Domitianũ & Ruffum consules, ut Damasus scribit. Vespasianus eñ (ut antea dixi) Vitellio successit, bellumq; Iudaicũ biennio ante ꝓtractum, Tito filio cõmendauit, q̃d quidẽ biennio pòst cõstantissime absoluit. Nam capta Iudæa, euersis Hierosolymis, temploq; solo ęquato, ad sexcenta milia hominũ interfecta referunt: licet Iosephus Iudæus eo bello captus, ac uita donatus, ꝙ et mortẽ Neronis, & Vespasianum Imperatorem breui futurum prędixerat, undecies centena milia ferro ac fame eo bello perijsse scribat, captaq; ad centum milia, ac publice uenundata. Nec id uero dissonum uideri, cum referat azymorum dies tum fuisse, quo tempore ex omni Iudæa Hierosolymam tanquam in publicum carcerem, tum uel maxime die Phase, quo Christum occiderunt, sunt profecti, daturi pœnas, & frequentis contra populum Romanum defectionis, & sceleris atq; perfidiæ, qua Christum innocentem peremêre. Deuictis itaq; Iudæis, triumpharunt pater & filius, eodem curru uecti, subsequente Domitiano equo albo insidente. Extant adhuc in uia noua huius triumphi monimenta: apparent insculpta candelabra, apparent tabulæ ueteris legis è templo ablatæ & in triumphum ductæ, hac etiam in uictos humanitate usus, ut omnes qui ex familia Dauid superfuissent, uelut ex regia stirpe conquisitos in precio habuerit. Idem quoq; imperio semper modestissime usus est. Tantæ enim lenitatis & clementiæ fuit, ut reos etiam maiestatis, uerbis tantum castigatis dimitteret: petulantium & loquacium dicta contemneret, offensarum & inimicitiarum immemor. Colligendarum tamen pecuniarũ nimium studiosus habitus est, licet ex alieno non raperet, eis deniq; pecunijs ad liberalitatem & magnificentiam uteretur. Nam & templum Pacis foro proximum diui Claudij cœptum perfecit, & amphithea

phitheatrum, cuius partē cum admiratione adhuc cernimus, inchoauit. Virtutem autem Titi filij tanti semper fecit, ut tumultuantibus quibusdam ob cupiditatem imperandi dixerit: Aut neminem, aut filium imperio potiturum: & merito quidem, cum ob uirtutem & integritatem animi, Titus amor & delitiæ humani generis haberetur. Nam & eloquentissimus in pace, & fortissimus in bello, & clemētissimus in delinquētes est habitus: ita comis & liberalis, ut nulli quicquam negaret. Hoc cum reprehenderent amici, respondisse fertur: Neminem à uultu principis tristem discedere oportet. Addidit & illud, recordatus quòd nihil cuiquam muneris dedisset, amici, diē perdidi. Nemo ante se magnificentia maior fuit, absoluto atq; dedicato amphitheatro, thermisq;, edita uenatione ferarum quinque milium. Reuocauit etiam ab exilio Musonium Ruffum philosophum insignem, & Asconij Pædiani uiri doctissimi familiaritate delectatus est. Perijt autem anno imperij sui secundo: delatusq; ad sepulchrum est publico luctu, ac si parēte orbati omnes essent. Sunt autem qui scribant, anno secundo Vespasiani, qui annis decem imperium obtinuit, Cletum Lino successisse. Vtcunq; sit, constat Cletum uirum optimum ac sanctissimum fuisse, nihilq; prætermisisse, quod ad augendam ecclesiam Dei pertineret. Huius autem temporibus fuit Lucas medicus Antiochensis, Græci sermonis apprime doctus, Pauli apostoli imitator, & omnis peregrinationis eius comes ac socius. Scripsit aūt Euangelium, quod à Paulo laudatur. Vnde merito Euangelium illud suum esse Paulus dicit. Apostolorum uero res gestas, quemadmodum uiderat, conscripsit. Vixit annos octogintatres: uxorem habuit in Bithynia, sepultus est Constantinopoli: ad quam urbem xx. Constantij anno eius ossa cum reliquijs Andreæ apostoli de Achaia translata sunt. Philippus quoq; eadem tempestate ex Scythia, quam uiginti annis in fide, exemplo, prædicatione retinuit, in Asiā rediens, Hierosolymis moritur. Cletus autem cum ecclesiam Dei optime pro tempore constituisset, redactis in ordinem ex mandato Petri uigintiquinq; presbyteris, sub Domitiano martyrio coronatur, ac sepelitur apud beati Petri corpus in uaticano, quinto calendas Mai. Affecti & alij multi martyrio, inter quos est habita & Flauia Domicilla Flauij Clementis consulis ex sorore neptis, in insulam Pontiam relegata, quia Christianā se fassa est. Sedit autem Cletus annis XII. mense I. diebus XI.

S. VITALIS ET AGRICOLA MARTYRES.



Qui ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta secū referre cōsueuerunt. Ego ad Bononiense inuitatus conuiuium, ubi sancti martyris celebrata translatio est, apophoreta uobis plena sanctitatis & gratiæ reseruaui. Apophoreta autem solent ha- *Ex S. Ambrosio.*

bere triumphos principum: & hæc apophoreta triumphalia sunt. Christi enim nostri principis triumphi sunt martyrum palmæ. Nec uero huc dirigebam iter, sed quia petitus à uobis sum, debui mecum deferre, quæ alijs parabantur, ne minor ad uos uenirem, ut quod in me minus est, ꝙ præsumebatur, in martyre plus inueniretur. Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis seruus fuit antè nunc consors & collega martyrij. Præcessit seruus, ut prouideret locum, secutus est dominus, securus ꝙ fide seruuli iam inueniret paratum. Non aliena laudamus. Passio enim serui Domini disciplina est. Hic instituit, ille impleuit. Nihil illi decerpitur. Quomodo enim minui potest, quod Christus donauit? Egregie & ille qui homini seruiuit, seruiendo didicit, quomodo Christo placeret. Hic tamen geminam laudem acquisiuit: In illo magisterij, in se martyrij. Certauerunt tamen inter se inuicem beneficijs, postquàm æquales esse meruerunt. Hic illum ad martyrium præmisit, iste illum accersiuit. Nullum ergo ad commendationem hominis conditio affert impedimentũ, nec dignitas prosapiæ meritum, sed fides affert. Siue seruus, siue liber: omnes in Christo unum sumus, & unusquisq; quodcunq; fecerit bonũ, hoc recipiet à domino. Nec seruitus derogat, nec libertas adiuuat. Vide ad eam rem ꝗ nihil in cõditione momenti sit. Seruus inquit uocatus es, non sit tibi curæ. Qui enim uocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi. Vide inquam uim apostoli. Plus putatur dedisse ei, qui seruus, ꝙ ei qui liber uocatus est. Ex seruo enim libertus Christi fit, ex libero seruus. Sed nulli plus dedit, uerum utriq; æqualem mensuram diuisit. Apud Christum enim seruitus & libertas æqua lance penduntur: nec ullo discerniculo bonæ seruitutis & libertatis merita diuiduntur: quia nulla maior est dignitas, ꝙ seruire Christo. Deniq; Paulus seruus Christi Iesu. Hæc enim seruitus gloriosa est, in qua gloriatur Apostolus. An nõ summa gloria est, quando tali precio æstimati sumus, ut sanguine Domini redimeremur? Sed pergamus ad cætera. Cumq; sanctus Vitalis cogeretur à persequentibus, ut Christum negaret, & ille amplius profiteretur dominum *Iesum* Christum, omnia tormentorum genera in eum exercentes, ut non esset in corpore eius sine uulnere locus, orationem fudit ad Dominũ, dicens: Domine Iesu Christe saluator meus, & deus meus, iube suscipi spiritum meum, quia iam desidero, ut accipiam coronam, quam angelus tuus sanctus mihi ostendit. Et completa oratione, emisit spiritum. Sanctus uerò Agricola mitior habebatur moribus, ut ab ipsis etiam inimicis diligeretur. Ideoq; differebant eius passionem. Sed hæc persequutorum honorificentia omni erat immanitate acerbior, quæ inuidebat martyrium. Deniq; ubi nõ acquieuit sanctus Agricola, crucifixus est, ut aduertamus illas blanditias eorum non sedulitatis fuisse, sed fraudis. Supplicio serui dominum terrere uoluerunt. Vertit hoc Christus in gratiam, ut martyrio serui

rio serui dominus inuitaretur. Vtrique nomen aptum martyrio, ut designati ad martyrium ipsis uocabulis uiderentur. Ille Vitalis dictus est, quasi qui cõtemptu istius uitæ, ueram illam uitam æternam sibi haberet acquirere: Iste Agricola, qui bonos fructus spiritalis gratię seminaret, & sacri sanguinis effusione, meritorum suorum omnium uirtutumque rigaret plantaria. Sepulti aũt erant Agricola & Vitalis in Iudæorum solo inter ipsorum sepulchra. Iudæi ambierunt cum seruulis sepulturæ habere consortium, quorum dominũ negauerunt. Sic & aliquando Balaam dixit: Moriatur anima mea pro animis iustorum, & tamen nõ communicauit eorum operibus, cum uiueret, quorum in animis cupiebat mori. Et isti, quos uiuentes persecuti sunt, mortuos honorabãt. Illic igitur martyris exuuias requirebamus, tanquam inter spinas rosam legentes, circũfundebamur Iudæis, cum sacræ reliquiæ eueherentur. Aderat populus Ecclesiæ cum plausu & lætitia. Dicebant Iudæi: Flores uisi sunt in terra, cũ uiderent martyres. Dicebant Christiani: Tempus incisionis adest. Iam qui metit, mercedem accipit. Alij seminauerunt, & nos metimus martyrum fructus. Iterum audientes Iudæi uoces plaudentis Ecclesiæ, dicebãt inter se: uox torturis audita est in terra nostra. Vnde bene lectũ est: Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiã. Dies diei, Christianus Christiano: Nox nocti, Iudæus Iudęo. Indicabant ergo Iudæi, quod haberent scientiam martyrum, sed non scientiam uerbi: Id est, non secundũ illam solius boni, & solius ueri scientiam. Ignorantes enim Dei iustitiã, & uolentes se iustificare, iustitiam Dei non receperunt. Detuli ergo uobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophęa, cuius gratiam in operibus agnoscitis. Certè & ipsi dęmones confitentur. Condant alij aurum atque argentum, ac de latentibus eruant uenis: Legant preciosa monilium serta: Temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus pernitiosus. Nos legimus martyris clauos, & multos quidem: & plura fuerunt uulnera, quam membra. Clamare martyrem diceres ad populũ Iudæorum, cum clauos eius colligeremus. Mitte manus tuas in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Collegimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum. Hæc sanctæ uiduæ negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur, &c.

MARCELLINVS I.

MArcellinus natione Romanus, patre Proiecto, Diocletiani Dalmatæ obscuro loco nati, & Maximiani temporibus fuit. Diocletianus enim anno ab urbe condita M.XLI. ab exercitu Imperator electus, Aprum qui Numerianum interfecerat ipsemet occidit. Verum moto in Gallia tumultu potius quam bello, eò cum exercitu Maximianum cognomẽto Herculeum misit, qui agrestes facile compescuit. *Ex Platina.*

pescuit. At uero circumstrepentibus undiq; bellis, cum solus Diocletia nus resistere tot periculis non posset, Maximianum Augustum, Constantium uero & Maximianum Galericum cæsares creat. Maximianus autem Herculeus Carausio fraude Alecti interempto, Britanniam post annos decē recepit. At Constantius, cum primo in Gallia male pugnasset, renouata secundo pugna, multa milia Alemannorum occidit, qui eo uenerant mercede conducti, ac Gallias pacatas reddidit. Diocletianus interim captam Alexandriam, quam Achilleo resistente mensibus octo obsederat, diripiendam militibus dedit. Præterea uero Maximianus Galerius cum duobus prælijs contra Narseum bene pugnasset, postremo inter Galietium & Carras superatur. Atq; tam sinistra pugna amissis copijs ad Diocletianum confugit: à quo ita arroganter exceptus est, ut per aliquot milia passuum purpuratus ante currum eius cucurrisse dicatur. Is autem hac contumelia motus, repetito bello hostes superat ac domat. Pacatis hoc modo undiq; rebus Diocletianus in oriente, Maximianus uero Herculeus in occidente uastari ecclesias, Christianos affligi interficiq; mandant, decima post Neronem persecutione: quæ certe omnibus diuturnior & immanior est habita. Nam & scripturæ sacræ igni exustæ sunt: & si quis Christianus in magistratu fuisset, eo sublato remanebat infamis. Præterea uero serui qui in Christianismo perdurabant, libertatem consequi non poterant. Milites item Christiani cogebantur aut immolare idolis, aut militiam pariter uitamq; deponere, edicto principis in foro posito. Hoc uero quidam lacerare ausus pelle nudatus, sit perfuso aceto et sale tandiu cruciatur, quoad uita superfuit. Hunc in fide confimarunt Dorotheus & Gorgonius uiri clarissimi. Iisdem diebus forte fortuna in urbe Nicomediæ regia domus incendio conflagrare cœpit, unde imperator à Christianis id factum falsa suspitione existimans, multos interfici, plerosq; uiuos in ignem conijci iubet. Eadem quoque sæuitia usi sunt, qui in Miletene prouincia in Syria, in Aphrica, in Thebaide, in Ægypto cum imperio erant. In planitie uero Palæstinæ & Tyri multi sæuissimis bestijs expositi sunt. Nullum autem genus tormenti Christianis tum non adhibitum est. Pro ungulis enim testas fictilium uasculorum adhibebant: quibusdam uero arundines acutæ sub unguibus figebantur. Hoc etiam tormēto uexatæ mulieres sunt, arundinibus ipsis per pudenda corporum adactis. Vrbs quædam in Phrygia tota combusta est, quia ciues idolis sacrificia exhibere recusarunt, Adaucto Romano uiro sanctissimo eos in fide retinente: ad hęc postremo uenère sæuissimi tortores, ut oculis effossis, ac cauterio adustis sæuirent. Passi etiam martyriū sunt Anthimus Nicomediæ episcopus, Lucianus presbyter Antiochenus uir doctissimus, Pamphilus Cæsariensis, Phileas Ægyptius, qui & Thmuenus uocabatur. Is em̄ capitali pœna afficitur, quod & librum de laudibus Martyrum composuit, & impugnare iudices

dices male iudicantes ausus est. Quid plura? cum Damasus referat xvij. milia hominum utriusque sexus diebus xxx. per diuersas prouincias martyrio coronata fuisse. Omitto eos qui in insulas relegati sunt, uel ad metallum, uel ad opus metalli, uel ad fodiendas arenas excidendosque lapides damnati, quae multitudo propè infinita est habita. At Marcellinus pontifex ad sacrificia gentium ductus, cum minis instarent carnifices, ut thura dijs exhiberet, metu perterritus, deos alienos adorauit. Habito deinde non ita multo pòst concilio centum & lxxx. episcoporum in Sinuessa urbe Campaniae, eò & Marcellinus squalidus & pulueruletus ac cilicio indutus proficiscitur, petitque ut sibi pro inconstantia debita poena tribuatur. Qui eum damnaret in tanto concilio nemo unus inuentus est, cum dicerent omnes ea fermè ratione Petrum peccasse, ac flendo peccati poenam luisse. Redijt Romam Marcellinus iratus, Diocletianum adijt, hominemque increpat, qui se impulerit dijs gentium immolare. Ducitur ad martyrium Diocletiani iussu Marcellinus cum Claudio, Cyrino, Anthonino Christifidelibus. Inter eundem uero Marcellum presbyterum admonet, ne Diocletiani praeceptis obtemperet in rebus maxime ad fidem pertinentibus, neue corpus suum sepulturae traderet, quod diceret ob negatum saluatorem id nequaquam mereri. Horum autem simul interemptorum corpora Diocletiani iussu ad dies sex & triginta insepulta iacuerunt uia publica. Vnde petri Apostoli iussu, qui Marcello in somnis apparuit, uia Salaria in coemiterio, quod Priscillae deinceps nomen habuit, sepeliuntur sexto calendas Maias apud beati Crescentionis corpus. Tandem uero aperuit oculos Deus (ut Eusebius ait) & eo Diocletianum compulit, ut deposito imperio priuatus uiueret. Idem fecit & Maximianus eius collega acerrimus persecutionis Christianae autor, qui post aliquot annos multis uarijsque morbis uexatus, ac post longos cruciatus insania mentis percitus, furijsque scelerum agitatus, seipsum tandem peremit. Hanc autem calamitatem, quam nostri passi sunt, à Deo permissam refert Eusebius, propter corruptos nimia libertate & indigentia Christianorum mores: maxime uero ecclesiasticorum, quorum peruersitatem diuina iustitia frenare hac persecutione instituit, dum simulationem in uultu, dolum in corde, fallaciam in eorum uerbis cerneret. Hi enim liuore, superbia, inimicitijs, odijs inter se certantes tyrannidem potius quàm sacerdotium sapere uidebantur, Christianae pietatis omnino obliti, ac diuina mysteria prophanantes potius quàm celebrantes. Sed quid futurum nostra aetate arbitramur? qua uitia nostra eò creuere, ut uix apud Deum misericordiae locum nobis reliquerint. Quanta sit auaritia sacerdotum, et eorum maxime qui rerum potiuntur, quanta libido undique conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & desidia, quanta ignoratio tum suijpsius, tum doctrinae Christianae, quam parua religio, & simulata potius quàm uera, quàm corrupti mores uel

In prophanis etiam hominibus (quos seculares uocant) detestandi non attinet dicere, cum ipsi ita aperte & palam peccent, ac si inde laudẽ quærerent. Veniet (mihi credite) utinam falsus sim uates, ueniet Thurcus hostis Christiani nominis Diocletiano & Maximiano uiolentior. Italię claustra iam pulsat. Nos desides & somniculosi interitum communem expectamus, uoluptati priuatæ potius quàm communi utilitati consulentes. Ad Marcellinum uenio, quem utinam aliquando imitati ad sanitatem redeamus. Hic enim (ut dixi) cognito errore suo, quo à fide defecerat, ad se rediens, martyrium pro fide Christi cõstanti animo passus est, ubi ex sacris ordinibus bis mense decembri habitis, presbyteros quatuor, diaconos duos, episcopos quinq; creasset. Sedit autem annis nouem, mensibus duobus, diebus sedecim.

DE SANCTA CHRISTI CRVCE.

Ex Lactātio



QVod uerò ad Crucem spectat, magna in ea uis ac ratio est, quam nunc conabor ostendere. Deus nanq;, sicut superius exposui, cum statuisset hominem liberare, magistrum uirtutis legauit in terram, qui & præceptis salutaribus fomaret homines ad innocentiam, & operibus factisq; præsentibus, iustitiæ uiam panderet, qua gradiens homo & doctorem suum sequens ad uitam æternam perueniret. Is igitur corporatus est, & ueste carnis indutus, ut homini, ad quem docendũ uenerat, uirtutis & exempla, & incitamenta præberet. Sed cum in omnibus uitæ officijs iustitiæ specimen præbuisset, ut doloris quoq; patientiam mortisq; contemptum (quibus perfecta & consummata fit uirtus) traderet homini. Venit in manus impiæ nationis, cum & uitare potuisset scientiam futuri, quam gerebat, & repellere eadem uirtute, qua mirabilia faciebat. Sustinuit ergo cruciatus ac uerbera & spinas. Postremo etiam mortẽ suscipere non recusauit: homo illo duce subactam, & cathenatam mortem cum suis terroribus triumpharet. Cur autem summus pater id potissimum genus mortis elegerit, qua affici eum fineret, hæc ratio est. Dicat enim fortasse aliquis: Cur, si deus fuit, & mori necesse fuit, non saltem aliquo honesto mortis genere affectus est? Cur potissimum cruce? Cur infami genere supplicij? quod etiam hodie libero quamuis nocenti uideatur indignum: Primum, q; is qui humilis aduenerat, ut humilibus & infirmis opem ferret: & in omnibus spem salutis ostenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles & infirmi solent, ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari. Deinde ut integrũ corpus seruaretur, quem die tertio resurgere ab inferis oportebat. Nec hoc cuiquam ignorandum est, quod ipse ante de sua passione prædicans: etiam id notum fecerit, habere se potestatẽ cum uellet deponendi spiritum, et resumendi. Suffixus itaq; cum spiritũ sponte deposuisset, necessarium

necessarium carnifices non putauerunt, ossa eius suffringere (sicut mos eorum ferebat) sed tantummodo latus eius perforauerunt. Sic integrū corpus patibulo detractum est, & sepulchro diligenter inclusum. Quæ omnia idcirco facta sunt, ne læsum atq; diminutum corpus ad resurgendum inhabile redderetur. Illa quoq; præcipua fuit causa, cur Deus crucem maluerit, q̄ illa exaltari eū fuit necesse, & omnibus gentibus passionem dei notescere. Nam quoniam is qui patibulo suspenditur, et conspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux potius electa est, quæ significaret illum tam conspicuum, tam'q; sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. Deniq; nulla gens tam inhumana est, nulla regio tā remota, cui aut passio eius, aut sublimitas maiestatis ignota sit. Extendit ergo in passione manus suas, orbem'q; dimensus est, ut iam tūc ostenderet, ab ortu solis usq; ad occasum magnum populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum sub alas suas esse uenturum, signum illud maximum atq; sublime frontibus suis suscepturum. Cuius rei figuram Iudæi etiam nunc exhibent, cum limina sua de cruore agni notent. Deus enim percussurus Ægyptios, ut ab ea plaga immunes faceret Hebræos, præceperat his, ut agnum candidū sine macula immolarent, ac signū liminibus suis de sanguine eius imponerent. Itaque cum Ægyptiorum primogenita una nocte interissent, Hebræi soli signo sanguinis tuti fuerunt: non quia cruor pecudis tantam in se uim haberet, & hominibus saluti esset, sed imago fuit rerum futurarum. Nam agnus candidus sic à Iudæis immolatus, saluti est omnibus, qui signū sanguinis, id est crucis, qua sanguinem fudit sua in fronte conscripserunt. Frons enim summum limen est hominis, et lignum sanguine delibutum crucis significatio est.

DE POTENTIA SIGNI CRVCIS, QVANtæ efficaciæ sit inuocatio nominis crucifixi: & quantum à dæmonijs timeatur signum crucis.



Nunc satis est de huius signi potentia, quantum ualeat, exponere: quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui uiderit, quatenus adiurati per Christum, de corporibus, quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cum inter homines ageret, uniuersos dæmones uerbo fugabat, hominum'q; mētes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat; Ita nunc sectatores eiusdem spiritus inquinatos de hominibus & nomine magistri sui et signo passionis excludūt. Cuius rei non difficilis est ꝓbatio. Nam cū dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant: Nec responsa potest consultus reddere uates. Et hæc sæpe causa præcipua, iustitiam persequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam mini-

ſtrorum noſtri ſacrificātibus dominis aſſiſterent, impoſito frontibus ſi-gno, deos eorum fugauerunt, ne poſſent in uiſceribus beſtiarum futura depingere. Quod cū intelligerent aruſpices (inſtigantibus ijſdem dæmonibus, quibus ꝓphetabant) cōquerentes prophanos homines ſacris intereſſe, adegerunt principes ipſos in furorem, ut expugnarent dei templum, ſeq́ꝫ uero ſacrilegio contaminarent, quod grauiſſimis perſequentium pœnis expiaretur. Nec tantum ex hoc ipſo cæci homines intelligere poſſunt, aut hanc eſſe ueram religionem, cui ad uincendum tanta uis ineſt, aut illam falſam, quæ ſubſiſtere, aut congredi non poteſt. Sed aiunt, hoc deos non metu, uerum odio facere: quaſi quiſquam poſſit odiſſe, niſi eum, qui aut noceat, aut poſſit nocere. Immò uero congruens maieſtati fuit, ut eos quos oderant, pręſentibus pœnis efficerent potius ꝙ fugarēt. Sed quoniam neqꝫ accedere ad eos poſſunt, in quibus cœleſtem notam uiderint: nec his nocere, quos ſignum immortale munierit, tanquam inexpugnabilis murus: laceſſunt eos per homines, et manibus perſequuntur alienis: quos profecto ſi eſſe confitentur, uicimus. Neceſſe eſt enim, hanc eſſe ueram religionem, quæ & rationem dæmonum nouit, & aſtutiam intelligit, & uim retundit, & eos ſpiritualibus armis domitos ac ſubactos cedere ſibi cogit. Si negant, teſtimonijs poëtarum ac philoſophorum refellentur.

AVRELIVS PRVDENTIVS DE ſigno ſanctæ Crucis.

CVltor Dei memento
Te fontis & lauachri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te Chriſmate innouatum,
Fac cum uocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem locumq́ꝫ cordis
Crucis figura ſignet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ.
Tali dicata ſigno,
Mens fluctuare neſcit.
Procul ô procul uagantūm
Portenta ſomniorum.
Procul eſto peruicaci
Præſtigiator aſtu.
O tortuoſe ſerpens:
Qui mille per meandros
Fraudeſq́ꝫ flexuoſas
Agitas quieta corda,
Diſcede: Chriſtus hic eſt,
Hic Chriſtus eſt: liqueſce
Signum quod ipſe noſti,
Damnat tuam cateruam,
Corpus licet faſtidiens
Iacet rediuiue paulum,
Chriſtum tamen ſub ipſo
Meditabimur ſopore.

DIES

DIES ROGATIONVM, SIVE LETANIÆ.

Pater noster, qui es in cœlis. *Ex Sedulio.*


QVi dominum cœli patrem memoramus, in ipso
Iam fratres nos esse decet, nec origine carnis
Germanum gestare odium, sed pneumatis igne
Flagrantes abolere doli monumenta uetusti,
Atq; nouum gestare hominem, ne forsan ab alto
Degenerent terrena Deo, cui nos duce Christo
Fecit adoptiuos cœlestis gratia natos.

Sanctificetur nomen tuum.

Sanctificetur ubi dominus, qui cuncta creando
Sanctificat, nisi corde pio, nisi pectore casto?
Vt mereamur eum nos sanctificare colendo,
Annuat ipse prior, sicut benedicier idem
Se iubet à nobis, à quo benedicimur omnes.

Adueniat regnum tuum.

Adueniat regnum iam iamq; scilicet illud
Morte uacans, & fine carens, cui nulla per æuum
Tempora succedunt, quia nescit tempus habere
Continuus sine nocte dies, ubi principe Christo
Nobile perpetua caput amplectente corona,
Victor opima ferens gaudebat præmia miles.

Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra.

Hoc iugibus uotis, hoc nocte dieq; precemur,
Illius ut fiat cœlo, terraq; uoluntas.
Qui nusquam uult esse nefas, hostemq; nocentem
Vt cœlo, sic pellat humo, ne corpora nostra
Tanquam uile solum sæuus sibi uendicet hydrus.
Sed qui cuncta fouet plena pietate redundans
Omnipotens animas pariter conseruet, & artus.
Altera pars etenim cœli sumus, altera terræ.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Annonam fidei speramus pane diurno,
Ne mens nostra famem doctrinæ sentiat unquam
A' Christo ieiuna suo, qui corpore & ore
Nos saturat simul ipse manens uerbumq;, cibusq;.
Dulcia nam domini nostris si faucibus hærent
Eloquia, exuperantq; fauos, atq; omnia mella.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Debita laxari qui nobis cuncta rogamus,
Nos quoq; laxemus: proprij nam cautio uerbi
Spondentes manifesta tenet, grauiusq; soluti

Nectimur, alterius si soluere uincla negamus.
Incipietque pius decies millena talenta
Dimittens dominus, si nos affligere propter
Denarios centum conseruum senserit ullum,
Tradere confestim tortoribus, inque feroci
Carcere constricti non permittemur abire,
Donec cuncta breuem reddamus adusque quadrantem.

Et ne nos inducas in tentationem.

Non quia nos dominus lucis uia, semita pacis
In laqueos tentantis agat, sed cum mala nostra
Deserit, ire sinit. Nam quisquis retia mundi
Delitiosa sequens, luxus & gaudia blandæ
Perditionis amat, deus hunc uirtutis amator
Linquit, & ingreditur, quà se tentatio ducit.
Ab hac ergo pedem retrò faciamus, & arctum
Corde petamus iter, tenuis quà semita monstrat
Ire per angustam regna ad cœlestia portam.

Sed libera nos à malo.

Si cupimus uitare malum, debemus adire,
Sectarique bonum: hic quia liberat, ille trucidat:
Hic allit, ille necat. Nam quantum sydera terris,
Ignis aquis, lumen tenebris, concordia bellis,
Vita sepulturis, tantum bona longius absunt
Dissociata malis. Dextrum unusquisque necesse est,
Aut leuum gradiatur iter. Sed dextra bonorum
Semita conspicuos uocat in sua gaudia iustos,
Inque tuos patriarcha sinus. At leua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.
Ergo agnis, ouibusque dei est hæc sola uoluntas,
Et bona libertas, euadere torua cruenti
Ora lupi, uitaque frui per pascua Christi.

GREGORIVS NAZIANZENVS.

Ex Breuiario Rhom.



Gregorius, qui ex singulari rerum diuinarum doctrina Theologi cognomen inuenit, natus est in Cappadocia, sed Athenis educatus ac eruditus omni philosophia: unde in patriam reuersus, factus est Episcopus primum Sasimorum, deinde Nazianzenus, ut refert Hieronymus, qui hoc præceptore se profitetur sacras scripturas explanare didicisse. Tum Constantinopolim translatus, ubi populum erudiendo infectum hæreticorum ueneno, tantum profecit, ut tunc primum, sibi populares Christiani esse uiderentur, autore Gregorio, qui multo etiam magis exemplo, quàm sermone mores hominum institue-

institucbat. Sed cum ceptum esset à nonnullis uirtuti eius inuideri seditiose molientibus, ut eiecto Gregorio episcopus alter sufficeretur: ille recognita, absit inquit, ut sim ego causa seditionis, si propter me exorta est tempestas, tollite me & proijcite in mare, ut uos iactari desinatis. Reuertitur igitur in Nazianzenam ecclesiam, quam cum diu sanctissime gubernasset, iam affecta ætate ipse sibi successorem elegit, & se uirtutum diuinarumq́ rerum cõtemplationi, sacrarumq́ litterarum studio dedit. Quo in genere Græcè multa scitu dignissima partim carmine, partim prosa oratione sancte ac elegantissime conscripsit rure uitam monachi agens. In quibus studijs ab hac uita migrauit, Theodosio Imperatore.

VRBANVS I.


Rbanus natione Romanus, patre Pontiano, M. Aurelio Antonino imperatore fuit, anno Christi ducentesimo uigesimo sexto, ab urbe uero condita, noningentesimo & septuagesimo. Hic autem (ut putabatur) Caracallæ filius (Erant enim qui dicerent eum uulgo conceptum) Romam ueniens, magna omnium expectatione imperium adeptus. Heliogabali nomen sumpsit à Sole, cuius sacerdos erat edito templo. Phoenices enim Heliogabalum solem uocant. Verum ita præter expectationem is uixit, ut nullam de se, nisi flagitiorum totiusq́ obscoenitatis memoriam reliquerit. Nam & in uirgines uestales incestum cõmisit, & probrosas mulieres semper domi habuit, & iracundia incitatus Sabinum consularem uirum (ad quem Vlpianus scripsit) è medio tolli iussit. Dignitates autem & honores malis ac flagitiosis cõmittebat, quos quidem ita aliquando deridebat, ut cum secum accubuissent, stratis follibus in cœna, eisdemq́ reflatis, subito sub mensa omnes reperirentur. Ita aũt inhoneste ridebat, ut publice in theatro solus audiretur. Primus Romanorũ holoserica ueste, mensis ac capsis argenteis usus est. Admonentibus amicis, caueret ne ad inopiam redigeretur, respondit: Quid melius q̃ ut ipse mihi hæres sim & uxori meæ. Eò uesaniæ interdum profectus est, ut decem milia pondo arachnearũ collegerit, qua ex re dicebat magnitudinem urbis Romæ comprehendi posse. Exhibuit præterea decem milia murum, mille mustelas, mille sorices. Hac uero insania adeo contemni cœptus est, ut tumultu militari exorto, ipse cum matre necaretur. Aiunt, cum ei à sacerdotibus Syrijs dictum esset, ui moriturum, eum parasse funem serico & cocco intortum, quo uitam laqueo finiret. Moritur autẽ quarto imperij sui anno, quo tempore in Palæstina Nicopolis urbs, quæ prius Emmaus dicebatur, condita est, legationis industriam eius rei gratia suscipiente Aphricano rerum ac temporum scriptore. Vrbanus uero qui huius monstri tempore fuit, non autem Diocletiani (ut quidam uolunt) multos san- Ex Platina.

ctitate

ctitate uitæ & doctrina singulari ad fidem traduxit. Inter hos aūt Valerianum uirum præstantissimum, beatæ Cæciliæ sponsum, & Tiburtium eiusdem Valeriani fratrem, qui postea martyrium constanti animo tulêre. Quam conditionem etiam uirgo ipsa subijt in domo paterna, iam antea suo rogatu ab Vrbano deo dicata. Eiusdem quoq; Vrbani institutum fuit, ut ecclesia prædia ac fundos à fidelibus oblatos reciperet, partireturq; prouetus clericis omnibus uiritim, nihilq; cuiuspiam priuatum esset, sed in cōmune bonum, quod hodie absoleuit, tanta est hominum rapacitas & libido. Sunt qui huic attribuunt distinctionem quatuor temporum ac ieiunij, quæ antea confundebantur hominum imperitia. Huius temporibus Tryphonem Origenis auditorem fuisse constat, qui librum præcipue composuit de uacca ruffa in Deuteronomio. Minutius item Felix insignis tum Romæ causidicus dialogum scripsit, quo Christianum & Ethnicum disputantes inducit. Scripsit & contra Mathematicos, cuius etiam Lactantius meminit. Alexander quoq; Hierosolymitanus Episcopus bibliothecam illam Hierosolymis tum instituit, unde tantum laudis consecutus est. At ubi ex ordinationibus quinquies mense decembri habitis, presbyteros nouem, diaconos quinq;, episcopos nouē creasset, martyrio coronatus est, & sepultus in cœmiterio Prætextati uia Tiburtina. Sedit annos quatuor, menses X. dies XII.

FESTVM ASCENSIONIS Dominicæ.

Ex Iuuenco.



IAmq; Galilæos conscenderat anxia montes
Mandatis Christi concurrens turba suorum.
Cernitur esse suis proles uenerãda Tonantis.
Illum procumbens sanctus chorus omnis adorat.
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat
Pectoribus uirtus: nam pars dubitabat eorum.
Tunc sic discipulos, clarus compellat Iesus.
In cœlo & terris genitor mihi cuncta subegit.
Me pater est uobis dignatus mittere lucem
Gentibus, haud aliter nunc uos ego mittere cunctis
Institui, uestrum est cunctas mihi iungere gentes.
Pergite, & ablutos homines purgantibus undis
Nomine sub sancto patris, natiq; lauate,
Viuifici pariter uiuant spiramina flatus.
Ablutisq; dehinc nostra insinuate docentes
Præcepta, ut uitam possint agitare perrennem.
Nec uobis unquam nostri præsentia deerit,
Donec consumens dissoluat sæcula finis.

Sermo

DE ASCENSIONE CHRISTI.



Celebrata in cruce solenni uictoria, cum iam templum corporis sui, quod persecutio Iudæorum effoderat, dominus reparasset, uoluit statim ad patrem ascendere, & glorificati corporis præsentiam inferre cœlestibus: sed necessaria dispensatione discipulorum infirmitati consulens utiliter distulit, & quadraginta diebus in terra conuersatus, & uisus est sæpe & loquutus cum Apostolis, & manducauit & bibit, & uulnera quę ad dubietatem eorum tollendā, in copore reseruarat, & uidenda & palpanda exposuit, & impleta in se quæ in scripturis erant prædicta, euidentia rerum edocuit. Ad hoc necessaria fuit huius temporis mora, ut recollectis quos in fugam timor impegerat, quos supplicium crucis terruerat, in multis argumētis apparens, mentes quæ diffidentia titubauerāt, solidaret: nec esse phantasticum, sed uerum corpus quod surrexerat, tam commessationibus quàm contrectationibus probaret. Ad hoc dilata est ascensionis gloria, ut sub hoc dierum interstitio præcedens doctrina affectibus firmaretur, imò ut discipulorū desideria recessionem eius corporalem ambirent, quia spiritualis præsentiæ plenitudo quę diu conspectu carnis pręsens aderat, aduentare non poterat: & paulatim in hoc conducti sunt, ut libenter consuetudine conuictus assueti carerent, cum inhabitator spiritus sanctus eorum animas possidens, inuisibili accessu synceriores eis affectus infunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro patrem luminum, et substantia rerum sperandarum proposita apparentia sepeliret: nec incertitudinis scrupulus superesset, cum dominus & magister, quem uerum hominem probauerant, eis uidentibus, cœlum ascenderet: sed iam securi se crederent secuturos, nec esse impossibile quin et ipsi in carne & spiritu ad superos transferrentur. Omnibus itaq; ad tam delectabile spectaculum aggregatis: Ascendo, inquit, ad patrem meum & patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Horum uerborum autoritas cum iam eorum uirtutem spiritus sanctus intimasset, omnem poterat excludere diffidentiam, & hilarescebant animi eorum paternitatis diuinæ illustrati honore, & fraternitatis Christi honorati consortio, cum audirent & crederent se filios Dei & fratres Christi, in quo omnis excellentiæ plenitudo & sufficientia inerat: nec iam quasi idiotæ & hebetes huic uerbo applaudebant carnaliter, sed subtilissime generationem & dignitatem creaturæ à uoluntate & nutu creatoris habuisse initium, & imaginem & similitudinem Dei in interiori homine uidebant: & dinoscebant intellectu potius quàm uisu, quam affinitatem habeant inter se pater & filius: & quia substantiuo & naturali filio filij adoptiui conformes à prima origine multa habeant ex natura, & multa ex gratia. Sanè huius generositatis consortium, secundum quā simul cum Christo filij Dei sumus, Ex Cypriano.

o nobilita-

nobilitatem existentię nostrę exponit & intimat:in quo honore si man serimus non degeneres,constat omnino nō posse patrē dissidere à filijs, deiformibus tutum esse ad paternitatem accessum:nec posse pati ad hæreditatem possidendam dispositos in petitionibus diuinis repulsam,sed in quibuscunque filius filialiter genitorem appellauerit, necesse est bonitatem largitoris iuste supplicantis prosequi uoluutatē:maxime cum ipse pater qui largiter iusta sugerat peti, quæ non differt benigne largiri. Et quidem paterna charitas bonis filijs & hæredibus maxime delectatur: & hoc gloriæ Christi unigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis suæ nō patitur esse solitariam magnitudinem,sed addit fratres : non qui minuant quasi diuisam in plures excellentiam, sed qui altitudinem diuitiarum eius exornent participes & consortes. Quòd cum ipsum qui pater est,constet esse Deum,& eum Deum nostrum sicut et suum,*filius* attestatur, in eo quòd filij sumus ipse nos pòssidet, in eo quòd noster est Deus,quod nostrū est,ipsum cuius proprij sumus,proprie pissidemus. Dico igitur domino meo:deus meus es tu.& dicit mihi dominus meus: Ego dominus deus tuus. Homo cuius deus est, quid amplius quærit? Si sufficis tu deo, sufficiat tibi deus. Bonorum tuorum deus non indiget,nec conferre potes ei quippiam,nec auferre. Si esurierit,non *dicet* tibi. Eius est orbis & plenitudo eius,& magnitudinē eius cœli cœlorum non capiunt:non infirmatur, non eget indumento uel cibo: omnia scit, omnia potest, omnia continet:in ipso omnes uiuimus, mouemur & sumus. Quid tu ei quasi indigo conferes? te solum bonitate non necessitate desiderat.Scriptum est,& ipso iubente tabulis insculptum lapideis, ut diligas eum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Dilige, & diligeris : prope est merces tua, in manibus porrigitur præmium:esto tu dei,& erit tuus deus tuus.Impar sanè cōmertium,precium inęquale:sed qui pro nobis triginta argenteis appreciatus,intelligi uoluit, quanta fuerit in precio, quod pro eo datum est, & in eo quod ipse dedit pro mundo,dissimilitudo, cum ipse exiguo argento *emptus* & uenditus,tanto precio damnatos redimeret,ut dubium esse non possit,quin precij magnitudo superaret negocium:nec æquari posset damnum,quod omnino damnatio iusta meruerat,obedientiæ Christi, quæ gratis usque ad mortem progressa est,& ultro soluit quod non debebat. His intellectis apostoli sicut filij prophetarū olim uerum Heliam ascensurum sciebant, & horam illam præstolabantur gaudentes, nec iam anxiebantur parturientes, sed exorta lætitia parati erant prosequi recedentem,minime dubitantes,quin & ipsi post modicū conuersationis huius, postque de torrente passionis in uia hac bibissent, exaltato capite & erecto,se ad cœlestia dominum secuturos. Eleuatis igitur manibus hæreditariam eis benedictionem relinquens, non manufacto uehiculo,nec auxiliaribus carpentis euectus est Christus,sed naturæ diuinę propria usus

uirtute

uirtute carnem cœlo intulit, & corpus glorificatum patris conspectibus præsentauit. Non indiguit uectoribus angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus, sed præcedentes & subsequentes applaudebant uictori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticum nouũ, & implebat coelos cõsonantiæ illius harmonia, thronis & dominationibus parantibus filio iuxta patrem cõsessum, Cherubim & Seraphim pedes pacificos ambientibus, radiantibus undiq; diuinis claritatibus & splendoribus supercœlestibus, quos nec ardor perseuerans consumit, nec turbinis alicuius afflatus extinguit, nec interpolatio caliginis ullius abscondit. Celebrat tanti triumphi magnificentiam lętabundus cœlestis exercitus, & qui descendenti coram pastoribus Bethleemitis decantauerunt in sublimi præconia, modo expressioribus conatibus & intensioribus iubilis reuerenti ad patrẽ solenniora obsequia impendebant, & festiuis affectibus uenerabantur hominem supra se sublimatum: quem gloria & honore coronauerat pater, & ad dexteram suam collocatum, hoc dato ei priuilegio singulari, ut in nomine eius omne genu flecteretur, et super omne nomen eius nomen excellentius coleretur. Quanta in eius susceptione in cœlis iucunditas fuerit, nemo sufficit enarrare, rei huius magnificentia omnem superat intellectum. Si linguis hominum uel angelorum quis eloquatur, uel ad hoc cuiuslibet elaboret acumen ingenij, ut definire uelit, quę patris in reditu filij hilaritas fuerit: aut si forte illud sempiternum gaudium aliquod tunc admiserit incrementum, si stabilitatis æternæ se aliquo modo mutare possit immobilis magnitudo, scrutator ille maiestatis opprimetur à gloria, & uerendum est, ne dum uehemẽtius exprimit uerba quàm oportet, sanguinem pro lacte emungat. Attamen inuisibilem deum uisibilem filium recepisse ad dexteram suam, manifestum est, & humilitatem carnis nostræ throno iudicario honoratam, paternæ complacuisse altitudini, duo genera gentium ciuitati supernæ, de qua gloriosa dicta sunt, deinceps assignare, & esse supra mansionarios homines & angelos, & beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in perpetuum frequentari. Hęc merces obedientiæ Christi, hæc crucis & mortis stipendia, hic passionis labor promeruit, ut corpus humilitatis nostræ fieret corpori claritatis Christi conforme, & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: & fierent homines cum Christo in cœlestibus iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & extiterant usq; ad mortem tribulationum consortes. Hac die primum inuecta est cœlis hæc nouitas inaudita, & gauisus est pater hæreditate amplificata, sobole multiplicata, promissionibus quas loquutus fuerat in prophetis redditis & completis. Solum ad hæc quæ prædicta sunt restat iudicium, & examinationi ultimæ adhuc reseruãt antiqua oracula locum. De iudicio quip & angustia Christo sublato, superest post misericordiæ tempora quæ

ad finem festinant, ut iustitiam comitetur iudicium: & habeant singuli quod merentur, & honoretur honore dignus, & contemptor confundatur inglorius. Hoc & duo angeli Christo ascendente testati sunt, quia qui iudicatus abibat, iudex esset terribilis rediturus, & uideret collecta in unum generalitas hominũ, quas foderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam consputerat, & prolata in medium inflexibili sententia, occurrentibus Saluatori electis, remaneant impij infinitis deputati tormentis. Quanta illud edictum sequentur lamenta, illius ultimæ tubæ clangor quàm horribilis erit, continuus erit & superfluus illarum lachrymarum decursus, stridorem illum dentium flammę inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri uiuent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus lambent. Ardebit purpuratus diues, nec erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur ultra Deus, neq; tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio, & cum clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium: semel Christus descendit ad inferos, ulterius non descendet, non ultra uidebunt Deum in tenebris sigillati, irregressibilis erit illa sentẽtia, & immutabile iudicium, & stabit damnationis huius immobile constitutũ: Exultabunt sanè sancti in gloria, uidebũt deũ, & gaudebũt, lętabuntur, & delectabuntur, et fruentur gloria, & in felicitate iocundabũtur æterna. Ibi non gustabũt, quàm suauis sit Deus, sed implebuntur & satiabuntur dulcedine mirifica: nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus præsens implebit. Non senescent, non tabescent, non putrescent amplius: perpetua sanitas, fœlix æternitas, beatitudinis illis sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris, non ultra ulla exurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus & pacificus, sana ex integro natura, sine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erit deniq; Deus omnia in omnibus, & illius præsentia omnes animæ & corporis implebit appetitus, cessabuntq; de cætero consummatis omnibus ministratorij angelicarum uirtutum discursus: & impleta ordinataq; omnino ciuitate dei, nec innouabitur, nec mutabitur ultra fixæ & consummatæ beatitudinis status. Ei igitur, ante cuius tribunal stabimus, qui nunc uultui Dei apparet pro nobis, cui de nobis tanta cura fuit, ut pro nobis uellet nasci & mori, in præsenti quæsumus, ut sit cura curandi nos, & nobis autoritatem & potestatem iudicandi nosmetipsos & corrigendi concedat, ut in illo terribili iudicio suo inter electos asciti & congregati, liberi à seruitute & captiuitate, cœlestibus ciuibus coniungamur, & fruamur bonis, quæ ipse diligentibus se repromisit, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit.

S.Gord.

S. GORDIVS MARTYR MILES Cæsariensis.



NAturæ lex apibus innata, fratres dilectissimi, ut nisi rex prius agmen præcedat, ab aluearibus nunquam discedant. Vos autem dei populum, cum nunc primum ad martyres, tanquam ad flores cœlestes exeuntes, & huc frequentes conuenire uiderim, quo id duce feceritis, exquiro. Quis hyemalem hanc tristitiam in uernam serenitatem cõmutauit, ut populus ex ciuitatis ædificijs tanquam ex apum aluearib. hilaris egressus, ad suburbanum decus preclarumque martyris stadium conflueret? Sed quoniam (ut mihi quidem uidetur) pristina desidia reiecta, ducẽ secuti estis, prestantem martyris uirtutẽ, & nos quoque quantum uoce cõtendere licet, ueluti bombantes apes uernantibus floribus circũfusæ, preclara ipsius gesta personemus, rem quidẽ piam agentes, simul at uobis ore intentis gratam. In laude nanque iusti populus lætabitur. Salomonis lectio nobis nuper recitata, quidnam per latentem huiuscemodi prouerbij sensum ibi uelit, mecũ ipse cogitabam: an fortè dicat, quod populus oratione magnifica, ac plane culta, quæ auditorũ aures demulceat, oblectentur: præterea sermonis ornatum, rerumque inuentionem, ac dispositionem elegantem exoptet. Quod profecto mihi uerisimile nõ uidetur, cum ipse nusquam huiuscemodi dicendi genere usus fuisse inueniatur. Nam & Sanctorum memorias orationis & eloquentiæ fuco prosequi, non fas erat admonere illius præsertim, cuius scripta sermone simplici, nulloque styli apparatu conspiciuntur. Quis ergo illorũ uerborum sensus? Is uidelicet, quod populus sola in dicendo ueritate, ac simplici testimonio spiritualiter lætatur: tum ad bonorũ exemplorum, que audit, cupiditatem & imitationem uehementer incenditur. Illorũ enim, qui in fide claruerunt, historia simplex, uelut lucẽ quandam dei cultoribus uirtutis iter ostendit. Quamobrẽ cum in sacris uoluminibus Mosis uitam, morũ lenitatem nostræ naturæ, magnopere optatam audimus, statim emulamur. Quòd si reliquorum facta uirorum eloquentiæ floribus ornantur, Sanctis tamen ad ea, que maxima gessere, demonstranda sat fuerit oratio simplex. Cuius dum nitimur ac insistimus ueritati, Sanctos ipsos ex eorum tamẽ testimonio, quæ de eis referimus, laudare uidemur, & populũ omni eloquentiæ suspitione remota, ad ipsius rerum syncerae narrationis fidem facile deducimus, ac maxime exhilaramus. Ioseph dum audimus aut legimus uitam, illius assequi castitatẽ magnopere cupimus. Si uero Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. Sacra igitur schola præcepta Rhetorum aut instituta non sequitur: nudam rerum expositionem Sanctis, ac nobis satis esse existimat: illis quidem ad uirtutis eorum preconium, nobis uero ad imitationis gloriam atque formã. Rhetorum nanque instituta sunt, patriæ dignitatem ostendere, generis originem ex altero repetere, educationis

Ex S. Basilio

incunabula diligentius referre. Nostrum uero dogma hæc tanquam superuacua dimittit: et quæ sunt ꝓpria ac uernacula, sectatur. Quidnã ego sum melior, si mea ciuitas olim magna bella gessit, aut de hostibus triumphauit? Si eadẽ optimo sit in loco sita, æstate ac hyeme cœli tẽperie fruatur? frequens est ædificijs? si ager pascendo pecori sufficiat? si meliores nutriat equorum greges, ꝙ usquam reperiantur? Quid, inquam, ista quo ad uirtutem cõmendatiores reddere possunt? Nos ipsi profecto decipimus, si in montis cacumine cõstituti, nubes nos transcendere, ac sublime cœlũ nobis cedere uidentes, hac de causa nobis magis aliquid accedi existimamus. Ineptum insuper, si sanctis, qui res orbis uniuersas contempserunt, his esse opus commendationibus putamus. Igitur nostri tantum causa profectus, sat illorum celebrare memoriam fuerit. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum uitę historia & cõmemoratione imitationis gratia indigemus. Quemadmodũ enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex ungento quoq; præstanti diffunditur odor: sic ė sanctorum cõmemoratione gestorum ad omneis prouenit utilitas. Huius itaq; martyris uenerãdi facta singula explicare hodierno die nullo modo pollicemur, ꝙ eorũ fama tenuis, nec omnia sanė complectens, ad nos usq; delata sit. Quamobrem pictoribus recte cõparabimur. *Illi* enim cum ex antigrapho siue archetypo imagines expresserunt, uti par est, à prima forma plurimum recedunt: Nos item cum rerum gestarum aspectu caruerimus, ualde metuendum, ne dicendo rerum ueritatẽ atteramus. Verũ quando eius hodie festũ celebramus, *qui in huiuscemodi* die certamen pro Christi nomine subijt, quantum ex eius historiæ noticia deprehendere licet, enarrabimus. Fuit hic martyr beatissimus ciuis noster Cęsariensis, ex quo non mirum, si nostrę mentis affectus ad eum potissimum dirigitur, quod profecto ad uerum ac domesticũ huius facit ornamentum. Nam sicut arbores quæ bona ferunt poma, propriæ bonitatis laudem nutrienti tribuunt humo: sic iste ex nostræ urbis prodiens utero, ad summumq; gloriæ culmẽ euectus, patriæ quæ eum produxit atq; aluit, honorem gloriosissimi martyrij tribuit. Iucunda nempe sunt nobis externa poma, modo sapore delectent, sed longe nostro gratiora gustui propria, ꝙ peregrina, præterq; ꝙ & gloriam quandam nobis conferre uidentur. Militiam exercuit, in quo locum admodum insignem tenuit, ita ut centum milites eius imperio parerent: quodq; animi uirtute & corporis uiribus præcelleret, cunctis inter ordines militibus præstantior habebatur. Ea sanė tempestate, cum tyrannus impius, qui tunc imperitabat, in Christianum nomen uirus suæ feritatis effunderet, manumq; deo inimicã aduersus ecclesiã exerceret, tota urbe ꝑconis tuba sonabat, toto foro & per compita tyrannicũ promulgabatur edictum, ne quis Iesum coleret. Qui uero contra iussa faceret, graui supplicio plecteretur. Idola proponebantur adoranda, lapideaq; ac lignea hominũ

simulachra

simulachra pro uero numine colenda. O misera tempora: dei ciuitas rei nouitate attonita, tota tumultuabat: Christianorum domus singulę petebantur: innocentiũ facultates diripiebantur: matresfamilias pudicissimæ per uicos trahebantur: nulla iuuenum pietas: nulla senum reuerentia erat. Insontes noxijs ac maleficis digna patiebantur. Turba plurima in carcerem arctissimumq́ꝫ locum cõiecta torquebatur: domus insignes & opulentæ euertebantur. Pleni saltus, plena profugis loca deserta, ob unum tantum crimen, ꝙ Christum colerent. Prodebat patrem filius: pater filium accusabat. Frater aduersus fratrẽ insurgebat. Seruus domino insultabat. Adeo' diabolicis artibus hominũ animi affecti tenebantur, ut uelut in tenebris agentes, sese minime cognoscerent. Præter hæc aũt, sacra templa, basilicæ, aræ sanctissimæ euertebantur. Thus ante sacrificia in odorem suauitatis non amplius fumabat: nulla erat oblatio. Diuinæ rei nullus iam locus amplius relictus. Cuncta mœror ingẽs ueluti diffusa caligo occupabat. Sacerdotum collegia fugabantur. Sacer omnis conuentus cladem insolitam expauescebat. Gentiliũ uero conciliabula gaudebant, nidore ac sanguine uictimarum infecta cuncta dabant. Hæc igitur exempla crudelia cum Centurio generosus conspiceret, tantorũ malorum exitum præueniens, abiecto militiæ baltheo, sponte sibi exilium delegit. Itaqꝫ relictis honoribus, relictis omnis generis facultatibus, seruis, propinquis, amicis, uoluptatibus, & rebus alijs, quas cæteri maxime appetere, ac magno studio parare solent, ad uasta deserta nemorũ loca contendit, longe secum melius agi putans, si in ferarum recessibus, ꝙꝫ inter idola uana cum hominibus habitaret: Helię prophetæ secutus exemplum, qui cum Sidoniorum cõspiceret impietatem quotidie inualescentem, in montis Oreb speluncam secessit, ac sese ab omni humana conuersatione, ut deum quęreret ac uideret, abdicauit: Vidit tandẽ, quantum fas est homini mortali. Eodem modo noster Gordius spretis omnibus, urbanos fugiens tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, obtrectatores, ementes, uendentes, peierantes, mentientes, mimos, scurras, cęterosq́ꝫ huiuscemodi generis homines, quibus magnæ urbes refertæ sunt, multosq́ꝫ secum tanꝙꝫ magnæ naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt. Insuper uisu audituq́ꝫ, ac animo à uitijs purgato & libero, deum ipsum contemplando uidere meruit: tum magna discere mysteria, quæ non ab hominibus, nec per homines fuit edoctus, sed magno usus pręceptore spiritu sancto. Quamobrẽ secũ meditans, ꝙꝫ sit fallax & inanis uita humana, ac somnij phantasmatis æquiparanda, in supernæ illius ac melioris uitæ amorem exarsit, ac ueluti fortis athlęta sese ieiunijs, uigilijs, orationibus, studijs demum diuinæ eruditionis probe exercitatũ animaduertens, hunc maxime diem obseruauit, in quo frequens ciuitas uisendo equestri spectaculo erat intenta, ꝙ hoc in loco ea tempestate, in Martis, seu potius furentis bellorũ

dæmonis

dæmonis, honorem celebrabatur. Populus omnis ex edito ſpectabat, nec ullus deerat, non Iudæus, non gentilis, non item Chriſtianorũ multitudo, quæ cum uanitatis concilio commixta ſedebat, & iniquorũ imitans conſuetudinem, equorum curſum & aurigarum agilitatem ſpectabat. Serui eo die ab opere liberi. Pueri è ſcholis ſpectatũ currebant. Fœminæ proſtitutæ ac ignobiles aderant. Plenum iam ſtudium, & omnis iam turba conſederat, equeſtre certamẽ uidere intenta. Tunc magnanimus heros per montis cliuum in theatrum properans, non populũ horruit, non quantis ſe pugnacibus manibus traderet, penſitauit: ſed animo intrepido, ſeueroq́ꝫ uultu ſuper hominum terga, qui circum theatrũ ſedebant, tanquam per aliquam lapidum congeriem, aut lignorũ ſtruem ingrediens, in medio campo conſtitit, illud ſecum ſæpe repetẽs dictum: Iuſtus ex fide uiuit. Quid plura? Adeo intrepido excelſoq́ꝫ animo fuit, ut cum in eminentiore theatri parte ſtaret, ingenti uoce, quã qui audierunt extant adhuc aliqui, exclamauerit, & clare illud Apoſtoli ad Romanos dixerit: Ecce inuentus ſum ab ijs, qui me non quærũt: his qui me non interrogabant, palàm apparui. Quibus ſanè uerbis ſe in eum uenisse locũ ſignificauit minime coactum, ſed ultro ſe mancipiũ præbuiſſe, ſeruatoris exemplum ſecutum, qui cum per atram noctem minime uideretur, ſe Iudęis manifeſtauit. Omnium igitur oculos ſtatim in ſe conuertit. Erat enim aſpectu horridus, & ꝙ montana diu incoluerat ſquallenti capillo, barba ꝓmiſſa, ueſte obſita, corpore incuruus, pera præcinctus, baculo innixus. Quæ ſanè omnia horrorem quendam uulgo aſpicienti incutiebant, ſimul & eum illuſtrem magnopere reddebant. Vbi autem quis eſſet, cognitus fuit, gentilium ſimul & Chriſtianorum murmur eſt ortum: his quidem ob gaudium ſui cõmilitonis exultantibus, illis uerò factum damnantibus, ac iudicis animum ad eius cædem accendentibus. Hominum igitur clamor atq́ꝫ tumultus omnia complebat. Equos, currus, aurigas, iam deſpiciebat. Fruſtra rotarũ ſtridor aërem uerberabat, nullus aliud q̃ꝫ Gordium uidere malebat, nullus q̃ꝫ Gordium uerba ſonantem audire ſtudebat. Totum deniq́ꝫ theatrũ murmure more uenti per aëra ſonantis perſtrepebat. Vbi uero per pręconem ſilentium imperatum, conticuêre buccinæ, ſopitæ fiſtulæ, uariæ muſicorum inſtrumenta ſiluerunt. Solus aſpiciebatur Gordius, ſolus audiebatur. Hinc ad præſidis tribunal in eodem loco confeſtim adductus, ab eo quiſnã aut cuias eſſet, interrogatus, & patriam & generis & dignitatis locum quẽ tenuerat, præterea fugę cauſam ac reditus pariter enarrauit. Reuerſus ſum, inquit, palàm oſtendens, ꝙ tua edicta nihil omnino curo, ſed Ieſum Chriſtum ſpem meã, meumq́ꝫ præſidiũ profiteor: cũq́ꝫ acceperim, te reliquos homines crudelitate ſuperare, hoc ſanè tempus explendo meo uoto maxime idoneum ſumpſi. His ſanè uerbis uelut ignis ira præſidis accenſa, quicquid in eo furoris erat, in eum ſubito cõuertit. Præſto ſint (inquit)

lictores

lictores, flagella, plumbatæ, corpus rotis scindatur, in eculeo suspendatur, omne tormentorum genus excogitetur: feroces adsint feræ, mucronibus transfigatur, igni tradatur, in altum deijciatur barathrum. Verũ parua hæc omnia uiro execrando, modo una morte intereat. Quin (inquit Gordius) damnum profecto me facere uideor, si sæpe uarijsq; modis extingui, uariaq; pro Christo pati supplicia nequeo. At ille his magis irritatus uerbis, magisq; se lædi ac sperni, ob talem loquendi licentiã, existimans, naturali eius feritati uehementior accessit impetus: ac eo truculentior fiebat, quo ille constantior in contemnenda pœna uidebatur. Cum nulla tormentorũ ratione, nullis armis à cœpto proposito auerti posset, quin in cœlum oculos attollens, sacra Psalmorũ carmina decantabat: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Et rursus: Non timebo mala, quoniã tu mecũ es. Et alia istis germana, quę de sacris promebat uoluminibus, ad animũ confirmandũ, & in proposito perseuerandũ maxime facientia. Tantũq; abfuit, ut intentatas horreret poenas, ut eas ultro in se ꝓuocaret, supplicijq; moras uehemẽter increparet. Quid (inquit) agitis? Quid cunctamini? Quid hanc mihi gloriam inuidetis? Corripite corpus, membra frustatim cædantur. Deniq; quodcunq; de me suppliciũ ocyus sumite. Quanto enim mihi plus tormentorum accesserit, tanto plus referam præmiorum. Res enim in hac uita ąduersæ, nobis apud deum perpetuã pariunt uoluptatẽ. Si uulnera mille ac cicatrices patimur in resurrectione splendido induebamur amictu. Pro cõtumelia atq; ignominia palmas coronasq; assequemur. Pro uinculis & carcere per ampla paradisi spacia lęti uagabimur. Pro accusatione demũ atq; iniqua condemnatione, gloriã ex deo & angelis referemus. Minæ uestrę semina mihi sunt diuina, unde immortalitatẽ, perpetuaq; gaudia metã. Cum tandẽ uir beatus hac seueritate à fide obstinata auerti nõ posset, alia tũc uia pręses est aggressus. Illecebris & omni lenitate cõtaminare conatus est, cum ꝑsertim diabolus hac uti soleat arte, ut timidos metu perterreat, fortes leniat atq; palpet. Quod imitatus præses, ubi illum rebus terribilibus nõ flexit, dolis ac placabilitate circũuenire quęrebat: quãobrem magna se daturũ spondebat, quorũ alia tunc haberet, alia imperatorẽ daturum ei affirmabat, locũ inter milites illustrem, facultates, opes quicquid deniq; animus cuperet. At ille nec sic quidem uictus, præsidis insaniã ridebat, qui cõpensare dignum aliquid supernis sedibus existimaret. Impius ille tunc laxatis iræ habenis furore percitus, ensem uagina diripit, lictorẽ coràm astare iussit, et manu et lingua nefanda ad uiri damnationẽ se accinxit. Ad tribunal omnis theatri multitudo cõuenit: reliquus uero populus, qui ante urbis mœnia diffusus erat, ad hoc nouũ properauit spectaculũ, quod & angeli et homines uerebantur, dæmones uerò perhorrebant: Quid plura? Cõcurrentibus eò cunctis, urbs penè uacua facta est. Matresfamiliãs nobiles, ignobiles prope-

rabant,domus sine custodib. relictæ,tabernæ operarijs desertę, in foro uenalia disiecta iacebant. Ex hoc tamẽ urbs tuta,cp omnibus extra moenia egressis,nemo intus remanserat,qui nefas aliquid perpetrare posset. Serui domino simul & opere neglectis,auidi spectandi erant. Virgines tũc primo extra domos prodeuntes,mariũ uultus cõspexêre. Valetudinarij ac senes ipsi quoq; extra muros cõtendebant. In tãto itaq; ciuitatis concursu, beatum Gordium alteram uitam iam iam per mortem corporis spectantem atq; tenentem, necessariorum amicorumq; turba circumsistebat,amplectabantur,oscula dabant, demũ flentes adhortabantur,ne sese in ardentes flammas conijceret, ne florem proderet iuuentutis,aut æthereas auras,solisq; dulce iubar relinqueret. Nonnulli quando à fide omnino auertere non poterant, aut fas putarent, quibusdam eum uerisimilibus aggrediebantur rationibus,& Christũ tantum corde si cuperet retinere, ore autem negare suadebant. Non enim deũ uerba, sed loquentis animum inspicere. Hoc fermè modo exasperatum iudicis animum demulceri,& deum nihilominus propicium posse reddi asseuerabant. At ille tanquam cautes immota maris exagitantibus fluctibus, nulla ui,nulloq; uerborũ impulsu quassatus, in obstinato cœptoq; proposito inexorabilis permansit. Vt enim sapientis domum supra petram ædificatam, uis nulla uentorum, aut imber è cœlo uehemens, nec torrentis impetus quassare potest:ita demũ nec preces ullæ, aut minæ constantiam eius euertere potuerũt. Cumq; mentis acie huc illuc uagantem diabolũ,& eius impulsu ac arte hinc lachrymas oriri, *inde uim eloquen*tiæ suadendiq; copiam subministrari animaduerteret,illud domini uerbum flentibus ait:Nolite flere super me,sed flete super dei inimicos, qui in Christianos continuo grassantur, Ipsos inquam flete, qui ignem nobis parant,sibimet gehennæ incẽdia,iramq; in die iræ thesaurisant.Meũ sollicitare aut emollire animũ desinite. Ego enim pro nomine Domini Iesu Christi mille pericula,milleq; mortes,si opus foret, adire sum paratus. Alijs uero,qui Christum ore negare adhortabantur respondit:*Lin*gua quidem, quam Christi beneficio retineo, adduci nõ possum,*ut suũ* neget autorem:Corde nanq; credimus ad iustitiam,ore confessio fit ad salutem. An primus nũc ego,qui Christum profitear? Nonne alios mei ordinis audijstis Christianos?Primi centurionis exemplũ succurrat, qui cruci seruatoris assistens,eius diuinitatẽ per prodigia facta cognoscens, non est ueritus adhuc Iudæis furentibus, in cæde nomen eius palàm fateri.Quod enim animo sensit,id ore subito manifestauit: Vere filius dei erat iste.Alius item centurio, anteq; morti traderetur Christus, tanta fide egregia inuentus est,ut sese indignũ eius aduentu, qui curare uerbo poterat absentem,iudicaret. Ex quo Domini uoce palàm laudatus est, non inuenisse tantam in Israël fidem testantis. Cornelius item centurio angelum domini uidere,& per Petrum saluus fieri meruit, cuius dominus

nus preces simul & eleemosynas respexit. Horum igitur centurionum libenter discipulus & imitator esse cupio. Negem ego Deum meum, in cuius cultu sum educatus? Nonne coelum, sol & astra omnia, lumẽ mihi clauderent suum? Credam profecto humum, quam pedibus tero, mihi ruituram. Reuocate tam nefandam ex animo sententiam, aliam induite mentem. Deus nequaquam irrideri potest: ex ore nostro nos iudicat: ex nostris inquã uerbis nos seruat & damnat. Nonne tremendã Domini sententiã audiuistis? Qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eũ coram patre meo, qui in coelis est. Mihi consulitis, ut deũ nosse dissimulem? Quamobrem? ut uitam prorogem? mortẽ differam? dies adijciã? At supernæ uitæ longæuos perdam annos. An ut corporis cruciatus effugiam? At æternæ patriæ dulcedine priuabor. Nam iri perditum dedita opera et fraude ac dolo, sęuas tartari poenas mercari, manifesta quidem insania. Vobis igitur consulo, si male sapitis, sapientiã ac ueritatem discite. Si uero dissimulatis temporique obsequimini, uos hortor rogoque, relicto mendacio, uera loquamini. Dicite quoniam dominus noster Iesus Christus est in gloria dei patris. In eius nomine omne genu flectitur coelestium, terrestrium & infernorum. Omnes profecto morti sumus obnoxij, sed non omnes inclytam martyrij mortẽ sortiuntur. Non igitur naturalẽ uitæ cursum præstolemur: mundana funera, supremas nostrorũ lachrymas despiciamus, coelestem gloriam uiolenta immaturaque morte præueniamus. Velociter ex hac uita, quæ potius est interitus longus dicenda, breui quidem labore ad ueram uitam cõmigremus. Quid miseri supremum ætatis finem inutilem, sterilem, infructuosum, stultũ, uanum, hominibus pariter & brutis cõmunem expectatis? Quicunque enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resoluũtur, aut uiolento improuisoque casu aliquo concidunt. Quando igitur omnino semel è uita migrandum est, martyrium pro Christi nomine, ut semper uiuatis, alacriter assumite: ac uitæ, quam omnino relinquere oportet, ne parcite: sit pro necessitate uolũtas. Si enim res mundi perpetuę forent, danda uenia fortasse, si superna pro terrenis relinqueremus. Verũ quoniam fluxæ fragilesque sunt, & illorum cõparatione magnopere indignæ, quis furor in his inuigilare, hæc tanto studio complecti? Hæc ubi dixit Christi miles, crucis se signo communit, et animi magna cõstantia, uultu intrepido, colore nusquã mutato, ad ignis supplicium hilaris contendit: ubi tantã cordis præ se ferebat alacritatẽ, ut non lictorum, sed angelorum manibus se cõmittere uideretur, qui subito post interitũ sublimem eum in coelum deferrent. Ad hæc tantus illius populi clamor ac tumultus est factus, ut uel tonanti coelo nunquam similis sit auditus. Hoc igitur huius præclari martyrij certamen fuit. Hoc hodierna dies spectaculum uidit: quod procul dubio tale est, ut nec temporis diuturnitas unquam abolere, nec longæ consuetudinis fastidiũ tollere, nec aliud quip-

piam quamuis magnum exuperare ualeat. Nam quemadmodũ solem quanto magis aspicimus, tanto magis eum admiramur, nec ullo modo assiduitate uilescit: sic & huius uiri sanctissimi memoria, quo maiori eam temporis spacio retinemus, eo recentior in nostris animis floret. In memoria enim æterna erit iustus: In terris quidẽ, dum terra durabit: in cœlis uero, apud æquum & altissimum iudicem dominum nostrum Iesum Christum: Cui honor & imperium in æterna sæcula, Amen.

FESTVM PENTECOSTES Christianæ.

Ex Aratore.


Piritus ætherea descendens sanctus ab aula
Irradiat fulgore locũ, quo stemma beatum
Ecclesię nascentis erat, quibus igne magistro
Imbuit ora calor, dictisq́; fluentibus exit
Linguarum populosa seges, non littera gessit
Officium, non ingenij stillauit ab aure
Vena, nec egregias signauit cæra loquelas,
Sola fuit doctrina fides, opulentaq́; uerbi
Materies, cœleste datum noua uocis origo
Quę numerosa uenit, totoq́; ex orbe disertis
Sufficit una loqui. dudum uetus ęquoris archa
Cum supperasset aquas, turrim uoluêre maligni
In cœlum proferre suam, quibus impia corda
Sermonum secuêre modos, socijsq́; superbis
Affectus cum uoce perit: confusio linguæ
Consimili tunc gente fuit. nunc pluribus una est
Ecclesiæ quomodo uenientis imagine gaudet
Concordes habitura sonos, & pace modestis
Fit facunda redux, humilisq́; recolligit ordo
Quod tumidi sparsere uiri, res maxima cogit
Non reticere diu, quid sit quod spiritus almus
His datur in flamma: Iordanis ab amne columba
Quod tunc rite canam, promissaq́; debita soluam,
Si sua dona ferat, duo sunt hæc signa figuræ
Vt sit simplicitas quam congrua diligit ales
Quæ ne tarda gerat sine dogmatis igne tepores
Sit pariter succensa fides ibi destinat undis
Vnanimos. hic ore iubet flagrare docentes
Mentibus instat amor, sermonibus æstuat ardor.
Hos etiam musto typica ratione moueri
Error uetus ait, quos ebria fonte recenti

Comple-

Compleuit doctrina poli, noua uasa liquorem
Suscepêre nouum, nec corrumpuntur acerbo
Quo ueteres maduêre lacus de uite bibentes
Quæ Christo cultore dedit conuiuia uerbis
Vnde rubent quas uertit aquæ, tenuemq; saporem
Legis in ecclesiæ fecit feruescere libris.
Tertia sydereis inclaruit hora loquelis
Hunc numerum deus unus habet, substantia simplex
Personis distincta tribus, quam plurima nobis
Instrumenta patent, simul hęc & tempora monstrant.

DE SANCTO SPIRITV.



Desto sancte spiritus, & paraclesim tuam expectantibus illabere cœlitus, sanctifica templum corporis nostri, & consecra in habitaculum tuum: desiderantes te animas tua præsentia lætifica: dignam te habitatore domum cõpone: adorna thalamũ tuum, & quietis tuæ reclinatoriũ circunda uarietatibus uirtutum: sterne pauimenta pigmentis, niteat mansio tua carbunculis flammeis, & gẽmarum splendoribus, & omnium charismatum intrinsecus spirent odoramenta: affatim balsami liquor fragrantia sua cubiculum tuum imbuat, & abigens inde quicquid tabidum est, quicquid corruptelæ seminarium, stabile & perpetuum hoc facias gaudium nostrum, & creationis tuę renouationem in decore immarcessibili solides in æternum. Interfuimus sacræ uerbi infantiæ, & puerperio uirginis obsecuti sumus cum cœlesti militia gloriam decantauimus paruulo: confessi sumus omnipotentem, quem in cunabulis uidimus uagientem, circuncisionis celebrauimus sacramenta, & truncato præputio uoluptatum sanctimoniæ didicimus mancipari. Interfuimus baptismati saluatoris, & audita patris uoce de cœlis, ad obediendum Christo traditi sumus, & instructi cœlitus quomodo patrem & filium dilectio iungat & uniat, ita ut in ipsis nominibus intimetur distinctio personarum, & naturę unitas euidentissime innotescat. Sed & spiritum sanctum in specie columbæ inter illa mysteria uidimus & intelleximus, ex illa specie gemitus pœnitentiæ & desideria contemplationis diuinæ, ex simplicitate cordis & innocentia uitæ, immaculatæ incessanter prodire, & neminem nisi suspirijs huiusmodi præcedentibus, & inspiratione diuina monente, posse ad cœlestia aspirare, ut suspiratio, & inspiratio, & aspiratio à sancto spiritu & causam habeant & effectum, & materiam, & prouentum. Sequuti quoq; sumus in eremum dominum ieiunantem, & repulsa potenter diaboli uidimus tentamenta. Interfuimus cœnæ, & de calice domini bibimus, pedes lauimus, mortui sumus cum Christo, & ecce uiuimus, prosequimur ascendẽtem,

Ex Cy... no.

& præstolamur promissum nobis spiritum sanctum, cuius unctio nos de omnibus doceat, qui inuisibili magisterio nos doceat, & cœlestibus instruat disciplinis: qui carnales hebetet sensus, & conterat appetitus. Hic spiritus sanctus ab ipso mundi initio aquis legitur superfusus, non materialibus aquis quasi uehiculo egens, quas potius ipse ferebat, & complectentibus firmamentum, dabat congruum motum, & limitem præfinitum. Huius semptiterna uirtus & diuinitas cum in propria natura ab inquisitoribus mundi antiquis philosophis proprie inuestigari non posset, subtilissimis tamen intuiti sunt coniecturis compositionem mundi, compositis & distinctis elementorum affectibus præsentem omnibus animam affuisse, quæ secundum genus & ordinem singulorum uitam pberet & motum, & intransgressibiles figeret metas, & stabilitatem assignaret & usum. Hanc uitam, hūc motum, hanc rerum essentiam animam mundi philosophi uocauerunt: putantes cœlestia corpora, solem dico & lunam & stellas, ipsumq́ firmamentum, huius animę uirtute moueri & regi, & aquas, & terram, & aërem huius semine imprægnari: qui si spiritum & dominum, & creatorem, & uiuificatorem, & nutritorem crederent, omnium quæ sub ipso sunt conuenientem haberent ad fidem accessum. Sed abscondita est à sapientibus & prudentibus tantæ rei maiestas, nec potuit humani fastus ingenij secretis interesse cœlestibus, & penetrare ad superessentialis naturę altitudinem: & licet intelligerent quòd uere esset creatrix & gubernatrix rerum diuinitas, distinguere tamen nullo modo potuerunt, quæ esset deitatis trinitas, uel quæ unitas, uel quæ personarum proprietas. Superferebatur quidem elemento purificatorio spiritus sanctificator, iam tunc baptismi uirtutem enuncians. Iam tunc illa præfigurabantur tempora, quibus arca Noë aquis inuecta diluuij uiri iusti familiam conseruauit illæsam, abolita generatione adultera, qui in filiabus hominum bestiali petulantia effrenes, impudenter se illis commiscuerant, nec diuinos nec humanos in flagitijs publicis uerebantur aspectus. Arcam illam quæ typum gerebat ecclesiæ, spiritus sanctus & tunc regebat, et adhuc regit, extra quam quisquis perfidus euagatur, inuolutus fluctibus mergitur in profundum: & impossibile est eum uiuere, cui non superfertur spiritus uitę, cuius uiuificus calor animat omnia, & fouet, & prouehit, & fœcundat. Hic spiritus sanctus omnium uiuentium anima ita largitate sua se omnibus abundanter infundit, ut habeant omnia rationabilia & irrationabilia secundum genus suū ex eo quod sunt, et quod in suo ordine suę naturæ competentia agunt, num quod ipse sit substantialis anima singulis, & in se singulariter manens: de plenitudine sua distributor magnificus, proprias efficientias singulis diuidit & largitur, & quasi sol omnia calefaciens subiecta, omnia nutrit, & absq́ ulla sui diminutione integritatem suam de inexhausta abundantia, quod satis est & sufficit omnibus, commodat & impartit

impartit. Hic spiritus rubri maris aquas siccauit, et suspensis hinc inde uehementibus fluctibus, ab ollis carnium, & Ægypti pulmentarijs populum ad spiritualem eremi libertatem eduxit incolumen, & alimonijs coelestibus pauit, manna quasi rorem matutinum infundens graminibus, quod colligi iussum est ad mensuram. Aderat plena mensura per totam hebdomadam, uacante sabbati die, cui sexta præcedens dies consueti uictus duplicans quantitatem octauæ præfigurabat quietem, in qua absq; labore & solicitudine in delicijs epulabuntur electi, & saturabuntur in terra sua duplicia possidentes, corporis et animæ felici perennitate & perrenni felicitate ditati. Hic est spiritus sanctus, quem magi in Ægypto tertij signi ostensione conuicti, cum sua defecisse præstigia faterentur, Dei digitum appellarūt, antiquis philosophis eius intimarunt præsentiam defuisse. Et licet de patre & filio aliqua sensissent Platonici, spiritus tamen tumidus & humani appetior fauoris sanctificationem intellectus diuini mereri non potuit, & ubi ad profunditatem sacramentorum uentum est, omnis eorum caligauit subtilitas, nec potuit infidelitas sanctitudini propinquare. Hic digitus dei mundanæ iudex & uindex perfidiæ, noui tempore testamenti potenter expellit dæmonia: nec laborat agendo, sed solo nutu perficit omnia: quod dicit, facit: quod iubet, implet: secreta indicat, pandit occulta, reuelat ingnota, hebetat acutos, & perspicaces confutat. Hoc digito in lapideis tabulis lex primum conscripta, quinquagesimo die post egressum Israël de Ægypto in monte Sina Moysi est commendata: sed populus nequam, & gens durę ceruicis, à quorum animis terror ille recesserat, quem mors ardens & flammea iuga, & clangor buccinæ, & lampades coruscæ, & horrenda tonitrua nuper incusserant, in apostasiam cōuersi, & de Moysi reditu desperantes, lege diuinitus missa indigni iudicati sunt: quia in oculis eorum Moyses frangens tabulas, tam uerba quàm instrumenta comminuit & deleuit. Quin etiam sceleris ultione patrata, reuersus in montem ad dominum, quadraginta diebus ieiunans, & colloquens, tandem obtinuit ut ipse alias ex saxo ad instar priorum excideret tabulas, in quibus eandem quæ in primis fuerat scripturam insculperet & formaret. Factumq; est mirabili dispensatione superni iudicij, ut lex quam sanctus scripserat spiritus, deleretur: & quam manus humana restituit, in posterum teneretur. Quod ea ratione credi potest sic actū, ut populus prior secundum carnem ambulans & uiuens, diuinis colloquijs & spiritualibus mandatis ostenderetur indignus: nec posse mentes perfidas sancta percipere, nec intelligere sacramenta, quæ exemplarium tegmine uelabantur. Porrò testamenti noui quæ Christo euangelizante patuit ueritas uerbo Christi prolata, indissolubilis permansit, & solida deinde stabilitatis perpetuæ autoritate fulcita est, eò quòd oblam gratiam humiles susceperūt, & quòd filius inter pauperes spiritu inuenit sibi domum,

in qua

in qua caput reclinaret, & merito reprobatos uisibiles tabulæ inuisibilis dei indicant contemptores, & ampliori dignos honore incarnati uerbi credulos auditores, & deuotos ueneratores. Lex igitur à paschalis agni immolatione die quinquagesimo datur, & pentecostes nomen tantę rei solennitas ex lege accepit, in ipso dierum numero sacramēti magni complicans rationem. Septenarius quippe numerus septies reuolutus, quinquagesimum efficit, addito monade, qui præsentis sæculi meta, & futuri initium, perpetuitatem sub octauæ nomine continens, sic præsentia terminat, ut nos ad perpetua introducat. Sacratus hic septenarius numerus à conditione mundi autoritatē obtinuit: quoniam in sex diebus prima dei opera patrata sunt, & septima consecrata quieti, quasi sancta & sanctificans solennitate uacationis honorata, & spiritui sanctificatori attitulata. Vnde & cessanti à seruilibus operibus populo iubetur ut diem sabbati sanctificet, & spiritui rectitudinis, & sanctitudinis, & fortitudinis asscribat, quod directe, quod honeste, quod uiriliter incedit, quia totum ex eius constat ducatu, quod deuij diriguntur, quod impij conuertuntur, quod debiles confirmantur. Spiritus rectus, spiritus sanctus, spiritus principalis regit, componit, consummat, & perficit quas inhabitat mentes, & corda quæ possidet: nec errare patitur, nec corrumpi, nec uinci, quos docuerit, quos possederit, quos gladio potentissimæ uirtutis accinxerit. Septenarius iste ex quaternario & ternario constans, cum in se propter prædictas causas honorabilis habeatur, habet ex partibus suis excellentiam maximam: quia artificis & materiæ uidetur exprimere & distinguere primarias substantias, ut ternarius creatorem propter trinitatem enunciet, & quaternarius creaturam propter quatuor elementa, quæ rerum omnium causæ sunt & semina, sub huius numeri breuitate concludat. Spiritus sanctus à patre procedens, à patre & filio, quaternario superfertur, & conditor benignus opus suum amplectitur, & diligit quod plasmauit, & creaturam suam sanctus ipse sanctificat & consotiat sibi, & caritatis nexu statuit & cōquadrat. His alijsq; secretiorib. rationibus quas illustriū uirorū subtiliora ingenia indagarunt, septenarius numerus in scripturis sanctis sępe sacramentales causas complectit, & simplex & multiplicatus necessarios ad intelligentiam diuinorū operum parturit intellectus. In hebdomadibus apud Hebræos dies septimus sabbatū idem requies appellatur, qui numerus nō tam in septimanis, sed etiam obseruatur in annis, & annorum hebdomada consummata, septimus annus requietionis est, & ipsi terræ sabbatum imperatur: nec fas est cuiquam eo anno serere uel metere quippiam, sed quæ sponte siue in terra, siue in uineis, uel in arboribus nascuntur, alimoniæ pauperum deputantur. Annorum quoq; septimanę apud Hebręos quinquagesimum annum faciunt, quem iubileum appellant, in quo decreto legis (ut supra dictum est) fit terræ remissio, & seruorum libertas, & restitutio,

stitutio possessionum, quas catenus distractio alienauerat, & cætera huiusmodi gratis ad hæreditatis ordinem reuertuntur. De numero septenario cum multa dicta sint, plura supersunt quæ in Lege & Euangelio præcipue cōmendātur. Quinquagesimus itaqꝫ annus perficit iubileum, quinquagesimus dies à pascha pentecosten facit, in quo uere spiritu sancto infuso apostolis, ad hęreditatem cœlestem à quo uenundati sub peccato exulabant, quos diabolo domino mendicitas et egestas subiecerat, reuertuntur. Septem sacerdotalibus clangentibus tubis, Hiericho corruit: septem petitionibus orandum patrem filius docuit. Remissio peccatorum duplicato septies septenario Petro mandatur. Leprosus septimi diei inspectione à sacerdote iudicatur, summi sacerdotis in septem diebus consecratio consummatur. Dominus Iesus Christus de septem panibus quinqꝫ milia hominum reficit: Et iustus quisqꝫ deo laudes per diem septies dicit. Ipse dominus Iesus ab Adam secūdum generationes, quas Lucas cōmemorat, septuagesimusseptimus inuenitur, ut ultionem in Lamech septuagesiesseptíes promulgatā ueniens terminaret. Septem diebus in pascha editur azyma. Septem diebus mense septimo tabernaculorum solennitas celebratur. In septem annis templum à Salomone construitur: septem brachijs & totidem luminibus candelabrū adornatur. Celebramus tam nos quàm Iudæi quinquagesimum diem, sed illi in typo, nos autem in ueritate, non tam significamus quàm agimus. Pentecosten igitur celebrantes cōmemorauimus, quæ olim sub Moyse in ueteri testamento sunt acta, & quæ sub Christo facta sunt, post cuius ascensionem in cœlos spiritus sanctus uisibiliter super apostolos in linguis igneis apparuit, & ad instar prioris sæculi uniuersitatem fidelium unius labij esse uoluit: ut quorum erat cor unum et anima una, una esset & lingua: nec posset impedire intellectum credentium aliqua diuersitas uerborum, sed euangelica doctrina propria lingua prolata ad omnem auditum eandem efficientiam obtineret, & Græcis & Barbaris omnibusqꝫ gentibus uerbum Euangelij sic esset intelligibile, ac si in eorum auribus linguæ in qua nati erant idiomata resonarent. Aderant Medi, & Elamitæ, Mesopotameni, & Arabes: Hi omnes, dum Hebræa lingua apostoli prædicarent, locutio Iudaica enunciationis suæ articulos cursu consueto euoluens nullo exponebatur interprete, sed uerbo eorum per spiritū sanctum inerat uirtus & gratia, ut habitantes Pontum et Asiam, suam esse dicerent linguā, quam audiebāt, quasi primitiuæ linguæ libertas ad antiquitatis reuersa originem confusionis contumeliam euasisset. Nec tantum apostolis collata est hęc gratia, sed multitudini credentium idem spiritus superfusus est, intus ardentibus, extra loquentibus, & complectebantur se dilectio & uerbum, & de calore spiritus sermo feruebat ingnitus. Iam omni timore excluso, obedire, sed Deo magis ꝙ hominibus publice profitebantur, & uidebatur eis gloria, si pro Christo

Iniuriam pateretur. Ad hũc modum olim Moysi iussum est,ut in uiros septuaginta,quos ipse presbyteros iudicaret, de spiritu suo partiretur, ut in negocijs partem gererent solicitudinis, quibus cum imposuisset Moyses manus,requieuit in eis spiritus sanctus,qui non Moysi ablatus est,quasi ipse sine spiritu remaneret,uel idem spiritus secaretur in partes, sed secundum mensuram donationis diuinæ quæ erat in Moyse, gratia singularis facta est multiplex & communis, & data est multis in eo potestas,quod prius solius Moysi disponebat autoritas. Sic Heliæ spiritũ duplicem recepit Helisæus, non quod in duas substantias idem spiritus sit diuisus,et duos propheta sanctus habuerit spiritus,sed quod populo Christiano, cuius typum Helisæus gerebat,accepto spiritu sancto, data sit potestas in opere & sermone,& ascendentẽ Heliam,id est Christum, pio desiderio prosequutus fide claruerit et intellectu,& uita & signis & miraculis fulserit & exemplis. Hic sacrorum ordinum distributor reges creat & principes,sacrat pontifices,eligit sacerdotes. Hic sapientia Salomonem, intellectu Danielem, Ioseph consilio, Samsonem fortitudine, Moysen scientia,Dauid pietate, Iob timore prosequitur, & sanctorum animas omnimodis fœcundat uirtutibus, in tantum affectos pacificos prouehens,ut iam in cœlis nostra sit conuersatio,diffusa in nobis charitate per spiritum sanctum,qui datus est nobis. Hic in pudicis mentibus sibi statuit mansionem. Hic humiles & cœlibes habet domesticos, abominatur ærarios,falsarios detestatur. Hic Giezi mercenarium lepra condemnat, & Ieroboam uendentem sacerdotia cum apostatis locat. Hic Simonem gratiæ Dei nundinatorem à sanctorum cõsortio exhæredat, cuius detestabiles ausus ultrix ruina confundit & quassat. Hic Balaam ad maledicendum conducto silentium imponit,& per asinam redargutum,colliso ad parietem pede,uacuum pecunia, contumelia oneratum, claudicantem ad propria remisit confusum. Hic omnibus ecclesiæ sacramentis interest,quæ ipse efficit & consummat. Hic peccata diluit: hic iustificat impios, & ad uitã reuocat mortuos. Hic discordes pacificat, & uinculo dilectionis astringit & ligat. Hic nos cœlo inuehit,& à mundi huius uanitatibus auulsos superni regni cõstituit hæredes,cuius summa est felicitas,quod corpus istud spirituali effectu cum angelis conuersabitur,nec ultra erit carnis & sanguinis aliquis appetitus, sed erit omnium plena sufficientia,cognoscibilis Deus,& inhabitator spiritus sanctus.

HYMNVS DE SANCTO SPIRITV.

IAm Christus astra ascenderat
Regressus unde uenerat:
Promissum patris munere
Sanctum daturus spiritum.

Solennis urgebat dies:
Quo mystico septemplici
Orbis uolutus septies
Signat beata tempora.

Dum

Dum hora cunctis tertia
Repente mundus intonat,
Orantibus Apostolis
Deum uenisse nunciat.
De patris ergo lumine
Decorus ignis aduenit,
Qui fida Christi pectora
Calore uerbi compleat.
Impleta gaudent uiscera
Afflata sancto spiritu,
Voces diuersas intonant:
Fantur Dei magnalia.
Ex omni gente cogniti,
Græcis, Latinis, Barbaris,
Cunctisq; admirantibus,
Linguis loquuntur omnibus.
Iudæa tunc incredula
Vesana toruo spiritu,
Ructare musti crapulam
Alumnos Christi concrepat.
Sed signis & uirtutibus
Occurrit, & docet Petrus,
Falsa profari perfidos
Iohelis testimonio.

VNITAS TRINITASQVE DEI OPT. Max. sacrosanctissima.


Qui pater & genitus & spiritus inclytus almum
Numen personis distinctum uiribus unum,
Te summe omnipotens æterne essentia simplex,
O genitor, patris ô genite, atq; ô spiritus alme
Amborum nexus, & summi copula amoris
Te colo, te ueneror, te supplex semper adoro.
Te genitrix natura colit, te pontus & aër,
Quæq; imam nimio sortita est pondere sedem,
Terra parens, citimo & feruens plaga proxima cœlo
Errantes uarijs te obseruant sedibus ignes.
Quorum sydereæ deflectit lora choreæ
Flammiferi solis non recto semita cursu,
Te colit octauæ sphæræ creberrima lampas,
Et numerum seruat superum, qui sedibus orbis
Proximus & reliquos spacijs ingentibus ambit.
Extimus incenso te spiritus igneus ore,
Ardet in exhausta summi dulcedine amoris,
Et semper saturo fœlicior ore.
Te quoq; concipiunt Cherubini, & lucida sedes
Suscepit iusta & de maiestate pependit.
Hinc dominus, uirtus atq; hinc tremit alta potestas,
Principis inde chorus cælso tibi paret olympo.
Quiq; regunt orbem, nec non quibus infima tellus
Flectitur, angelicæ seruant tua iussa cateruæ.
Te dominum, regem, moderatoremq; fatentur
Omnia, te summis affectant uiribus omnes
Cœlicolæ, affectant terrestres, tartara nomen

Formidant, celeriq́ꝫ fuga mandata capessunt.

EX EODEM.

Rex summe æterni soboles æterna potentis,
Cuius opus terra & cœlum, cuiq́ꝫ omnia curæ
Cuius & ad nutum legio famulatur olympi
Innumera, & tetri metuunt quem monstra barathri,
Cui uario errones cursu, cui sydera parent,
Sydera flammiferum subterlabentia cœlum,
Qui lucis noctisq́ꝫ uices, qui tempora motu
Deducis, suauiq́ꝫ manu qui cuncta gubernas,
Et trifidum sæuos fulmen iacularis in hostes,
Cui tellus, aër, pontus, cui militat omnis
Natura, & stabili reparatur læta recursu,
Compescitq́ꝫ uagos hominum taciturna tumultus:
Qui Mariæ castum uoluisti habitare cubile,
Indutusq́ꝫ hominem mortalia membra subisti,
Vt nos eriperes, summo ut flammatus amore
Assereres domitas inferno à principe terras:
Te canimus, laudesq́ꝫ tuas prægestit apisci
Spiritus, humano quem corpore lurida nubes
Sepsit, & implicitum prædura compede terret,
Nec sinit eliso residem rex optime linguam
Gutture præcelsæ molem componere laudis.
Disijce mortales nebulas, trepidumq́ꝫ timorem,
Disijce pollutæ nimium rẽtinacula linguæ,
Luceat internis oculis tua uiuida lampas,
Et labris celso resonent præconia cantu.

DE S. BONIFACIO MARTYRE.

GRegorius misit in Britanniã aliquos uerbi ministros, *qui* conuerterẽt Anglos, Augustinum, Mellitum, &c̃. Pòst quidam religiosi Angli pegrinari cœperunt in Franciæ regnũ, ex quibus fuere Vuillibrordus, Vuigbertus, duo Ewaldi, & sanctus Bonifacius, &c̃. Item duo fratres Wilibaldus & Wunebaldus Christi cõfessores, cum castissima sorore Waltburga, qui adierunt locum Heistatensis ecclesiæ. Wilibaldus à Bonifacio ibidem præsul factus, &c̃.

VITA GREGORII DISCIPVLI Bonifacij.

LEgitur de puro Christianismo illo tempore, Prædicator uerbi Bonifacius unà cũ discipulis Gregorio illo & Lullo, & Megingolus, Wilibaldus, Sturmis, Wigbertus & Burchardus. Per hos omnes conuersa

uersa Erphurt, & in Hassis Frideslar, ubi primitus in partibus illis exordium habuit religio Christiana. Item Traiectum, Wirciburg, Eichstedi, &c. Tempore Caroli, & post hunc filiorũ eius Carolomanni & Pipini. Tunc factus Bonifacius episcopus Maguntinensis, Mirum quot afflictiones pertulerit ab hęreticis, qui eum etiã denigrarant apud ipsum Carolum seniorem: scribitur effugasse nebulas hæreticæ prauitatis, &c. Atq; hinc liber Bonifacij contra hæreses, à me Fuldæ uisus. De Sturmi abbate Fuldeñ. ait, testari Bochoniam syluam, quæ antehac inculta, nũc ab oriente usq; ad occidentem à septentrione usq; ad meridiem ecclesijs dei & electis palmitibus monachorum repleta est. *Alibi legitur Sturmio.*

VITA S. BONIFACII MARTYRIS A' S. Wilibaldo descripta.



Veritiæ temporibus in monasterio, cui p̃sidebat Wolfhardus abbas, operam dedit & pietati & literarum studijs, semper in animo habens sanctorum exempla sequi. Egregiũ specimen de se præbuit tam in nationali Cõcilio, quod celebratum est nõ sine consilio archiepiscopi Cantuariensis, q̃ in emporio Lundenwik, quo tempore hostilis exorta dissensio erat inter Carolum Francorũ & Radbodum Fresonum reges, propterea q̧ Radbodus exactis Christianis, atq; destructis eorum templis, idolorũ culturam renouauerat. Quã calamitatem ægerrime ferens Winfridus, postea Bonifacius dictus, uix sibi temperauit, quin impium principem increparit. Verum prospexit sibi de oportuniore tempore, quo Fresonibus Euangelium denuò prędicaret. Interea Romam adit, ubi accepto mandato à Gregorio II. pontifice ad inspiciendos immanissimos Germaniæ populos (hæc enim uerba Wilibaldi) uenit, Apostolica legatione functus, uenit & in inculta cordium arua, prædicationis semen, Euangelico arata uomere, iecit: antea salutato in Italiæ finibus Luitbrando Longobardorum rege. Deinde prærupta alpiũ iuga transcendens, incognitos Baioariorum & Germaniæ terminos aggreditur, in Thuringiam iuxta mandatum Apostolicæ sedis progressus est. Ibi iacto bono uerbi semine, in Franciã uenit. Dum hæc aguntur, auditur mors Radbodi Fresonum tyranni, illuc sine mora peruolans Bonifacius cœlestis doctrinæ semina ministrauit, & uerbi dei fame expulsa, famelicã paganicæ superstitionis multitudinem æternæ prædicationis pabulo refecit. Carolus fuit Fresonum rex, atque tunc buccina cœlestis uerbi cõcrepuit, & prædicatorum aduениente superni roris fertilitate uox intonuit, dum etiam per Willibrordũ ac cooperatores eius propagatus est sermo, destructis idolorum phanis, & extructis ecclesiarum oratorijs. Iam uero Frisia spiritali doctrinæ reddita, alias Germaniæ partes p̃dicandi gratia adijt, & populos erroris horrore deposito, à maliuola gentilitatis superstitione retraxit, ac monaste-

Britannus, seu Anglus natus Bonifacius.

Verba Vuilibaldi.

rij collecta seruorum dei congregatione cellam construxit. Similiter iuxta fines Saxonum & Hessorum populum paganis adhuc ritibus oberrantem, à dæmoniorum captiuitate per Euangelicam prædicationem liberauit, &c. Quo facto rursus Romam ijt accitus, & Gregorio pontifici ratione suæ fidei ac doctrinæ in charta scriptam reddidit, quã approbans Gregorius, fecit illũ præsulẽ simul mutato eius nomine, Winfrit. Qui Caroli patrocinio subiectus, ad Hessorum metas perrexit, ubi per prædicationem eius multi catholicæ fidei subditi, ac septiformis spiritus sancti gratia confirmati, manus impositionem ab eo acceperũt. Eodem tempore reuicit disputando pseudoprophetam Adelbertum. Nam is penè seduxerat Carolum. Porrò ab eo conflictu dehortati fuerant Bonifacium sui clerici Lullus, Megingauzus, Sturmio, &c. At ille responderat: Maior est, qui in nobis regnat, quàm diabolus, qui illum possidet. Victus phantasta, & carcere Fuldensis monasterij reclusus diu uexabatur. Pergit deinde Bonifacius Hessonum populis adnũciare uerbum uitæ. Id temporis mouerunt arma Saxones in Thuringos, qui opem Caroli implorantes, uictores horum extitère. In ea strage occubuit antistes Geroldus, cuius filius Geilep successit in eius episcopatu: quem postea Bonifacius correxit propter aliqua incommoda. (fit hic mentio parochiæ pro episcopatu, sicut in libris Eusebij) Cęterum Carolomannus & Pipinus regni Francorum principes cõspectis Bonifacij uirtutibus, & qui in disponendis & corrigendis rebus Ecclesiæ personam nullam accepit, cõmuni totius cleri & populi consensu, Moguntinensis Ecclesiæ culmẽ ei cõmiserunt: & ut dignitas eminentior foret, decreuerunt ijdem principes, ecclesiam Mogunt. quæ prius alteri subiecta fuerat, metropolim omnium in Germania positarum ecclesiarum efficere. Moxq́ue legatione facta, illud à præsule Apostolicæ sedis impetrare curauerunt. At uir dei semper inuigilauit prædicationi & exhortationi. Cũ uero deessent operarij messis, coactus est uocare religiosas fœminas. Tecla docuit iuxta Mogum flumen, in Kitzingen, & Lieba in Biscofesheim Monasterio constructo, &c. Sed non diu pòst misit dominus operarios in messem suam: nempe Burchardum, quem Wirceburc misit, & Wilibaldum, quem episcopum ordinauit in Eistete, & Iohannem, quẽ in Saltzburg sublimauit, & Ernbertum in Frisingen, & Gaiabaldũ in Regenspurg, & Gregorium, quẽ fecit Traiectensem episcop. aliũ in Ougesburg, &c. Quos bello sermone et planè Euangelico adhortatus est, ut curam gregis habeant, &c. planè alter Paulus. Plura eius in Germania gesta in epistolis illius reperiuntur. Memorabile est, quòd è Moguntia iam episcopus tantus egressus, in orientalium fines prędicando & baptizando peruenit: nec sine miraculis oberrauit. Additur inter alia Hessonum populos lignis ac fontibus sacrificasse, paganos nimirum adhuc. His cõuersis iterum in Thuringiam profectus est, quos partim relapsos, partim infirmos in

mos in religione inuenit, sub impijs ducibus Theobaldo & Heidone, &c. Compescuit ibi seductores Dorthwin, Berter, Camberth, & Vnrat. Tunc Ecclesiæ repente instaurantur, & prędicatio eius doctrinę uniformiter emanauit, Monasteriumq́ Ordorff uulgo dictum, cōstructum est, in quo monachi proprijs sibi manibns, more Apostolico, uictum uestitumq́ instanter laborando acquisierunt, &c. Conuicit item quendam hæreticum nomine Erminulfum, dum peragraret Baioariā. populumq́ à sectis idololatriæ reduxit. Tandem urgente necessitate incitauit Carolomannum ad congregandam Synodum, &c. Lullus Bonifacij Achates ab ipso Episcop. ordinatus, succedere ipsi debuit, si contingeret mori in Frisia, quam propter Euangelium iam tertio & ultimo petijt. Illi Lullo commendauit ecclesiarum structuram à se inceptam, iubetq́, ut ædificationem Basilicæ ad Fuldam compleat, & illuc corpus suum perducat: sed & linteum, ait, quo meum decrepitum inuoluatur corpus, in theca librorum meorum repone, &c. Hic Lullus nihil nisi faciem lachrymis rigabat. At Bonifacius accepto in Frisiam itinere, uerbū dei instantissime prædicabat, paganico & terranico gentilitatis ritu destructo, &c. Multaq́ milia hominum cum suo coëpiscopo Eobano baptizauit, &c. In confinio Osterrich & Westerich ad ripam Borne erat festum Neophytorum ob Confirmationis diem, & nuper baptizatorū ab episcopo manus impositionis & Confirmationis prædictum populo fuerat. Nam longè lateq́ unusquisq́ dispersus, ad propriam reuersus domum est, ut secundum diffinitam sancti episcopi sententiam, uniuersi prædestinato Confirmationis eorū die præsentarentur. Cum ergo prędictus dies illuxisset, tunc uersa uice pro amicis inimici, & noui lictores pro nouicijs fidei cultoribus aduenerant, armis strepentes. Socij Bonifacij se gladio tutari uolentes, ipsius salutiferis uerbis cohercētur: Cessate pueri, deponite bellum, ne malum pro malo reddite: iam enim optatus adest dies nostræ resolutionis. Confortamini in domino, & promissionis suæ gratiam gratanter sufferte. Sperate in eo, & liberabit animas uestras. Mox sic: Viri fratres, estote forti animo, & ne terreamini ab ijs, qui occidunt corpus, &c. sed gaudete in domino, & anchoram spei uestræ in eum defigite, &c. Et his similia dum exhortatur, furens paganorum tumultus cum gladijs in eos irruit, & felici cæde Sanctorum corpora cruentauit. A' cæde diripiunt tentoriolum ad ripam, ubi Bonifacius uolebat baptizatos confirmare: & reperta librorum cista putabant pecuniam inesse, nimirū speratum spolium. Verū cum fregissent, librosq́ pro pecunia inuenissent, in rabiem acti, omnes illos huc illucq́ disperserunt, ut perirent, seq́ mutuū cæciderunt. Inuenerunt etiam capsas reliquiarum. Porrò ex dispersis & abiectis libris super illi tres à me Fuldæ uisi. Et hoc testatur historicus, cuius sunt hæc uerba: Inter eosdem uerò libros repertus est liber sancti Euangelij, quem Bonifacius secum iugiter in

Flumen fentis

De morte sancti.

Verba historici huius.

ter in manu ferre solebat. Hic quamuis gladio acuto per medium incisus fuerit, nullius tamẽ literæ integritatẽ ea incisione perdidit. Quẽ, ut ferunt: Bonifacius in illa hora, qua ad caput eius abscindendum uibrabatur gladius, habens in manibus uel pro tutela capitis, seu pro spiritali clypeo, quem in libro illo esse credidit, percussori obtulit. Scribitur, Christianos collectis copijs in ea regione, paganos illos insecutos fuisse, & percussisse gladio. Corpus eius à clero Traiectum delatum, unde Moguntiam, postremo curante Lullo Fuldam translatum est, Anno Bonifacij LX. Anno Domini D.CCLV. passus est Bonifacius cum socijs suis presbyteris, diaconis, & alijs cooperarijs ad regnum Dei, ad ripam ubi erat baptizans. Regnãte domino nostro Iesu Christo, cui laus & gloria semper, Amen.

Alia historia de S. Bonifa. quæ eum uocat Apostolũ Germaniæ.

Ego Wilibaldus Episcop. &c. uitam & passionem Bonifacij conscripsi primum in ceratis tabulis ad probationem Lulli & Megengaudi. Post eorum examen in pergamenis rescripsi. Atque hoc in loco, qui dicitur sancti Victoris extra muros Moguntiæ, ubi Lullus & Rabanus uacabant orationibus, &c.

DE EODEM S. BONIFACIO, EX Bibliotheca Schwabenheim.

Sanctus Bonifacius claro Anglorum genere natus, in monasterio ibidẽ monastica uita imbuitur, & triginta annorũ presbyter ordinatur, & cum literis commendatitijs Episcopi sui Romam ad S. Gregorium secundum mittitur, à quo Germaniæ prædicaturus dirigitur. Bauariæ igitur orientalique Franciæ prædicans, Turingiam, Saxoniam, Nepnariam, Frisoniam diuina impleuit prędicatione. Postea à S. Willibrordo archiepiscopo senio fesso iugum episcopatus suscipere rogatur, sed renuit, mandatum asserens à Summo Episcopo accepisse illis terris uerbum Dei nunciare. Vero si sine cultu Apostolico tam præclarũ onus subire nolle: & accepta licentia abcessit, Frisonumque genti, & Saxonum & Hessonum uerbum Dei nunciauit. Et sic literas factorum suorum apostolicè direxit: & non multo post in mandato accepit, ut Romam reuiseret. Quod & fecit, & fidem gentibus traditam in scripto Papa dedit, et sic gradum pontificalem accipiens, ad Carolum principem Francorum cum literis mittitur, benigneque ab eo suscipitur. Et non post longũ Maguntinensi ecclesiæ præficitur: Vbi diuina agens obsequia, Fuldense monasterium inchoauit, Bauariamque uisitauit, ab hæreticis deprauatã inuenit. Quos cum deuincens damnaret, Deo & Odilone duce iuuantibus totam Bauariam in quatuor Ecclesias diuisit: Salburem, Regursbur, Frisingam & Batauim. Episcopos quoque ut hæreticis resisterent, ordinauit. Deinde in orientali Francia statuit duo Episcopata: Wirsburg & Einstat, & ibi Episcopos similiter ordinans cum eis satagebat diabolo auferre animas deceptas. Et senio lassus successorem sibi

rem sibi Ludonem nomine ordinauit, tradẽs ei ecclesiastica officia: ante omnia præcipit ut mortuum in Fuldensi monasterio sepeliret. Ipse uero in Frisiam undecim socijs comitatus pergens, in ciuitate Tehet ecclesiam statuit, & episcopum ordinauit, & idola destruens, à paganis cum suis occiditur post innumerabilem Papę domino acquisitũ. Qui sepulti sunt in ciuitate Tehet ab incolis. Corpus uero S. Bonifacij à Ludone in Fuldense monasterium transfertur.

S. LIEBA ALIAS LIOBA.



Anglicana uirgo, uenit in Germaniam, S. Bonifacio ob communem religionem deditissima: quo tempore Carolus uixit. Monasterijs in Bischoffheim & Sconersheim prope Maguntiam præfuit Abbatissa: mire pia. Licebat illi soli, quoties præcationis causa, Fuldam accessisset, monasterium ingredi, quò alioqui non patebat ingressus fœminarum. Eam Bonifacius in Phrisiam abiturus Lullo commendauit, exhortans, ut constanter Deo seruire pergeret. Iussitq́, ut mortuæ Liebæ corpus suo corpori in eodem sepulchro Fuldæ iungeretur. Hæc S. uirgo incendium pagi maximum aqua benedicta & sale restinxisse fertur: Sic legi descriptam historiam. Omnibus sororibus incendio pturbatissimis, req́ desperata, iussit Lieba sibi in concha nonnihil aquæ adferri ex fluuio qui per Monasterium currebat. Eam sine mora allatam, sale, quod à S. Bonifacio benedictum indesinenter secum habebat, aspersit, dicens: Ite & hanc aquam in fluuium refundite, omnisq́ populus ab eo loco deorsum hauriat, & cõtra impetum sequentis incendij certatim mittat. Quo facto omnis illa ignium uiolentia ita restincta est, quasi celitus immisso imbre &c.

VITA S. KYLIANI.



Ex Hibernia, hoc est Scotus natus, sicut Columbanus quoq́ & Gallus. A' primis annis mundi contemptor, uestigia Christi meditabatur. Sed à prædicatione uerbi abstinuit, donec se Roma. Episcopo probandum exhiberet, à quo missus, Roma egreditur iam illic ordinatus præsul. Comites eius Colomannus & Totimannus, ille presbyter, hic diaconus. Romæ febri correptum Gallum reliquit. Eo tempore dux Gozbertus in Francia orientali regnabat, qui à Kyliano, quũ forte Wirciburgum uenisset, fidem edoceri cupiuit. Quo facto, ualedixit Dianæ, cuius cultui addictissimus fuerat. Porrò in catholica doctrina instructus dux, die paschę cũ multis alijs dato, aqua baptismatis lotus, absolutionem pristini erroris promeruit. Sicq́ factum est, ut penè tota prouincia orientalis Franciæ relicto dæmonum cultu, di- Georg. Vuicelij.

uinæ Religioni operam daret. Sed coniux ducis secundum gentilitatis ritum fratris ipsius coniugio quondam copulata erat, dicta Geilana. Quod illegittimum coniugium nō ferens Kylianus, initio dissimulauit, ueritus ne offenso duce res Christiana detrimentum pateretur: Sed tandem sumpta fiducia monuit ducem, ne se contaminaret falsa uxore &c. Ille assensit ad separationem pietate recepti Euangelij motus, & authoritate sancti uiri adductus. Geilana uero ira incanduit, ceu leena raptis catulis: et mox dispexit, qua oportunitate occideret suasorem separationis. Parauit duos sicarios, qui iugularent tres illos uiros Dei in loco orationis, cui uacabant in nocte. Ante irruptionem dixerat Kylianus, utpote in somnis admonitus de instāte nece: Fratres uigilemus, cito aderit dominus, & pulsabit ianuā. Cauendū ergo est, ne nos somno torpentes inueniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus est, &c. Sicarios quum uidisset Kylianus, dixit: Amici ad quid uenistis? Implete præceptum, & consumabimus cursum. Cædes his secuta est, & defossio cadauerum unà cum illorum libris & uestibus, ne scelus deprehendi posset. Latere aūt nō potuit, quod absente duce patratū fuerat ab Herodiade. Is domū reuersus percontat̃ ubinam sancti sunt. Hæc respondet, se illos nō custodisse, uenerūt quando uoluerūt, recesserūt item quando uoluerūt, ut peregrinationis suę propositū seruarēt. Cui fuco credidisset dux, nisi parricidę ultionē diuinam experti, de se factū illud fuissent confessi. Miserabiliter quoq; Iesabel illa spiritum diabolo tradidit. Post hæc trucidatus est dux cum tota progenie à proprijs seruis. Tum uixit Gertrudis Pipini Francorū regis filia, cuius presbyter Athalungus in Carlburg morabatur, quo autore refossum fuit corpus sancti. Iisdem annis præsidebat Bonifacius Moguntiæ, qui Burchardum in Wircburg misit.

VITA S. LVITGERI.

Georg. Vuicelij.

SYnchronus is fuit S. Bonifacij et Willibrordi, oriundus è *Frisia*, quibus in Saxonię partibus omnem penè uitam *consumpsit*. Baptizatus autem accepit nomen Luitger, ab ipsa pueritia bonis literis deditus. Vtebatur præceptore Gregorio, qui S. Bonifacij discipulus fuera. Literis operam dabat in Traiectensi monasterio, in cuius schola & alij discipuli nobiles & prudentes, è quibus episcopi postea extiterunt, alij in minoribus gradibus doctores Ecclesiarum facti sunt. (His enim uerbis utitur historia) Habuit etiam Luitgerus Alcuuinum præceptorem, cuius de ipso Luitg. testimonia uersu scripta extant. Verum quum radix sceleris Widukingus dux Saxonum Christianos persequeretur, relicta Saxonia Romam abijt Luitgerus iam doctus piusq; prædicator. Non ita longe pòst redijt in patriam: Mox à Carolo rege doctor Frisonicæ gentis constituitur. Ipse uero cura solerti do-

In Monasterijs olim scholæ, non ipsa tantum monasteria scholæ ut sectæ fingunt.

ctrinæ domini inuigilans, gregi sibi credito studuit ministrare fluenta sacræ scripturæ, fana simulachrorum destruere, & omnes erroris pristini sordes abluere. Cupiens post hæc sanctus domini præco doctrinæ sacræ flumina ulterius deriuare, consilio ab imperatore accepto, transfretauit in confinia Frisonum atq; Denorum, ad quandam insulam, quæ nomine falsi dei sui Fosote, item Fosetesland dicta fuit. Ibi destructo Fosetis phano, Christi ecclesiam construxit. Cumq; habitatores terræ illius fide Christi imbueret, baptizauit eos cũ inuocatione sanctæ Trinitatis in fonte qui ibi ebulliebat, in quo S. Willibrordus prius homines tres baptizarat. A' quo etiam fonte nemo illorum prius haurire aquam nisi tacens præsumebat. Cuiusdam etiam principis eorum filium Landericum nomine suscepit à fonte. Quem sacris literis imbutum, presbyterum ordinauit. Hic multis annis genti Frisonum præfuit in studio sanctæ prædicationis. Interea dispositione misericordis Dei Saxones conuersi sunt ad dominum, et rex Carolus Luitgerum pastorem in occidentali parte Saxonum constituit: cuius parochiæ sedes principalis in pago Sutergowe, &c. Recusauit episcopus creari. Nam dicere solebat: Oportet episcopum irreprehensibilem esse. Quod cum audiret aliquando Hildibaldus affectator episcopatus, dixisse fertur: Heu heu hoc in me adhuc non impletum est. Sed tandem ad episcopatum tractus Luitgerus, nolens etiã. Verba histor. sic habent: Accepto itaq; sacro pontificali ordine, cũ omni sagacitate & modestia gregi Saxonico sibi credito documenta uberrimæ salutis ministrauit, quoadusq; Domino largiente ad perfectam illos fidem perduceret. Tandem in pace obijt confessor domini.

VITA SANCTI SOLÆ
Monachi presbyt.

SOla, regnante domino Imperat. Pipino Francorum & Germanorum, secutus est discipulus præceptorem Bonifacium, à quo presbyter monachusq; ordinatus fuit. Incoluit aliquandiu solitudinem: amator enim solitudinis Sola, sæculi noxia blandimenta mirifice cõtempsit. Vnde nonnulli cellam Solę, Solonis cellam nuncuparunt: sed uerius Sol quàm Solon dicendus uir. Sola soli Deo coniunctus, coelestia tantum curauit. Hic exclamat historiæ scriptor: O q; felix collegium beatissimi Bonifacij, &c. Post huius martyrium, dedit operam Sola unà cum Vuilibaldo episcop. ædificandis sacris ædibus. Subscribam uerba quædam historiolæ, unde nimirum liquet, magnas illas structuras primariorum templorum cõmuni manu & ope populi prouincialis fuisse perfectas. Sic ait: Quin & accolæ regionum harum quocunq; aduentantes ei (Solæ) in Christi amore frequentius ministrabant. Aliqui & prædij sui partem illi tradebant, quam ille in Dei timore acccipiens, cum his, quæ ei dominus Carolus Augustus donare dignatus est,

tus est ad egregium Fuldanensium cœnobium, ubi Deo prouidente modo sanctissimus ac in omni arte peritissimus abbas Rabanus perspicabiliter fulget, &c.

VITA S. EVCHARII.

Discipulus Petri apostoli, è Roma in Galliam pdicator missus cum socijs Valerio et Materno, tandem ad Treuiros peruenerunt, sanam doctrinam seminantes ubiq;, ac gdentes miracula abunde gloriosa. Factus tandem Episcopus Treuericæ urbis Eucharius, populum gentilitatis errore liberauit. Adorarant enim antea centum idola, per quæ dæmones loquebantur. Mortuo Euchario successit in Episcopatu Valerius, huic deinde Maternus, quorũ omnium ex æquo uita consumpta est in prædicatione uerbi dei & bonis operibus. Tres illi eodem sarcophago apud Treuiros contenti, scriptor historiæ huius testatur se eiusmodi inuenisse sparsim in chartis de gestis sanctorum patrum: idq; post excidium Treuericæ urbis, &c. Character uetustiss.

VITA REMACLI.

IVuenis optimè institutus, per Galliam celeberrimi nominis, electus est episcopus Tungrensis sedis, acclamante populo, dignum talem doctorem præsulatus gerere officium. Mira in pauperes charitas, uerus pastor Christi gregis.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI SERmo de cœna Domini.

Ex Cypriano.

SVscitati Lazari Hierosolymis increpuerat rumor, & tam solenne miraculum ad uenerationem Christi excitauerat populũ, unde & ei ciuitatem ingredienti, cum ramis palmarũ obuiam processerũt, sedentemq; super asinum resonantibus laudibus gratulabundi introduxerunt in urbẽ, regem Israël confitentes, & acclamantes, filium Dauid in nomine Domini aduenisse, cuius æternũ imperium prophetarum uaticinia antiquitus conclamarant. Nec latebat dominũ, qui sciebat omnia, q in uiæ illius confinio de torrente passionis erat bibiturus, et ex ea ueneratione, quæ impendebatur ei à plebe, inflammandam amplius inuidiam magistratuum, & animos exacerbatos uehementiori insania perturbandos, & conspirationis malignæ non ultra posse occultari consilia, nec differri amplius, quæ de eius interitu cogitarant. Sed uolebat prius magister, cum iam damnationis suę dictaretur sententia, & propè esset, ut figeretur in cruce, suæ dare indicia potestatis: & qui animam Lazari reuocauerat ab inferis, & quadriduano mortuo reddiderat uitam, dinosceretur uirtute diuina, non humana tantum opus patrasse

traſſe: & impoſſibile eſſe, ſuam animam ab inferno teneri, qui aliena poteſtatiue extraxerat: nec ſe neceſſitate, ſed obedientia urgeri ad mortem: & uitam quam aliјs reddebat, ad ſe quoq; ubi iuberet, illico redituram. Finē igitur legalibus ceremonijs impoſiturus, parari ſibi uoluit paſcha, & ex conſuetudine legis ea quæri, quæ ſolennitas exigebat, agnū aſſum, panes azymos, & lactucas agreſtes. Non oportet eſſe fermentarios noui teſtamenti miniſtros, puras ſynceraſq; mentes ſanctum quærit conuiuium, in ueru crucis boni odoris aſſatio omnem excoquat carnaliū ſenſuū cruditatem, & induret ſolideq; mentis affectus: nec in eccleſiæ ſanctæ ſacrificio ulla ſit macula, ſed pura ſimplicitas & innocentia uitæ in una eccleſiæ catholicæ domo à fidelibus de Ægypto egredientibus tranſito mari rubro lotis Chriſti ſanguine affectibus offeratur. Cœna itaq; diſpoſita inter ſacramentales epulas, obuiarunt ſibi inſtituta antiqua & noua, & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter apponit diſcipulis: nec iam ad eloborata impenſis & arte conuiuia populi inuitantur, ſed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed uirtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, et filijs Abrahę facientibus opera eius ſummus ſacerdos panem profert & uinum: Hoc eſt, inquit, corpus meum. Manducauerant & biberant de eodem pane ſecundum formam uiſibilem: ſed ante uerba illa cibus ille communis, tantum nutriendo corpori commodus erat, & uitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à domino dictum eſt: Hoc facite in meam cōmemorationem: hęc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: quotieſcunq; his uerbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis uitam ſalutemq; proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens. Manifeſtata eſt etiā ſpiritualis & corporalis cibi diſtantia, aliud fuiſſe quod prius eſt appoſitū & cōſumptū, aliud quod à magiſtro datum eſt & diſtributum. Quàmdiu cibi illi qui ad diem feſtum erant parati, à conueſcentibus apoſtolis ſumebantur, ueteris paſchæ agebatur memoria: nec dum Iudas ad ueterem uitam pertinens, diabolo inuadente & occupante animum eius egredi cogebatur: ſed ubi ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſanctificatus intrauit, parricidalis animus uim tanti ſacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exufflatus eſt, & præceps cucurrit ad proditionē & precium, ad deſperationem & laqueum. Orta fuerat aliquando, ſicut in Euangelio Ioannis legitur, de nouitate uerbi huius quæſtio, & ad doctrinam myſterij huius obſtupuerant auditores, cum diceret dominus: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Quod quidam quia non credebant, nec

poterant intelligere, abierunt retrò: quia horrendum eis & nepharium uidebatur, uesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, ut carnem eius uel elixam, uel assam, sectamq; membratim edere docerentur, cum illius personę caro si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere, qua semel consumpta, uideretur interisse religio, cui nequaq; ulterius uictima superesset. Sed in cogitationibus huiusmodi caro & sanguis non prodest quicq;: quia, sicut ipse magister exposuit, uerba hæc spiritus & uita sunt: nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat. Panis est esca, sanguis uita, caro substantia, corpus ecclesia: corpus propter membrorum in unum conuenientiam: panis propter nutrimenti congruentiam: sanguis propter uiuificationis efficientiam: caro propter assumptæ humanitatis proprietatem. Hoc sacramentũ aliquando corpus suum, aliquando carnem & sanguinẽ, aliquando panem Christus appellat, portionem uitæ æternę, cuius secundum hæc uisibilia corporali cõmunicauit naturæ. Panis iste communis in carnem & sanguinem mutatus, procurat uitam & incrementum corporibus, ideoq; ex consueto rerũ effectu fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est uisibilibus sacramentis inesse uitæ æternæ effectum, & non tam corporali, q̃ spirituali transitione Christo nos uniri. Ipse enim & panis, & caro, & sanguis, idem cibus & substantia, & uita factus est ecclesiæ suę, quam corpus suum appellat, dans ei participationẽ. Et nos quidẽ cum caro essemus & sanguis, corrupta & infirma corporis animæq; natura reformari non poteramus, necq; ad similitudinem dei reuerti, si morbo inueterato imponeretur malagma conueniens, & in curatione desperatæ infirmitatis contraria remouerentur contrarijs, & similia similibus conuenirent. Panis iste, quẽ dominus discipulis porrigebat non effigie, sed natura mutatus omnipotentia uerbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas uidebatur, & latebat diuinitas, ita sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad ueritatẽ cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus usq; ad participationem spiritus, non quod usq; ad cõsubstantialitatẽ Christi, sed usq; ad societatem germanissimã eius hæc unitas peruenisset. Solus quippe filius patri consubstantialis est, nec diuisibilis est, nec partiabilis substantia trinitatis: nostra uero & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat, & confœderat uoluntates. Ita ecclesia corpus Christi effecta obsequitur capiti suo, & superius lumen in inferiora diffusum, claritatis suæ plenitudine à fine usq; ad finem attingens, totum apud se manens, totum se omnibus commodat, & caloris illius identitas ita corpori assidet, ut à capite non recedat. Panis itaq; hic azymus cibus uerus & syncerus per speciem & sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, ueritate Christo conformat. Et sicut panis cõmunis, quem

nis quem quotidie edimus, uita est corporis, ita panis iste supersubstantialis uita est animæ, & sanitas mentis. Panem angelorum sub sacramento manducamus in terris, eundem sine sacramento manifestius edemus in cœlis, non ministerio corporali, sæpe repetitis actionibus ad eandem reuertentes, sed consummato sacerdotio nostro, erit & permanebit perpetua & stabilis, implens & reficiens nos sufficientia, qua proferet se palàm absq; ullis integumentis omnibus, cõspicabilis summi præsentia sacerdotis. Sacramenta quidem, quantum in se est, sine propria esse uirtute non possunt, nec ullo modo diuina se absentat maiestas mysterijs, sed quamuis ab indignis se sumi uel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas uel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. Ideoq; alijs sunt hæc munera odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem: quia omnino iustum est, ut tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem. Noua est huius sacramenti doctrina, & scholæ euangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquæ autoritas districtissime interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet, Euangelium præcipit, ut bibatur. In quibus mandatis hoc maxime discernere debet Christiana religio, q sanguis animalium à sanguine Christi per omnia differens, temporalis tantum habeat uiuificationis effectum, & uita eorum finem habeat, et sine ulla reuocatione terminũ constitutũ. Ideoq; ad obtinendam æternitatẽ non potest perficere, quod semel obrutũ non surgit ulterius, nec aliqua ei superest uirtus, quod sine ulla spe pcisis radicibus mors penitus exiccauit. Vita uero hominis licet aliquã habeat affinitatẽ cum sanguine, nõ tamen solo sanguine regitur, sed anima sanguini dat caloris & nutrimenti effectum, sicut & cæteris quæ in corpore sunt propria distribuit officia, & diuidit motus, & quasi talenta partitur. Nec oportuit, ut sanguini humano sanguis pecudũ misceretur, quia uita rationalis hominis uitæ bestiali consociari non habet, sed omnino à fideliũ animis quasi sanguis impurus detergenda est hæc carnalis opinio, ne putetur uita hominis eo modo transitoria, quo uita pecudũ inanescit, uel q sanguis consubstantialis sit animæ, & necesse sit utrunq; superueniente suffocatione dissolui. Carne quidem animalibus similes sumus, sed uita dissimiles, ideoq; quod cõmune cũ eis habemus nobis incorporare licenter possumus: quòd uerò dignitati nostræ non conuenit, & ab æternitate alienũ uidetur, à nobis subtilissimo legis indicio separamus. Bibimus autem de sanguine Christi, ipso iubente, uitæ æternæ cum ipso, & per ipsum participes, animalis uitæ peccata, quasi sanguinem impurum horrentes, & fatentes nos per peccati gustum à beatitudine priuatos & damnatos, nisi nos Christi clementia ad societatem uitæ æternæ suo sanguine reduxisset

reduxisset. Nobis itaque pro quibus sanguis Christi oblatus est in cruce, & quos reconciliauit Deo omnes excedens uictimas hoc sacrificium singulare, ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, ut non tantum exterius hoc sanguine liniremur, sed & interius aspersione omnipotenti anima muniremur, & penetrans omnia tanti medicamenti uirtus quicquid esset intus ibi durũ effugaret, & renouaret, sanaretque quicquid morbi carni uel spiritui ueteris uitæ adlinierat corruptela. Dixerat sanè huius traditionis magister, quòd nisi manducaremus & biberemus eius sanguinem, non haberemus uitam in nobis: spirituali nos instruens documento, & aperiens ad rem adeo abditam intellectum, ut sciremus quòd mansio nostra in ipso sit manducatio, & potus quasi quædam incorporatio, subiectis obsequijs, uoluntatibus iunctis, affectibus unitis. Esus igitur carnis huius quædam auiditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso, per quod sic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato nostro & uisceribus sapor dilectionis infusus, penetrans & imbuens omnes animæ corporisque recessus. Potus & esus ad eandem pertinent rationem, quibus sic ut corporea nutritur substantia & uiuit, & incolumis perseuerat, ita uita spiritus hoc proprio alimento nutritur: & quod est esca carni, hoc animæ est *fides:* quod cibus corpori, hoc uerbum spiritui, excellentiori uirtute peragens ęternaliter, quod agunt alimenta carnalia temporaliter et finaliter. Celebrantes sacramenta commonemur, quasi *ungulam* findens & ruminans pecus reuocare ad fauces, & minutatim commolere dominicæ institutionis exemplum, ut semper passio sit in memoria, nec terreant crucifixi hæredes mortis supplicia, sed pascant & reficiant maturatæ resurrectionis lætabunda solennia. Quàm præclarus est calix iste, quàm religiosa est huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro sunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis præparati delicias contemnentes, cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa redemptoris nostri uulnera figimus linguam, quo interius exteriusque rubricati, à sapientibus huius *sæculi* iudicamur amentes, qui religionis huius abhorrentes mandatum usque hodie retro abeunt, & à secretis diuinis omnium intra se mysteriorum continentibus summam diffugiunt & recedunt. Qui manducat ex hoc pane, ultra non esurit: qui bibit, ultra non sitit, quoniam mysterij huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, ut cuicunque tantę rei innotuerit plenitudo, omnis consumationis fine inuento Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & omni tempore habitatori suo dicta & facta iubilatione consona laudes resonent, & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum, in hoc uino non est luxuria, nec mouetur ad ludum post hunc potum lasciuia. Cum sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ

uidet,

uidet, inaudita quæ loquitur, quin agnus iste paschalis inhabitat, cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat. Inter dominicæ mensæ conuiuas animalis homo non admittitur, quicquid caro & sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur, nihil sapit, nihil prodest quicquid humani sensus molitur subtilitas, omne quicquid a suis rationibus deuium uidetur, sapientes huius sæculi ad dementiam referunt, & a ueritate reputant alienum. Sed ueritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit, & cum in sole uellet figere oculos, uim luminis non ferens, cæcata est non illuminata humana præsumptio, & aspectui eius lippitudo inhæsit. Vident hæc sacramenta pauperes spiritu, & hoc uno contenti ferculo, omnes mundi huius delicias aspernantur; & possidentes Christum, aliquam huius mundi possidere supellectilem dedignantur. Esurientes & sitientes iustitiam, cum saturati fuerint uide quid agant, intellige quæ loquantur, quàm sancti odoris sit quicquid illa eructuat plenitudo, uerbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, illa interior synceritas ubique diffundit, ita ut post odoramẽta ista gratiæ huius cõparticipes discurrant, & mutuis se adinuicem affectibus complectantur, & quibus unus est panis, unum est corpus, & omnium unum cor & anima una, uni Christo adhærens, cætera omnia quasi fermentata respuens, in unius azymi synceritate lætatur. Perpes est hoc sacrificium & semper permanens holocaustum, nulla panem hunc multitudo consumit, nulla antiquitate ueterascit. Vna est domus ecclesiæ, in qua agnus editur, nullus ei cõmunicat, quem Israelitici nominis generositas non commendat. Huius panis figura fuit manna quod in deserto pluit, sic ubi ad uerum panem in terra promissionis uentum est, cibus ille defecit. Per singula sabbata propositionis iam frigidi & duri mutari consueuerant, & calidi panes eiusdem numeri in mensa proponi. Iam nulla fit panis mutatio, unus est panis caloris cõtinui, status integri, qui semel oblatus Deo in sapore dulcissimo, & candore purissimo perseuerat. Nec solos sacerdotes ad panes huius dignitatis Leuiticæ prærogatiua admittit, uniuersa ecclesia ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur non iniuriatur, recipitur non includitur, cum infirmis habitans non infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur, fides pura, mens syncera hunc habitatorem delectat, neque immensi & omnipotentis Dei magnitudinem pauperculæ domus nostræ angustia offendit uel artat. Panis iste angelorum omne delectamẽtum habens uirtute mirifica, omnibus qui digne & deuote sumunt, secũdum suum desiderium sapit, & amplius quam manna illa eremi implet & satiat edentium appeditus, & omnia carnalium saporum iritamenta, & omnium exuperat dulcedinum uoluptates. Vide quomodo his qui Christi commemorant passionem, intra sacra officia quasi per quosdam ca-

nales de interioribus fontibus egrediantur torrentens, & super omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur, quantam suauitatem animæ inquirenti ubi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosæ tempestates deponunt, ros matutinus est de coelestibus stillans, & quasi unctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctē retro & ante se affectio intuēs, inter data & condonata se diuidens, gratias agit tam uberis beneficij largitori, & se sanatam & sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, & lachrymis se baptizat. Verum his qui uerbotenus corde sicci & mente aridi sacris intersunt, uel etiam participant donis, lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec spiritus sancti pinguedine uegetantur, nec se iudicant, nec sacramenta dijudicant, sed sicut cibis cōmunibus irreuerenter sacris utuntur muneribus, & dominicæ mensæ in ueste lutulenta se ingerunt impudenter, quibus melius erat mola asinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm illota conscientia de manu domini buccellam accipere, qui usque hodie hoc ueracissimum & sanctissimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & pie sumentibus diuidit. In huius præsentia non superuacue mendicant lachrymæ ueniam, nec unquam patitur contriti cordis holocaustum repulsam. Quoties te in conspectu domini uideo suspirantem, spiritum sanctum non dubito aspirantem: cum intueor flentem, sentio ignoscentem. Tu si templum spiritus sancti uiolas, si intra te sacrarium Dei deturbas & foedas, si cum calice Christi de calice dæmoniorū communicas, contumelia est, non religio: iniuria, non deuotio. Idolorum seruitus & horrenda abominatio, uelle simul Baal famulari & Christo. Abi retro cum sacellis tuis, qui lucris inhias, & mercedes sectaris, qui opulentus in Sion quotidie crapularis, qui in lectis eburneis recubas, & in stratis segmentatis lasciuis, qui uestiris mollibus, & in terra suauiter uiuentium conuersaris, cuius manus plenæ sunt sanguine, cuius lumbi discincti sunt, & sine balthei discurris ligamine. Non est tibi pars in sermone isto, quia quod dei est, aufers deo, & imaginē dei consecras idolo. Pauperes quidem spiritu ad hoc mysterium eligit, & diligit spiritus sanctus, & eorum qui pompatice & gloriose sacris se altaribus ingerunt, obsequia detestatur. Ozias licet rex ob præsumptionē lepra percussus, à sanctuarij ingressu repellitur, & eius oblatio quasi sordida refutatur. Incensi odor de immundorum manibus reputatus est pro foetore, & iram non gratiam præsumptio meruit, quia contra fas rem usurpans illicitam, temerarie in sancta conscendit. Sed & propter malignantium insolentiam altare suum deus repellit, & sanctificantibus maledicit, odit sabbata, obominatur solennia, odoramenta foetent, displicent holocausta. In his omnibus laborare se dicit deus, nec esse uoluntatem suam in ministris impuris, indignatione districta testatř. Sed hierarcha pius quē

spiritus

ſpiritus ſanctus compungit, excitat, inhabitat, & ſanctificat, eleuatione
manuũ crucis myſterium repræſentans, confidenter orat pro ſua & po-
puli ignorantia, recolens pudibundi & cõtriti animi confeſſione, quod
aliquando præualente aduerſum ſe peccato fuerit derelictus, iuxta illud
quod Dauid plorans ait: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum con
turbatus. Et dominus per Eſaiam: Ad tempus in modico derelinquam
te, uerecundatur fateri, & tamen fatetur iuuentutis delicta. Sed accuſa-
trici conſcientiæ neceſſe eſt coram iudice reſpondere: nec poteſt ibi eſſe
ullum diffugium, ubi ipſa teſtis eſt quæ accuſat, & nihil ei poteſt eſſe oc-
cultum qui iudicat. Sed ubi cum iudice agit qui iudicatur, & ipſe in par-
tem accuſatoris tranſiens, etiam in ſua proſcriptione ſententiam appro-
bat condemnantis, experitur clementiam ſaluatoris, & lætabundus
canit: Domine in uoluntate tua præſtitiſti decori meo uirtutem. Et ite-
rum per Eſaiã audit: In miſerationibus magnis congregabo te. Sed &
in eodem articulo temporis cum iam anima feſtinet ad exitum, & egre-
diens ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei be-
nignitas non aſpernatur, nec ſerum eſt quod uerum, nec irremiſſibile
quod uoluntarium, & quæcunq; neceſſitas cogat ad pœnitudinem, nec
quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horę extremitas, nec uitæ
enormitas, ſi uera contritio, ſi pura fuerit uoluptatum mutatio, excludit
à uenia, ſed in amplitudine ſinus ſui mater charitas prodigos ſuſcipit re-
uertentes, & uelit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia
recipit pœnitẽtes. Ipſe dominus noſter derelictorum perſonam gerens
in cruce, ſe queritur derelictum: & ne deſperarent etiam in ultimis con-
ſtituti, feſtinans in adiutorium illico adeſt, & re in arcto poſita non diſ-
fert beneficium, ſed repente indulgentiæ celeris documentum eiuſdem
ſtatuit & exemplum, latroni inquiens: Hodie mecum eris in paradiſo.
Latrocinium damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor contritum
pœnam mutauit in martyriũ, & ſanguinem in baptiſmum. In momen-
to impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & ſtatim conſumma
tus ciuis ſanctorum & domeſticus Dei permiſſus eſt in reguum recon-
ciliationis humanæ priuilegium ſecum ferens ad ſuperos, quod Deo pa
tri tantæ legationis fungens honore, in ſeipſo ſcripturæ huius experi-
mentum continens, libero & ſecuro aditu penetrans, prę́ſentauit. Quid
tu domine amplius Stephano contuliſti? quid amplius ille obtinuit di-
lectus tuus, qui ſupra pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pau
li meruẽre ſudores? quid labores ſanctorum? quid tot annorum tor-
menta? quid martyrum plagæ? Vna hora huic collatum eſt præmium,
ad quod illi per tot diſcrimina peruenerunt. Sic tu domine armenta-
rios ſtatim facis prophetas, opiliones reges, teloniarios apoſtolos, piſca
tores doctores. Neq; ab his quos ſanas, lente languor abſcedit, ſed illi-
co quem reſtituis ex integro, conualeſcit, quia conſummatum eſt quod

facis, & perfectum quod largiris. Hanc dei gratiam recolens, qui de sacro calice bibit amplius sitit, & ad Deum uiuum erigens desiderium, ita singulari fame illo uno appetitu tenetur, ut deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum radensq́ palatum acutæ mordacitatis acetum. Ad hæc inter sacra mysteria ad gratiarum actiones conuertitur, & inclinato capite, mundicia cordis adepta, se intelligens consummatū, restitutus peccator sanctificatam Deo animam quasi depositum custoditū fideliter reddit, & deinceps cum Paulo gloriatur & lætatur dicens: Viuo iam non ego, uiuit uero in me Christus. Hæc in Christi commemoratione retractantur à fidelibus, & defecatis animis carnis eius edulium non est horrori, sed honori, potuq́ sancti & sanctificantis sanguinis spiritus delectatur. Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus & partimur, dum quod diuinum, & quod humanum est, distinguimus & separamus, itemq́ simul separata iungentes unum Deum & hominē fatemur. Sed & nosipsi corpus eius effecti, sacramento & re sacramenti capiti nostro connectimur & unimur, singuli alter alterius membra, ministerium dilectionis pro inuicem exhibentes, cōmunicamus charitate, participamus solicitudine, eundem cibum manducantes, & eundem potum bibentes, qui de petra spirituali ꝓfluit & emanat: qui cibus & potus est dominus noster Iesus Christus.

S. VITVS ET MODESTVS.

Ex Romano breuiario.



Itus puer egregius & fidelis annorum duodecim, in Sicilia martyrium passus est. Hic à patre crebro uerberatur, ex eo ꝙ idola contemnebat, nec ipsa adorare uolebat. Quod audiens Valerianus præfectus, puerū accersiuit, & sacrificare nolentem fustibus cedi iussit. Brachia aūt uerberantium et manus pręfecti statim aruerunt: clamauitq́ ꝑfectus: Vę mihi, quia manū amisi. Cui Vitus: Accedant dij tui, & te sanent, si possunt. Cui ille: Nunquid & tu facere uales hoc? Cui Vitus: In nomine dei mei ualeo. Statimq́ pro eo orauit, et sanitatem sibi obtinuit. Dixitq́ ꝑfectus: Pater corripe puerū tuū, ne male pereat. Cum aūt pater filiū occidere cogitaret, angelus domini Modesto pædagogo eius apparuit, & ut nauem conscendens puerū ad aliam terram duceret, imperauit. Quod cum fecisset, aquila eis cibum afferebat, & multa ibidē mirabilia faciebat. Interea filius Dyocletiani imperatoris à dęmone arripitur, & nisi Vitus lucanus ueniat, se nunq́ exire fatetur. Vitus quæritur, & inuentus ad imperatorem ducitur. Cui Dyocletianus: Puer puerum meum sanare uales? Cui ille: Non ego, sed dominus. Statimq́ super eum manus imposuit, & protinus ab eo dæmon aufugit. Et ait Dyocletianus: Puer consule tibi, & dijs sacrifica, ne mala morte intereas. Quod cum ille

cum ille recusaret, & in carcerẽ cum Modesto missus fuisset, subito ferri moles, quæ eis erat imposita, cecidit, & carcer immenso lumine choruscauit. Quod cum imperatori nunciatum fuisset, eductus in clybanum ardentem mittitur, sed tamen illæsus egreditur. Tunc leo terribilis ad eum deuorandũ mittitur, sed tamen ab eo fidei uirtute placatur. Tandẽ ipse cum Modesto & Crescentia nutrice sua, quæ semper eũ secuta fuerat, in eculeum suspendi iubetur: sed subito aër perturbatur, terra concutitur, tonitrua mugiunt, idolorum templa corruunt, et multos occidũt. Imperator autem territus fugiẽs pugnis se percutiebat, dicens: Væ mihi ꝙ ab uno puero uictus sum. Illi autem ab angelo continuo soluti, iuxta quoddam flumẽ se inuenerunt, & ibidem pausantes & orantes, animas domino reddiderunt. Quorum corpora ab aquilis custodita Florentia illustris matrona sancto Vito reuelante reperit, & ea accipiens honorifice sepeliuit. Passi sunt autem sub Dyocletiano, qui cepit circa annũ domini ducentesimum octuagesimumseptimum.

GERVASIVS ET PROTASIVS.



Eruasius & Protasius fratres patrem habuerunt Vitalem, qui Rauennę, & matrẽ Valeriam, qui Mediolani pro Christi fide martyrium tulerunt. Parentum igitur pietatem & fidem æmulantes, post ipsorum mortem iuxta consilium euangelicum omnes suas facultates pauperibus distribuerunt, & seruos quos habebant, libertate donarunt. Quibus rebus & singulari uitę sanctitate commoti gentilium sacerdotes, Christianæ religioni infesti, magnũ in ipsos odium atq; inuidiam concœperunt. Cum ergo per id tempus Anastasius comes in bellum proficisceretur, hanc nefariam rationẽ pios fratres è medio tollendi sacerdotes iniuerunt, ut Anastasio uelut diuinitus admoniti, ꝑsuaderent, negatam ipsi esse decreto deorũ uictoriam, nisi Geruasium & Protasium à Christi fide desciscere, ipsisq; dijs sacrificare compelleret. Quod cum Anastasius ab ipsis nec precibus impetrare, nec minis extorquere potuisset, eodem iubente, Geruasius plumbatis tamdiu cæsus est, donec spiritum emisit. Protasius uero fustibus primum sęuissime uerberatus, postremo capite truncatus est. Quorum corpora Philippus quidam uir religiosus ac pius clàm sustulit, & in sua domo sepeliuit. Vbi cum diu latuissent, ab Ambrosio episcopo Mediolanensi diuinitus admonito inuenta sunt, & cum magna populi ueneratione in honestissimo & sacro loco reposita. Passi sunt autem Mediolani, XIII. Calend. Iulij.

Ex Romano breuiario.

BARNABAS APOSTOLICVS.

Ex Romano breuiario.



IOsephus, qui cognominatus est Barnabas, natione Cyprius, ad Christianum dogma gentibus cum Paulo prædicandum in Apostolatum extra duodecim assumptus est. Hic agrum quem habebat uendidit, & attulit precium & posuit ante pedes Apostolorum. Qui cum missus à Hierosolymitana Ecclesia euangelizandi gratia Antiochiam peruenisset, ubi Græcorum aliquot crediderant, uidissetq; gratiam dei, gauisus est, & hortabat omnes in proposito cordis permanere in domino, quia erat uir bonus, & spiritu sancto ac fide plenus, et apposita est multa turba in domino. Profectus inde Tharsum, ut quæreret Saulum, perduxit ipsum Antiochiã, & annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochię discipuli Christiani. Qui discipuli prout quisq; habebat, proposuerunt in ministeriũ mittere habitantibus in Iudæa fratribus. Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli. Qui expleto ministerio, reuersi sunt à Hierosolymis, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus. Erant autem in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas & Saulus. Ministrantibus autem illis domino, & ieiunantibus, dixit spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidẽ missi à spiritu sancto abierunt Seleuciam, & inde Cyprum: multasq; præterea urbes ac regiones cum magno prædicationis profectu peragrarunt. Postremo Barnabas à Paulo discedens, ad Cyprum nauigauit, assumpto Marco. Vbi circa septimum Neronis annum martyrij coronam est adeptus, iij. Idus Iunij.

Eusebius lib. ij. cap. iij. de Barnaba sic refert: Per quos & apud Antiochiam florentissima congregatur Ecclesia, in qua erant etiam prophetici ordinis uiri q; plurimi, cũ quibus & Barnabas, & Paulus, &c. *Mox* Paulus uerò & Barnabas, cum ministerio à fratribus collato, quod sanctorum usibus deseruiret, Hierosolymam destinantur, &c. Pius lector reuoluat Acta Apostolorum, ubi de S. Barnaba satis superq; inueniet.

MARCVS ET MARCELLIANVS.

Ex Romano breuiario.



MArcus & Marcellianus fratres, Romæ Diocletiano imperatore pro Christi fide in uincula coniecti sunt ab urbis præfecto Chromantio, ad mortemq; damnati, nisi ante diem tricesimum ad cultum deorum rediissent. Ad quos quum Tranquillinus pa pater & mater Martia, & pleriq; cognatorum uentitarent, ut ipsos ab incœpto seducerent, à beato Sebastiano confirmati in fide perstiterunt.

Qui

Qui Sebastianus non solum horum sanctorum parentes, sed & Chromantium quoq; ad Christi fidem cõuertit. Quamobrem Chromantius magistratu ab imperatore priuatus, in exilium missus est. Cui succedens Fabianus, Marcum & Marcellianũ deorum cultum aspernantes, post diutinam carceris afflictionem, ad stipitem alligari, pedesq; clauis configi iussit. Sed hunc cruciatum quum die ac nocte magno animo Christũ laudantes pertulissent, latera transfixi lanceis, martyrij palmam sunt adepti. Quorũ corpora à Christianis ablata noctu in uia Ardeatina ad xiiij. Calend. Iulij sepeliuntur.

DE S. IOANNE BAPTISTA.

Ex Iuuenco.

Rex fuit Herodes Iudæa in gente cruentus,
Sub quo seruator iusti, templiq; sacerdos
Zacharias, uicibus cui templum cura tueri,
Digesto instabat lectorum ex ordine uatum.
Huius inhærebat thalamis nignissima coniunx.
Cura his ambobus parilis moderaminis æqui.
Ambos annexos legis præcepta tanebant,
Nec fuit his soboles iam tot uergentibus annis,
Gratius ut donum iam desperantibus esset.
Sed quum forte adytis, arisq; inferret odores
Zacharias, uisus cœlo descendere aperto
Nuncius, & soli iussas perferre loquelas.
(Cætera nam foribus plebes astrata rogabat)
Quem tibi terribilis concussit corde pauore
Visus, eum læti sermonis gratia placat.
Nam me propitius rerum pater unicus, alto
E cœli solio tibi nunc in uerba uenire
Præcipit, & chara tibi mox è coniuge natum
Promittit, grandis rerum cui gloria restat
Plurima, qui populis nascendo gaudia quæret,
Sobrius æternum, clausum quem spiritus ipsis
Visceribus matris complebit numine claro.
Istius hic populi partem pleramq; docendo
Ad uerum conuertet iter, dominumq;, deumq;
Continuo primus noscet, plebemq; uocabit.
Nomine Ioannem, quem tu uocitare memento.
Illi confusa respondit mente sacerdos.
Æmula promissis obsistit talibus ætas,
Nec senibus soboles poterit contingere fessis,
Quam deus auertens, primæuo in flore negauit.
Hæc trepidans uates. Cui talia nuncius infert:

Si tibi

Si tibi mortalis sobolem promitteret ullus,
Ad desperandum forsan cunctatio mentis
Debuerat tardis hærens insistere uerbis.
Nunc ego, quem dominus coeli, terræq; repertor
Ante suos uultus uoluit parere ministrum,
Auribus ingratis hominis, ussusq; receptus
Summi iussa dei non contemnenda peregi.
Quare promissis manet irreuocabile donum.
Sed tibi claudetur rapidæ uox nuncia mentis,
Donec cuncta dei firmentur munera uobis.
Hæc ait, & subito tenues se misit in auras.
Interea populus miracula longa trahebat,
Quid tantum in templo uellet cessare sacerdos.
Egressus trepide, numen uidisse supernum,
Nutibus edocuit, miseræ & dispendia uocis.
Inde domum remeat, completo ex ordine uates
Officio, amissamq; leuant promissa loquelam.
Nec dilata diu uenerunt munera prolis.
Anxia sed uentris cœlabat gaudia coniunx,
Donec quinq; cauam complerent lumina lunam.

DE EODEM.

Ex eodem.



INterea ueteris scripti per debita currens
Omnia sæclorum series promissa trahebat,
Zachariæ soboles, desertis uallibus omnes
Ad deponendas maculas clamore uocabat,
Fluminis ut liquidi caperent miranda lauacra,
Quis animi species abluta sorde niteret,
Isaias uates cecinit, quod numine iussus
Vox late resonat desertis uallibus, amplas
Sternite iam stratas, omnis sit recta uiarum
Semita, quæ domini plantis calcanda beatis.
Subsident colles, uallis complebitur omnis.
Corriget anfractus callis bona linea recti,
Corporeisq; oculis lumen tractare serenum
Omnibus indulget genitor, dominusq; salutis.
Ergo aderant populi, passimq; hinc inde ruentes
Complebant ripas, auidiq; lauacra petebant.
Texta Camelorum fuerant uelamina setis,
Et zonæ pellis, medium cinxere prophetam,
Edere locustas solitus ruralibus aruis,

Et tenuem

Et tenuem uictum præbent syluestria mella,
Vsq; ubi tot populos diuersis sedibus ortos
Irruere ad fluuium cernit, sic increpat ore:
Vipereæ gentis soboles, quis debita uobis
Supplicia, urgentesq; iras euadere monstrat?
Sed facite ô miseri fructum (si pœnitet) aptum,
Nec generis uestri tollat fiducia mentes.
Nam potis est dura superum rex cote creare
Progeniem, quando soboles sua degener errat.
Proxima roboreis iam iam radicibus instat
Cunctorum ante oculos acies sublata securis,
Cedentur syluæ steriles, ignemq; fouebunt.
Nunc ego prǫteritas maculas in flumine puro
Abluere institui, ueniet sed fortior alter,
Cuius uincla pedum non sum contingere dignus.
Abluet ille homines sancto spiramine mergens,
Flammarumq; globis purgabit noxia corda.
Illius & manibus ruralis pala tenetur,
Et propria ipsius purgabitur area frugum,
Horreaq; implebit secreti copia farris,
Æternusq; leues paleas populabitur ignis:
Hæc ait, & properè per syluam passibus ipsum
Cernit Iordanis ueneranda lauacra petentem.
Sed uetat increpitans uates, & talia fatur:
Túne meis manibus dignaris mergier undis,
Cum tua me melius possint purgare lauacra?
Dixit Ioannes. cui talia reddit Iesus:
Nunc sine, nam decet hoc, sic sancta per omnia nobis
Iustitiæ consectandus complebitur ordo.
Hæc memorans, uitreas penetrabat fluminis undas.
Surgenti manifesta dei præsentia claret,
Scinditur auricolor septemplicis æthera cœli,
Corporeamq; gerens speciem, descendit ab alto
Spiritus aëream similans ex nube columbam,
Et sancto flatu corpus perfudit Iesu.
Tunc uox missa dei longum per inane cucurrit,
Ablutumq; undis Christum, flatuq; perunctum
Alloquitur: Te nate hodie per gaudia testor
Ex me progenitum, placet hæc mihi gloria prolis.

De S. Ioanne Baptista scribit Eusebius histor. eccle. lib. j. cap. xiij. in hanc sententiam: Verum breui interiecto tempore Ioannes Baptista ab Herode, filio Herodis, capite punitur, de quo & in Euangelijs

quidem refertur. Concordi uero testimonio etiam Iosephus de hoc scribit, nominatim etiã de Herodiade, cõmemorans, uelut de coniugio fratris Philippi uiuentis uiolenter abstractæ, & suis ab Herode incestis nuptijs sociatæ, propria & legittima uxore depulsa. Quam Herodiadem filiam dicit fuisse Aretæ regis Arabiæ, propter quam etiam Ioannẽ Baptistam ab eo cõmemorat interemptum. Bellum quoq; exortum inter Aretam dicit & Herodem, tanq; ob ignominiam filiæ uindicandam. In quo bello exercitum refert Herodis extinctum. Hæc autẽ ei omnia accidisse propter piaculum, quod in necem Ioannis admisit. Idem quoq; Iosephus iustissimum super omnes Ioannem fuisse, secundum Euangeliorum fidẽ, & ab Herode propter Herodiadem capite cæsum refert: propter quam etiam regno eum commemorat depulsum, atq; in exilium in Viennam Galliæ urbem, trusum. Hæc in xviij. antiquitatum libro, *his* ipsis, quibus infra annotatum est, syllabis scribit. Quibusdam autem Iudæorum, inquit, uidebatur ideo perisse Herodis exercitum, q; in eum satis iuste ultio diuina cõmota sit pro uindicta Ioannis, qui uocabatur Baptista, quem puniuit Herodes uirum ualde bonum, qui præcipiebat Iudæis uirtuti operam dare, iustitiam inter se inuicem custodire, & in deũ seruare pietatem, per baptismum in unum coire. Hoc enim pacto *baptismum* acceptabile fore, si non solum ad abluenda peccata sumatur, uerumetiam ad castimoniam corporis, atq; ad animę iustitiam purificationemq; seruetur, omniumq; pariter uirtutũ uelut signaculum et custodia quædam fidelis habeatur. Quæ cum ab eodẽ per præcepta huiusce modi docerentur, atq; ad audiendum eum per plurima multitudo concurreret, ueritus Herodes, ne forte doctrinæ eius persuasione populi à suo regno desciscerent. Videbat enim, q; præceptis eius ac monitis obedire in omnibus plebs esset parata, melius credidit, priusq; aliquid noui fieret, anticipare hominem nece, q; postmodum turbatis rebus seram pœnitudinem gerere. Ex sola igitur hac suspitione Herodis uinctus *in* castellum Macherunta abducitur Ioannes, ibiq; capite obtrũcatur. *Ha*ctenus de Ioanne. De capite S. Ioannis hæc commemorat T*rip. Hist.* lib.ix. cap. xliij. Eo tempore dicitur delatum Constantinopolim Ioannis Baptistæ caput, quod Herodias petijt ab Herode Tetrarcha. Fertur enim inuentum caput à monachis Macedonianis, qui primum quidem Hierosolymis habitabant, postea uero in Ciliciam migrauerũt. Quum enim ante hoc imperium Mardonius maior domus imperialis nunciasset hoc imperatori, præcepit Valens, caput sacrum Constantinopolim deportari. Qua iussione missi, & imponentes uehiculo deportabãt. Quumq; uenisset ad locum, qui uocatur Pantichium (est em̃ circa Chalcedonem) nequaq; poterat trahi uehiculum, licet multis iumenta affligerentur. Et quum hoc nouum uideretur uniuersis & ipsi simul imperatori, sacrum hoc caput recondiderũt in uico appellato Cosilai, &c. Lege cętera

ge cætera in loco allegato Sozomeni. De sepulchro Ioannis Baptistę Hist. Eccle. lib. xj. cap. xxvij. sic tradit: Iuliani temporibus uelut relaxatis frenis efferbuit in omnem sæuitiam feritas paganorum. Ex quo accidit, ut apud Sebasten Palęstinæ urbem sepulchrum Ioannis Baptistæ mente rabida, & funestis manibus inuaderent, ossa dispergerent, atque ea rursum collecta, igni cremarent, & sanctos cineres pulueri immixtos, per agros & rura dispergerent. Sed dei prouidentia factum est, quosdã de Hierosolymis ex monasterio Philippi hominis dei, orationis illuc causa per *idem* tempus uenisse, &c. Reliqua legat presbyter apud Eusebium *ipsum*. De philosophia heremitica S. Ioannis Baptistæ & aliorum, uide *Hist.* Tripart. lib. j. cap. xj.

HYMNVS DE S. IOANNE BAPT.

Adam de S. Victore.

PRæcursorem summi regis,
Et præconem nouæ legis
Celebret Ecclesia.
In hac luce tam festiua
Gaude mater, & uotiua
Deprome præconia.
Huius ortum ueneremur:
Sed nec minus delectemur
In eius martyrio.
Totus mundus sit iucundus:
Nulli martyr hic secundus
Virtute uel præmio.
Non est nostræ paruitatis,
Virum tantæ sanctitatis
Laudare per omnia.
Summa rei recitetur,
Vt affectus inflammetur
Ex eius memoria.
Non arundo leuitatis,
Sed columna ueritatis
Nulla palpat crimina.
Scribas tangit & doctores,
Vocans legis transgressores
Viperæ genimina.
Arguebat hic Herodem,
Nec terretur ab eodem
Ligatus in carcere.
Fert iniuste iustus pœnam,
Rem detestans tam obscœnam
Regis & adulterę.
Sæuit in hunc uis tyranni,
Laus accrescit hinc Ioanni,
Tyranno supplicium.
Stultus seruit sapienti,
Quia iustus in præsenti
Purgatur per impium.
In natalis sui cœna,
Capitali plecti pœna
Ioannem rex imperat.
Spiculator saltatrici,
Saltatrix dat genitrici
Caput, quod petierat.
Crux præsignat sublimari
Christum, sed hunc minorari
Capitis abscisio.
Mors est iusti preciosa,
Quam præcessit gloriosa
Vitæ conuersatio.
Nos ad laudem tui Christe
Præcursoris & baptistæ
Colimus solennia.
Tu nos ab hac mortis ualle,
Duc ad uitam recto calle
Per eius uestigia.

LEO I.


Eo natione Tuſcus, patre Quintiano, eo tempore fuit, quo Attila à pugna Catelaunica rediens, in Pannonias comparatis magnis copijs, Italiam hoſtili manu ingreſſus, ac primo Aquileiam in limitibus prouinciæ poſitam, triennio obſedit. Verum cum iam deſperatis rebus in eo eſſet, ut ſtatiua moueret, uidiſſetq́ ciconias ex urbe in agros pullos ſuos deferentes, auſpitio motus, adhibitis machinis, miſeram ciuitatem acriter oppugnatam, tandem capit, diripit & incendit: nec ulli generi hominum parcit, flagellum Dei ſe uocitans. Inde Hunni ueluti ruptis clauſtris per totam Venetiã ſeſe effundentes, urbes omnes occupant, Mediolanum ac Ticinum diripiunt. Iturus deinde Romã infeſtis ſignis, cum eo loci conſediſſet, ubi Mintius Padum influit, amnem traiecturus, uir ſanctiſſimus Leo pontifex calamitatem Italiæ & urbis Romæ miſeratus, adhortante etiam Valentiniano, ei fuit obuiam, perſuadetq́ Alarici exemplo, qui ſtatim Dei iudicio poſt captam urbẽ mortuus eſt, ne ultra progrediatur. Monitis pontificis optimi obtemperans Attila, quod dum ſimul loquerentur, cernere diuos uiros ſupra caput ſuum ſtrictos tenentes gladios, ac mortem minitantes, niſi pareret, uiſus eſt. Ii Petrus & Paulus apoſtoli putati ſunt: inde mouens Pannonias repetit: ubi non ita multo poſt effundente ſe ubertim propter ebrietatem è naribus ſanguine, moritur. Leo uero ad urbem rediens, totus ad confirmandam catholicam fidem conuertitur, quæ tum potiſſimum à multis hæreticis impugnabatur, maxime autem à Neſtorianis & Eutichianis. Neſtorius enim Conſtantinopolitanus Epiſcopus, uirginem non Dei, ſed hominis tantummodo genitricem dixit, ut aliam carnis, aliam diuinitatis perſonis perſonam faceret, & ſeiunctim alterum eſſe Dei filium, alterum hominis oſtenderet. Eutiches autẽ Conſtantinopolitanus abbas, ne ſentire cum Neſtorio uideretur, diuinam cum humana natura in idem compoſitum recidiſſe affirmabat, unumq́ factum, nec ullo modo inter ſe diſtingui debere. Hanc hæreſim cum Flauianus Conſtantinopolitanus epiſcopus damnaſſet, Theodoſio annuente, ſynodus Epheſina indicitur, in qua Dioſcoro Alexandrino epiſcopo pſidente, Eutiches reſtituitur, Flauianus uero damnatur. At Leo mortuo Theodoſio in eiuſdẽ locũ ſuffecto Marciano principe catholico, Conciliũ Chalcedonenſe indicit, in quo ſexcentorũ & triginta epiſcoporũ autoritate decernitur, credendũ duas naturas in Chriſto fuiſſe, utq́ unus idemq́ Chriſtus Deus & homo crederetur, ac ſtatim Neſtorius & Eutichius nephandus Manichæorum præſul damnarentur. Combuſti etiam publicè ſunt Manichæorum libri: calcata & depreſſa eſt Dioſcori ſuperbia atq́ hæreſis. Interim uero mortuo à ſuis Valentiniano, Maximus tyrannus imperium occupat, Eudoxamq́ quondam Valentiniani uxorem uiolentis nuptijs adiungit. Hanc ob rem Vuandali

Ex Platina.

dali ex Aphrica acciti, Genserico duce Romã hostili manu ingressi, Maximum in illo tumultu ab Urso milite Romano occisum, in Tyberim proijciũt, urbem deripiunt atq; incendunt, Templa et sacraria spoliant, nec Leonem pontificem exaudiunt, clamantem & dicentem, ut urbi & templis parcentes, prædã quò uellent abigerent. Abeuntes quartodecimo die post urbẽ captam, atq; Eudoxam cum filia & ingenti captiuorũ numero secum trahentes, in Aphricam reuertuntur. At Leo ad reparandam urbem & templa conuersus, Demetriam ancillam Dei impulit, ut basilicam beato Stephano uia Latina tertio ab urbe miliario in fundo suo conderet. Ipse uero in honorẽ beati Cornelij episcopi basilicam uia Appia ædificauit. Templa diffracta restituit, sacrorum uasa comminuta aut ablata uel deuuo renouauit, uel ex integro quoad fieri potuit, restituit. Cameras præterea treis condidit in tribus basilicis, Iohannis, Petri ac Pauli. Sepulchris quoq; apostolorum custodes addidit ex clero Romano, hos cubicularios appellauit. Præterea uero monasterium prope sanctum Petrum condidit, constituitq;, ut intra actionem mysterij diceretur: Hoc sanctum sacrificium, &c. neue ulla monacha uelamen capitis benedictum acciperet, nisi approbatum fuisset, eam quadraginta annis caste & integre uixisse. Dum autem his curis uir sanctus intentus esset, subito exorta est Acephalorum hęresis: qui ideo Acephali uocati sunt, quia sine cerebro & sine autore habebantur. Hi autem Chalcedonense concilium improbantes, proprietatem duarum substantiarum in Christo negant, unam tantum in eiusdem persona naturam prædicantes: quam quidem hæresim epistolis suis eleganter & docte ad Christifideles scriptis accerrime confutauit. Sunt qui scribant Paulinum Nolanæ urbis episcopum, Prosperum Aquitanum uirum doctum, Mamercum Viennensem episcopum in pretio tum fuisse. Primus enim Mamercus (ut aiunt) supplicationes, quas Græci letanias uocant, instituit, ob frequentes terræmotus, qui tum maxime Gallias uexabãt. Leo postremo creatis ex institutione sacrorum LXXXI. presbyteris, diaconis XXXI. episcopis sex & LXXX. moritur, ac sepelitur apud sanctum Petrum in Vaticano, IIII. Idus Aprilis. Sedit annis uno & uiginti, mense uno, diebus tredecim.

IOANNES ET PAVLVS martyres.

IOannes & Paulus fratres Christianæ religionis colentissimi, domestici fuerunt Constantiæ filiæ Constantini magni. Sed cum Iulianus Apostata Imperium excoepisset, factus certior, hos ex magnis facultatibus, quas illis Constantia reliquerat, pauperes alere, occasionem captabat, eosdem spoliandi. Iubet igitur eos suis domesticis adscribi, non dubitans, illos conditionem religionis gratia *Ex Romano breuiario.*

recuſaturos. Negãtibus igitur illis, eius ſe fore domeſticos aut comites, qui à Chriſtiana pietate defeciſſet, ſpaciũ decem dierum præſcribit, quo uel imperata facerent, & Ioui ſacrificarent, uel ſe certe morti pararent. Ipſi uero accepta conditione, bonam partem ſuarum facultatum pauperibus præſcripto tempore diſtribuerunt. Decima die Terentianus præfectus prætoriæ cohortis miſſus, eos inuenit orantes, à quo quid ſtatuiſſent rogati, cum ſe pro uera religione morti paratos eſſe reſpondiſſent: ille poſt tertiam noctis horam in domo ipſos, ne fieret tumultus, capite truncauit, ac ſecreto ſepeliuit: rumorq; per urbem ab interfectoribus ſparſus increbuit, Ioannem & Paulum in exilium fuiſſe miſſos. Sed res enunciata eſt à dæmonibus, qui corpora quorundam obſidebant. A' quibus dæmonibus quum Terentiani filius uexaretur, ductus ad martyrum ſepulchrum liberatus eſt, eoq; miraculo idem & pater ad fidem Chriſti conuerſi ſunt, & res tota patefacta. Paſſi ſunt autem Romæ ſexto calend. Iulij.

S. PETRVS ET PAVLVS APOSTOLI.

Ex Prudētio


Lus ſolito coëunt ad gaudia, dic amice quid ſit,
Romam per omnem curſitant, ouantq;.
Feſtus apoſtolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atq; Petri nobilis cruore.
Vnus utrunq; dies, pleno tamen innouatus anno
Vidit ſuperba morte laureatum.
Scit Tyberina palus, quæ flumine labitur propinquo
Binis dicatum ceſpitem trophæis.
Et crucis, & gladij teſtis, quibus inrigans eaſdem
Bis fluxit imber ſanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit ſententia legibus Neronis
Pendere iuſſit præminente ligno.
Ille tamen ueritus celſæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam magiſtri:
Exigit ut pedibus merſum caput imprimant ſupinis
Quo ſpectet imum ſtipitem cerebro.
Figitur ergo manus ſubter, ſola uerſus in cacumen,
Hoc mente maior, quo minor figura.
Nouerat ex humili cœlum citius ſolere adiri,
Deiecit hora, ſpiritum daturus.
Vt teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
Diemq; eundem Sol reduxit ortus.
Euomit in iugulum Pauli Nero feruidum furorem,
Iubet feriri gentium magiſtrum.
Ipſe prius ſibimet finem cito dixerat futurum,

Ad

Ad Christum eundum est, iam resoluor, inquit.
Nec mora, protrahitur, pœnæ datur, immolatur ense,
Non hora uatem, non dies fefellit.
Diuidit ossa duûm Tybris, sacer ex utraque ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulchra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum,
Canens oliua murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus, excitauit
Fontem perennem chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora, lubricatque cliuum
Donec uirenti fluctu & Colymbo.
Interior tumuli pars est ubi lapsibus sonoris
Stagnum niuali uoluitur profundo
Omnicolor uitreas pictura superne tingit undas,
Musci relucent, & uirescit aurum.
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri,
Credas moueri fluctibus lacunar.
Pastor oues alit, ipse illic gelidi rigore fontis
Videt sitire quas fluenta Christi.
Parte alia titulum Pauli uia seruat Ostiensis,
Qua stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est, princeps bonus has sacrauit arces,
Lusitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus subleuit, ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu iubar sub ortu,
Subdidit & Parias fuluis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum Camyros hyalo insigni uarie cucurrit arcus
Sic prata uernis floribus renitent.
Ecce duas fidei summo patre conferente dotes,
Vrbi colendas quas dedit togatæ.
Aspice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus feruet una festis.
Nos ad utrunque tamen gressu properemus incitato.
Et his & illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius quâ fert uia pontis Hadriani,
Leuam deinde fluminis petemus.
Transtyberina prius soluit sacra peruigil sacerdos:
Mox huc recurrit, duplicatque uota.
Hæc didicisse sat est Romæ tibi, tu domum reuersus
Diem bis festum sic colas memento.

S.Petrus

S. PETRVS.

Ex S. Hieronymo.



Imon Petrus filius Ioannis, prouinciæ Galilçæ, uico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circuncisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, secundo Claudij anno, ad expugnandū Simonem magū Romam pergit, ibiq; uigintiquinq; annis cathedram sacerdotalem tenuit, usq; ad ultimum annum Neronis, id est, decimum quartum. A' quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram uerso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignū, ut sic crucifigeretur, ut dominus suus. Scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum secūda à plerisq; eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed & Euangeliū iuxta Marcum, qui auditor eius & interpres fuit, huius dicitur. Libri autem eius, è quibus unus Actorū eius inscribitur, alius Euangelij, tertius prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus iudicij, inter Apocryphas scripturas reputantur. Sepultus Romæ in Vaticano, iuxta uiam triumphalem, totius urbis ueneratione celebratur.

Ex S. Hieronymo.



Aulus Apostolus, qui ante Saulus, extra numerum *duodecim* Apostolorum, de tribu Beniamin, & oppido Iudçæ Gischalis fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tharsum Ciliciç cōmigrauit, à quibus ob studia legis *missus Hierosolymam*, à Gamaliele uiro doctissimo, cuius Lucas *meminit*, eruditus est. Cum aūt interfuisset neci martyris Stephani, & acceptis à Pontifice templi epistolis, ad persequendos eos, qui Christo crediderant, Damascum pergeret, reuelatione compulsus ad fidem, quæ in Actibus Apostolorū scribitur, in uas electionis de persecutore translatus est. Cumq; primum ad prædicationem eius Sergius Paulus proconsul Cypri credidisset, ab eo, ꝙ eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen Paulus: & iuncto *sibi* Barnaba, multis urbibus peragratis, reuertensq; Hierosolymā, à *Petro*, Iacoboq; & Ioanne gentium Apostolus ordinatur. Et quia *in Actibus* Apostolorum plenissime de eius conuersatione scriptum est, hoc tantū dicam, ꝙ post passionem domini uicesimoquinto anno, id est, secundo Neronis, eo tempore quo Festus procurator Iudæç successit Felici, Romam uinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, aduersus Iudæos de aduentu Christi quotidie disputauit. Sciendū autem in prima satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historię, Paulū à Nerone dimissum, ut Euangelium Christi in occidentis quoq; partibus prædicaret, sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheū, eo tempore, quo & passus est. De uinculis dictat Epistolam: In prima mea satisfactione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, nō eis imputetur. Dominus autem mihi

mihi adfuit, & confortauit me, ut per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes, & liberatus sum de ore leonis. Et statim liberauit me dominus ab omni opere malo, & saluauit me in regnum suum cœleste, quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium. Nam & in eadem epistola præmiserat: Ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Hic ergo decimoquarto Neronis anno, eodẽ die, quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusq́ est in uia Ostiensi, anno post passionem domini tricesimoseptimo. Scripsit autem nouem ad septem Ecclesias epistolas, ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unã, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas. Præterea ad discipulos suos, Timotheo duas, Tito unam, Philemoni unam. Epistola autem quæ fertur ad Hebręos, non eius creditur, propter styli sermonisq́ distantiam. Sed uel Barnabæ, iuxta Tertullianũ, uel Lucæ Euangelistę, iuxta quosdam, uel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ episcopi, quem aiunt sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone. Vel certe, quia Paulus scribebat ad Hebræos, & propter inuidiam sui apud eos, nominis titulũ in principio salutationis amputauerat. Scripserat ut Hebræus Hebræis Hebraice, id est, suo eloquio disertissime, ut ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius uerterentur in Græcum: & hanc causam esse, q̃ à cęteris Pauli epistolis discrepare uideatur. Legunt quidam & ad Laodicenses: sed ab omnibus exploditur. Laudes S. Pauli legat religiosus presbyter in tribus illis elegantiss. libellis diui Ioannis Chrysostomi, quorum est titulus: De laudibus Pauli. Adeoq́ totus Actuum Apostolicorum liber quid aliud est, nisi historia Petri & Pauli? Legisse uerò nõ satis sit, nisi etiam nostro pro modulo, quæ legimus, imitemur. Nec aliò spectat hic labor noster. Verum ei qui plura de sanctiss. Apostolis Petro & Paulo legere concupiscit, ostendimus Egesippum lib. iij. cap. ij.

S. SEPTEM FRATRES MARTYRES.


CRescente rabie persequutionis in Christianos, septem fratres Romæ sub Antonio Pio martyrio coronati sunt. Cum enim delatum fuisset ad Cæsarem, ab his deos blasphemari, Christi fidem palàm confitentibus, datum est negocium Publio præfecto, ut eorum caussam iudicaret. Qui primo blandis uerbis, deinde terroribus ac minis instat, ut abnegato Christo dijs sacrificarent. Felicitas autem eorum mater constantia plus q̃ uirili: Si Christum, inquit, ô iudex nosceres, eiusq́ magnitudinem intelligeres ac diuinitatem, desisteres haud dubie, pios homines à religione ipsius oratione impia subducere. Qui enim Christianis maledicit, deo maledicit in cordibus eorũ habitanti. Et ad filios conuersa, ipsos ut neq́ cruciatus perhorrescant, Ex Romano breuiario.

neq; mortẽ propter fidem in Christum recusent, adhortatur. Igitur fratus iudex, ad filiosq; conuersus, cum uideret eos in fide immobiles permanere, nec promissis nec minis à sentẽtia reuocari, in carcerẽ eos trudit, & Cæsari rei ordinẽ exponit. Ille uero omnes morti tradit. Primus igit̃ eorũ Ianuarius plumbatis cæsus expirauit: Felix deinde, & Philippus fustibus necant̃; Syluanus præcipitio: Alexander cum alijs duobus capite truncatur, vj. Idus Iulij: Mater item quarto pòst mense gladio percussa, martyrij palmam adepta est. Quam Gregorius octies martyrem appellat. Passa est enim septies in septẽ filijs, & demum in corpore proprio.

S. PIVS EPISC. ROM.

Ex Platina. PIus natione Italus, patria Aqleiensis, patre Ruffino, M. Antonini Veri tempora attigit, qui tum unà cum L. *Aurelio* Commodo fratre annis decem & nouem imperium æquo iure administrauit. Bellum aũt contra Parthos simul susceptum, admirabili uirtute & felicitate gesserunt, de hostibusq; triumpharunt. Verũ non ita multo pòst apoplexię morbo è medio sublato Commodo fratre Antoninus solus imperium obtinet: quem certè ob eius pręstantem in omni genere uirtutis animum mirari facilius, q̃ laudare licet. *Hic enĩ* & quia à teneris annis eiusdem animi eiusdemq; uultus in quauis fortuna semper est habitus: & quia benignitas naturæ cum doctrina à Collatino Frontone oratore habita in eodẽ uiro certabat, ab omnibus philosophus merito appellatus est, Platonis sententia, quam semper (Capitolino teste) in ore habuit sæpius repetita: tum demum florere ciuitates, si aut philosophi imperarent, aut imperantes philosopharentur. Adeo autem doctrinæ auidus fuit, ut imperator etiam Apollonium philosophum, & Sextum Plutarchi nepotem legentem audiuerit. Frontonis quoq; pręceptoris statuam, honoris causa in senatu collocauit. Hoc *tem*pore Pius pontifex consuetudinem, et quidem magnam, cum Hermete habuit, qui librum scripsit, titulo pastoris insignitum. Quo quid*em in li*bro angelus pastoris personam induens ei mandat, ut omnibus *persua*deat, pascha die dominico celebrari: quod etiam fecit. Constituit item Pius, ne hæreticus quispiam ex Iudæorum hæresi susciperetur, & baptizaretur. Rogatu primo Praxedis sanctissimæ fœminæ thermas Nouati in uico patricij in honorẽ sororis suæ diuæ Pudentianæ dedicauit. Multaq; dona huic templo obtulit, ac sæpius eodem in loco sacrificium deo præstitit. Vbi & fontem baptismi constituit, ac benedicens consecrauit, multosq; uenientes ad fidem in nomine trinitatis baptizauit. Illis quoq; pœnam constituit, qui negligentes sunt in attrectando Christi sanguine & corpore: Pœnitentiam (inquit) agant quadraginta diebus, quorum negligẽtia in terram aliquid ceciderit: si super altare, tribus diebus: si super linteum, quatuor: si in aliud linteum, nouem diebus. Vbicunq;

decid-

deciderit, si recipi potest, lambatur: sin secus, aut lauetur, aut radatur: lotum & rasum, aut comburatur, aut in sacrarium reponatur. Huius tempore in precio est habitus Apollinarius Asiæ Hierapolitanus Episcopus, qui insigne uolumen de fide Christi M. Antonino secundo tradidit. Scripsit & in Cataphrygas, qui tunc etiam cum Priscilla & Maximilla insaniebant uaticinantes: incipiente tamē Montano, quorum omniū hæc erat opinio: aduentum spiritus sancti non in Apostolis, sed in se traditū fuisse. Illis quoq; temporibus laudabatur & Tatianus uir doctissimus, quādiu ab opinione Iustini martyris præceptoris sui non discessit. Nam postea inflatus opinione sui nouam hęresim condidit, quā postea Seuerus auxit, unde Seueriani appellati. Hi uinum non bibunt, carnes fastidiunt, & uetus Testamentum ac resurrectionē non recipiunt. Præterea uero Philippus Cretensis episcopus præclarum contra Marcionē librum hoc tempore ędidit. Nam (sicuti dixi) Marcionistæ Cerdonis dogma sequebantur. Scripsit & Musanus librum contra quosdam, qui ad Eucratitiarum hæresim declinabant: horum quidem opinio cum Seuerianis conuenit. Omnem enim coitum spurcū putabant, cibosq; damnabant, quos deus generi humano proposuisset. At uero Pius ubi in ordinationibus suis, quę quinq; fuere, mense decembri presbyteros decem & nouem, diaconos unum & uiginti, episcopos decem creasset, moritur, & apud beati Petri corpus in Vaticano sepelitur, quinto Idus Iulij. Sedit uero annis undecim, mensibus quatuor, diebus tribus.

VISITATIO MARIÆ VIRGINIS.

PLena deo mater, fœtuq; animosa latenti
Trans iuga, trans altos saxosa cacumina montes
Se tulit ad sera fœcundam prole parentem,
Cognatamq; nurum partus uisura beatos,
Virgineoq; sinu paruum strictura nepotem.
Dumq; uiam carpit pedibus calcata pudicis,
Gestijt immensum tellus, & dulcia longo
Tempore seruauit presso uestigia dorso.
Tota uenustatem regio mirata decusq;
Ætheriæ frontis, fusumq; per ora pudorem.
Attulerat sextum grauidæ iam Delia mensem,
Et pleni languebat anus sub pondere uentris.
Hæc erat Hismeræ claro sata sanguine, magni
Zachariæ coniunx, cui nomen Elizabet: annis
Iam grauis, hæc longo sterilem se fleuerat æuo.
Oranti tandem diuûm data munere proles
Indice porrecto demonstratura Tonantem:

Et lotura sacro uenientem flumine turbam.
Et consanguineas iunxerunt oscula matres
Mutua, & iniecti strinxerunt colla lacerti:
Grandior afflatu uicini numinis infans
Gestijt, & subito Dominum confessus honore
Maternam insolitis concussit motibus aluum.
Tunc anus aduentu charæ lætata puellæ,
Et succensa Deo, dixit: Tu'ne illa propago
Expectata diu nobis, promissa'que nostris
Patribus, & sacro uatum celeberrima cantu,
Quam mea iam sero genuit matertera partu?
O decor, ô summo facies dignissima cœlo:
Te tandem terris superi ostendêre: quid ultra
Tristia primæuæ flemus conuiuia matris?
O ueterum spes longa patrum spectabilis alma
Quæ reparas aurora diem, quæ distulit ortus
Nox tam longa tuos: quæ caussa ignota sub umbris
Hoc illustre iubar tenuit, nec protulit ante
Lumen olympiacum radios: ô quanta sepultos
Cura tui proauos tenuit: panduntur ab alto
Æthere fœlices anni: noua nascitur ætas.
Sydera tu mundo reseras: tu Tartara claudis:
Tu genus instauras hominum, profugam'que paterno
Soluis ab exilio gentem.
Fortunata parens, fœlix quoque uiscere sancto
Progenies, sancta'que puer qui clauditur aluo.
Non erit hæc tua uana fides: nec muneris huius
Latorem frustra credendum est æthere missum.
Ipse pater, qui cœpit opus, formabit ad unguem:
Irrita nec tantæ fient exordia laudis.
O me fœlicem, tua quòd licet ora tueri.
Consuluit, uulnus & uirgo, medicamina uirgo
Contulit: illa necis, dedit hæc primordia uitæ.
Illa tulit belli causas: hæc semina pacis.
Hæc anus. At senior, uocis cui clauserat usum
Imbecilla fides, cano uenerabilis ore
Signa dabat: flexa'que dei ceruice parentem
Hospitio suscepit ouans: oculis'que, manu'que
Æthera monstrabat prius, & mox hospitis aluum
Regia parthenice diuino afflata calore,
Iucundum cecinit carmen.
Id quanquam nostro non est tractabile uersu,

Subijciam

Subijciam tamen & sensum, non uerba reponam.

Magnifice regem mea mens extollit Olympi,
Et Deus exhilarat sancto mea uiscera plausu.
Vidit enim pectus supplex, humilemq; ministram:
Ingentiq; meos uestiuit numine sensus.
Propterea uentura canent me cuncta beatam
Saecula: nanq; modis in me surgentia miris
Omnipotens rerum miracula suscitat auctor.
Ipsius aeterno clementia flumina torrens
In genus omne fluit: sicut de Doridis aluo
Perpetui uoluunt plenis uada cursibus amnes.
Explicuit forti uires, animumq; lacerto
Atq; suo elatas dispergens robore gentes.
Eruit excelsos, humilesq; in sceptra uocauit.
Esuriem saturans inopum: dimisit inanes,
Qui terrae rimantur opes: diuina uidentes
Suscepit miserans pueri genus: atq; fidele
Semen, ut antiquis responsa parentibus olim
Habraamo natisq; dedit, proliq; nepotum.

S. IVSTINVS MARTYR.

IVstinus Neapoli natus, in Palestina philosophus fuit Platonicus. Qui factus Christianus plurima studiorū suorum monumenta pro fide Christiana posteritati reliqt. Et in his apologeticum librum pro Christianis ad Anthoninum Pium, & alterum ad successorem huius Anthoninum Verum. Item duos libros contra Paganos. Hic quum in urbe Roma frequenter pro fide Christi disputasset, & Crescentem quendam Cynicum (moribus & professione uere canem) multa in Christianos conuicia iactantem, saepe redarguisset, ab eodem accusatus, quod Christianus esset, capiteq; damnatus, martyrio coronatur. Quod ita futurum martyr ipse praedixerat in defensione secunda, quam pro Christianis ediderat. Passus est autem Imperantibus Marco Aurelio Vero & Anthonino eius filio, Idibus Aprilis. De S. Iustino uiro clarissimo, & homine Dei, sic tradit Eusebij historia: Sed & Iustinus fidelissimus nostrae Philosophiae sectator, & in Graecorum disciplinis eruditissimus, scribens ad Anthoninum Apologeticum pro nostra religione librum, horum meminit, ita dicens: Non mihi uidetur absurdum, meminisse in his etiam de Antinoo quod nuper gestum est, quem omnes timore principis quasi Deum colere coeperunt, cum bene nouerint, quis, qualisue paulò ante fuerit, & unde duxerit genus. Idem quoq; ipse etiam Iudaici belli, quod tunc gerebatur, memoriam faciens, *Ex S. Hieronymo.*

talia quædam refert: Etenim in hoc, quod nunc geritur, bello Iudaico, Barchochabas princeps Iudaicæ factionis, Christianos solos, nisi negarent Christũ, tanq̃ blasphemos ad supplicia rapi iubebat. In q̃bus lib... etiam de conuersione sua, quam habuit, à gentili philosophia ad ue... æ religionis fidem, quòd non absq; probabili ratione & exanimato iudicio ad hæc conuersus sit, hoc modo scribit: Nam & ego ipse, inquit, sectis Platonicis institutus, audiens infamari Christianos, & uidens eos impauidos ad suscipiendam mortem, atq; omne suppliciũ tollerãdum, considerabam, quòd impossibile esset, in malitia eos, & in libidine conuersari. Quis enim aliquando uoluptuosus, & luxurijs deditus, & qui humanis carnibus uesci delitias putet, mortem libẽter amplectitur, quo scilicet ipsa confestim careat, pro qua infirmari maluit uoluptate? Hæc lib. iiij. cap. viij. Idem Eusebius de S. Iustino cap. xvj.

Cum quibus & uir mirabilis, de quo paulò superius fecimus mentionem, Iustinus, cum secundo iam librum pro religionis nostræ defensione cõscriptum, temporis illius iudicibus obtulisset, remunerationem linguæ fidelis & eruditæ, martyrij munus accepit, quodam philosopho Crescente nomine, cane tam professione quàm moribus, dolos uiro insidiasq; tendente. Quoniam quidem sæpe cum eo disputans, auditoribus medijs, non solum obtinuerat eum, uerum & uehementius ueritate sibi suffragante confuderat: unde & uictoriæ suæ palmam, martyrium percepit à domino. Hoc autem ita futurum, etiam beatus ipse, uerus philosophus ueritatis in ea defensione, quam ab eo conscriptam supra diximus, aperte, sicut erat futurum, prophetica mente prædixit, his uerbis: Nam & ego, inquit, spero me ab aliquo horum, quibus pro ueritate obsisto, insidias esse passurum: spero baculo aut claua feriendum: certè uel à Crescente hoc, non philosopho, sed φιλοκόμπῳ, id est, non amatore sapientiæ, sed amatore iactantiæ. Neq; enim dignum est, philosophum nominari eum, qui de his quæ nescit, publice protestatur: & Christianos sine Deo esse, & impios dicit, ad gratiam & libidinem eorum, quos in errore positos, ipse in maioribus laqueis erroris inuoluit. Si em̃ ignoratur ab eo Christi doctrina, & ea arguit quę ignorat, nequissimus est, & imperitis multo nequior: quia & imperiti uel idiotæ obseruant, ne disputare audeant de his quæ ignorant, & de illis testimonium perhibere, quæ nesciũt. Si uero legit, quę apud nos scripta sunt, & aut non intellexit eorum uirtutem, aut intellexit quidem, sed dissimulat, ne & ipse suspectus habeatur in talibus, multo nequior & detestabilior iudicandus est, qui imperiti uulgi captans fauorem, ueritatis ac pietatis quam probat, hostis existit & proditor.

Diuisio

DIVISIO APOSTOLORVM Domini Iesu.



Apostoli sese in orbis partes intulerunt, quantum narrat historia, Bartholomæus in Indos, Thomas tetendit in Parthos. Matthæus Æthiopes, Andreas Scythas prædicatione molliuit. Ioannes Asiam diuino sermone correxit, Petrus Cappadociam atque Galatiam, Bithyniam pariter & Pontum, prouinciasque confines, dum Iudæis prædicat, circuit: Postremo Romam illustraturus accessit. Paulus ab Hierusalem usque Illyricum cum Euangelio repleuisset, tam innumeras ac dispares nationes præceptis tanquam armis uictor edomuit. Ex Eucherio Lug. Episco.

APOSTOLORVM NOMINA accuratius excussa.



Mononymi horum sunt quatuor, uidelicet Andreas, Ioannes, Philippus & Barptolomæus. Reliqui omnes sunt uel dinonymi uel trinonymi. Dinonymi, Iacobus Maior, qui idem dicitur filius Zebedæi Matth. x. Mar. iij. Iacobus Minor, qui idem dicitur filius Alphæi. Matth. x. Mar. iij. Luc. vj. Act. j. Dicebatur idem Iustus, & Oplia, id est, armatura. Matthęus qui fuerat Telones, qui idem dicitur Leui filius Alphæi, haud dubium, quin alterius et diuersi à priore Alphæo Iacobi Minoris patre Marc. ij. Neque enim fratres germani erant Iacobus & Matthęus. Thomas, qui idē dicitur didymus Ioan. xx. tametsi idem nomen uideri poterat, diuersa nimirum lingua pronuntiatum. Nam quod Hebræi Thom seu Thomas, hoc Græci δίδυμον uocant, Latine Gemellum dicimus. Trinonymi sunt: Simon, qui idem Kananæus dicitur Matth. x. & Zelotes Act. j. Neque tamen usqueadeo aliud est, cognominari Kananæum, aliud Zelotem, siquidem quod Hebræi Kanani seu Cananæū, hoc Græci ζηλώτην dicunt, nos æmulatorem. Dictus uero est Simon ille Cananæus, non quod fuerit de gente Canaan, sed à uico Galilææ Cana Ioan. ij. Simon alter (nam duos Simones habet Apostolicus ordo) is cognominatus fuit Cepha, & idem Petrus, imò etiam Barlona seu filius columbæ. Verum & hoc loco consistit nominum uariatio in linguarum diuersitate. Nam quod Chaldæi Cepha, hoc ipsum Græci πέτραν uocant, nos saxum. Pari ratione dicitur puella illa Act. ix. Tabita & eadem Dorcas, scilicet ab intuendo, tametsi iuxta originale rectius legitur Tabeia. Vltimus Iudas, qui iam Lebbęus, iam Thaddæus cognominatur Matth. x. S. Lucas uocat hunc Iudam Iacobi cap. vj. & Act. j. Iudam Iacobi fratrem, exponens nimirū quod ante dixerat Iudas Iacobi. Hactenus de nominibus Apostolorum. Cæterum nōnulli ex Apostolis sanguine ac necessitudine coniuncti fuerunt. Simon enim Cepha seu Petrus & Andreas fratres erant ex Galilęa orti. Iacobus Maior & Ioannes fratres & ipsi erant, quorū pater Zebedęus, Georg. Vuicelij.

mater

mater Salome. Duo isti apud Marcum cognominationem habent Be-neregesch seu Benaiaregesch, id est, filij tonitrui à firmitate & magnitu-dine fidei, teste Hieronymo. Quin fratres etiam erãt illi Iacobus Minor, Simon & Iudas, horum pater Cleophas, & mater Maria, quæ diceba-tur soror Mariæ deiparæ Ioan. xix. Verum aut Cleophas ille cogno-minatus fuit Alphæus, aut Alphæus secundus maritus Mariæ huius fuerit oportet. Libet uerò hos duos Simones epithethis discernere, sicut duos ille Iacobos: Ita ut alterum Maiorem, nempe Simonem Petrum uocites, alterum Minorem, uidelicet Simonem Zelotem. Discernũtur etiam duæ Iudæ, dum alter Lebbæus à corde, alter Iscariotha à mercede appellatur. In cuius locum suffectus Matthias, quem Francisc. Picus in carmine Donatum uocat, interpretans nimirum latinè, quod Hebræis Matthi dicitur Act. j. Idem nomen Matthæus habet, nisi quòd in fine syllabis distinguuntur Matthias & Matthæus.

DE APOSTOLIS EX TERTVLIA-no lib. iiij. contra Marcio.

CVr autem duodecim Apostolos elegit, & non alium quem-libet numerum? Næ & ex hoc meum Christum interpretari possem, non tantum uocibus prophetarum, sed et argumen-tis rerum prædicatum. Huius enim numeri figuras apud Creatorem de præhendo: Duodecim fontes Elim, & duodecim gemmas in tunica sa-cerdotali Aaronis, & duodecim lapides ab Iesu de Iordane electos, & in arcam testamenti conditos. Totidem enim Apostoli portendeban-tur, proinde ut fontes et amnes rigaturi aridum retro & desertum à no-titia orbem nationum: sicut & per Esaiam: Ponam inter inaquosa flumi na. Proinde ut gemmæ illuminaturæ, sacram ecclesiæ uestem, quam in-duit Christus pontifex patris. Proinde ut & lapides solidi fide, quos de lauacro Iordanis Iesus uerus elegit, & in sacrarium testamẽti sui recepit. Hactenus Tertull. Plura ex eodem de Apostolis uide in festo Omniũ sanctorum.

IN DIVISIONEM APOSTO-lorum.


Rigenes in explanatione Genesis: Thomas sortitur Parthos, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam citeriorem, Iohannes Asiam, Andreas Scythiam, Petrus Pontum, Gala-tiam, Bithyniam, Cappadociam. Paulus ab Hierosolymis usq; ad Illy-cum, euangelio Christi cunctos repleuit, alij uero uel per hæc, uel per alia loca, secundum quod spiritus sanctus uoluit dimittuntur, sicut pro-pria eorum gesta habent. De quibus fortasse ideo tacuit Origenes, quia uita & actus eorum minus autentici sunt, uel ab hæreticis & impostori-bus conscripti. Hactenus ex Haimone.

Nomen-

NOMENCLATVRA LXX. DISCIPVlorum domini Iesu: è libro non malo, cui titulus: Cultura Vineæ Dominicæ.

Discipuli Christi, quorum nomina scripta sunt in cœlis, qui fuerunt, non legitur in canone sacrorum Bibliorum. Sed ut illi in maiori deuotione habeantur, per quos stabilita sunt fundamenta militantis Ecclesiæ, quantum potui in gestis quibusdam antiquis inuenire, hîc exprimam. Martialis Cephas, cuius duæ extant Epistolæ. Cleophas Luc. xxiiij. Lucas, iuxta Gregor. Ioseph Barsabas. Matthias Act. j. Ioseph cognomento Barnabas. Stephanus protomartyr, Act. iiij. Philippus ille. Prochorus. Nicanor. Simon. Parmenas, de his Act. vj. Nicolaus Antioch. Andronicus. Iulias Ro. xvj. Agabus Act. xxj. Ananias Act. ix. Thaddeus, non Apostolus, sed de quo apud Euseb. li. j. cap. xv. Simon alius. Epænetus, postea Carthag. Epaphras, teste Hierony. Amplias Episc. Ediss. Vrbanus Episc. Macedon. Apelles Episc. Oratheæ. Aristobulus Episc. Bethaniæ. Narcissus Episc. Athenarũ. Ruffus Episc. Cæsariens. Asmeretus Episc. Hyrcaniȩ. Phlegon Episc. Machachonen. Hermes Episc. Dalmaciæ. Patrobas Episc. Ponellorum. Hermas Episc. Philopoleos. Agapus Episc. Ephes. Philologus Episc. Sinopensis. Lucius Episc. Laodiciæ in Syria. Sosipater Episc. Iconij. Iason Episc. Thars. Eraster &c. Nereus. Ampheius Smyrnȩ. Herodion Rom. xvj. Stachys. Lucius Iconiensis. Syluanus Episc. Thessalo. Sosthenes, de quo ad Corinth. Apollos. Linus Episc. Roman. Cæsar, Philipp. iiij. Epaphroditus. Iesus cogno. Iustus Coloss. iiij. Tychicus. Artemas. Clemens. Onesiphorus. Carpus. Erodius. Aristarchus, ad Philemo. Zenas. Aristarchus Act. xxvij. Philemon. Philetus, ad Timot. Hermogenes. Demas, postea reprobus: cum duobus prioribus. Pudens Timoth. iiij. Trophimus. Crescens. Sauinianus. Potentianus. Altimus. Maximianus &c. Horum nomina uel ob hoc celebria, & in templis Christianorum merito decantata sunt, quòd S. Apostoli Pauli testimonium habent. Vere sancti uiri, uere discipuli Christi Iesu, per quos Euangelium diuulgatum est, non sine uitæ innocentia, & mortis contemptu.

DE LXXII. DISCIPVLIS EXTAT HOC apud Volaterranum lib. 19.

LXXII. Discipulorum Christi nomina, hæc sunt: Lucas & Cleophas qui in Christum peregrinum inciderunt, ut plane Grego. in proœmio moralium sentire uidetur. Ambrosius alium à Luca putat. Barnabbas: Matthias: Taddæus qui ad agrum missus est: alter ab Apostolo. Hi Eusebio lib. pri. ponunt: Sequentes uero Abbati Dorotheo. Septem ante omnis primi, Diaconi: Stephanus protomartyr. Philp-

pus is qui Eunuchum Christianum fecit: præsul in Thracia. Proculus præsul Nicomediæ. Nicanor qui una cum Stephano interfectus. Parmenas. Nicolaus Samariæ præsul deinde pro hæretico Ioanni taxatur. Simon præsul Tyri ac Sidonis: Qui diaconi in Actibus Apost. narrantur. Insuper Ananias Pauli, qui postea Damasci præsul fuit. Titus Pauli, qui in Creta præsul & sepultus fuit. Syluanus Thessalonicæ præsul & sepultus: cuius ut comitis Pual. ad Thessal. prima meminit. Crisces Chalcedoniæ præsul. Andronicus præsul in Pannonia. Ampliatus præsul Edessæ. Vrbanus præsul in Macedonia. Stacteus quē Andreas in Thracia præsulem constituit. Apelles Heracleæ præsul, qui omnes ad Rom. cap. xvj. memorantur. Philetus uel Philegus Ephesi præsul: sensit ea quæ Simon magus, restitit & Apostolo, ut ad Timo. xj. Hermogenes Megaræ præsul. Dimas, qui tres à fide desciuerunt, ut ad Timoth. xj. & Ioan. ex nobis prodierunt inquit: sed ex eis non erant. Ampliatus Smyrnæ præsul ante Polycarpum, ut ad Ro. Aristobulus Bethaniæ præsul. Narcissus Athenarum præsul. Heraclytus præsul: & ipse de his omnibus ad Rom. xij. Cicis in Gallia nunciauit euangelium. Agabus qui prophetico chrismate dignus fuit: de quo in Acti. Rufus Thebarum. Asyncritus Hyrcaniæ præsul. Phlegontias. Patrobas. Hermes Philopoleos. Linus qui postea pontifex: de quo xj. ad Timoth. iij. Caius Ephesi præsul. Philologus ab Andrea præsul Sinopensis factus. Liphasus qui Romę simul cum Paulo uinctus, & post eum capite cęsus. Lucius Laodiceæ Syriæ. Iason Tharsi. Sosipater Iconij. Erastes Meaidi. Quartus Beriti. De his omnibus ad Rom. xvj. Apollo, ad Co. primo. Sosthenes Colophonis apud eundem. Epaphrodytus, de quo ad Phi. iiij. Titicus Colophonis item præsul: ad Col. iiij. Cæsar Dyrrachij præsul ad Phi. iiij. Marcus Barnabbę consobrinus Apolloniadis. Iesus cognominatus Iustus Centipoleos præsul, de quo iiij. Eccl. histo. Antomas. Clemens præsul Sardicensis, postea pontifex: primus ex gentibus Christianus. Onesimus Coroneæ præsul. Carpus præsul Cheroneæ. Enodius Antiochiæ post Petrum præsul. Aristarchus Apameæ præsul, ad Col. iiij. Marcus qui & Io. Biblij pręsul, ut in Actib. xiij. & ij. ad Tim. iiij. Zimas uel Zenas Diospoleos ad Timo. iij. Philemon Gazæ præsul, ad quem Apostolus scribit Epistolam. Pudeus ij. ad Timo. iiij. Trophimus de quo ibidē. Hi tres Apostolo semꝑ præsto fuère, ac post eum Romæ & ipsi cæsi. Marcus Euangelista. Candaces eunuchus Æthiopis natione in Arabia & Traprobana Euangelium nunciauit, de quo in Actib. viij. Hi Dorotheo qui Romæ scripsit commemorantur. Polycarpo autem & Vincentio qui sequuntur. Sauinus, Potentianus, Altimus, Maximus & Ioannes senior, in martyrū quoq; libro ponunt. Aristion. Rufus. Zozimus. Priscus. Iosephus cognominatus Iustus, qui cum Matthia in sortem positus. Nason, Silas Corinthi præsul. Euphrates

phrates

phrates, de quo ad Col.iiij. Martialis Lemouicensis præsul. Sidonius uel Cedonius cęcus natus, sepultusq́ cum Maximino. Lazarus Massiliç præsul. Vrsinus ad Bituriges missus: is Nathanaël ille qui Christo probatus fuisse dicitur. Iulianus apud Cenomannos Euangelium nunciauit: qui Simon leprosus esse fertur. Sed & his plures longe reperientur, si obseruabimus ea, quę Paulus scribit, prima ad Cor.xv. Dominũ plus quam quingentis fratribus apparuisse.

DE APOSTOLIS ET MARTYRIBVS, ex Francisco Pico Mirandulano.

Restant bisseni diuinis uiribus hostes,
Imbelles, inopes, despecti, prorsus egentes,
Mortali auxilio uacui, sed flammeus oris
Fulgor, & ardentis linguæ pila aurea, mentes
Humanas clara nimium penetrantia luce.
His tandem telis Romana potentia cessit,
Cessit & illa prius, quæ garrula turba sophorum
Obstiterat, siluitq́ lubens, uocemq́ repressit.
Nam post innumeras cędes, tormentaq́ sæua
Romani proceres fuso cum sanguine, apertis
Pectoribus, pueros bellaces fundere turmas
Spectarent, semenq́ alijs haustum esse cruorem
Victori Christo statuunt sublime trophæum.
At crucis ligno Ausonios summittere fasces,
Et clauis in Latiam iuuat inclinare securim.
Sic postq́ uario demens problemate lusit
Turba deum cultrix, postq́ rude uincere cultum
Eloquij genus aspexit, conuertit in almæ
Obsequium fidei linguam, Christoq́ dicauit.
Quod genus hoc pugnę? quænam hæc uictoria cœli
Regnator? lethum letho contundis inermi.
Armatæ pereunt acies infante, superbus
Eloquij cultor prosternitur. omnia calcat,
Omnia dispellit, spretoq́ triumphat in orbe,
Quem trahis afflatu supero, & perfundis amore.
Atq́ hinc crudeli discerptus uiscera rege
Martyr ouat, rigido laceratus membra theatro.
Gliscit, & extremę scandit penetralia sedis.
Ebrius hoc potu Tarsensis Paulus ab ense
Plectitur exultans, calicem poturus amarum
Gestit Ioannes, feruentis dolia olíui
Frigidus insiliens, nec læsus membra calore.

Extenditq́ alacer, figendaq́ brachia lætus
Porrigit Andreas, uersaq́ sub arbore pendet
Et caput in terram simili sub stipite Petrus
Præbuit, atq; lubens protendit in aëra plantas.
Et lapides Stephano dulces torrentis amari
Mancipijs scelerum. iucunda incendia Laurens
Suscipit empyrea multum irroratus ab unda.
Atq; per ardentes prunas illæsus abibat
Maiores in corde ferens Tyburtius ignes.
Propterea fornax uastis cum follibus auras
Carbonum iactu pulsaret percita lætus
Hanc nudis calcans pedibus: tam dulcia dixit
Tormenta, & sæuas tam non comburere flammas
Quàm si calcasset roseos per compita flores.
Hinc etiam pellem Ptolemæi filius ardens
Deposuit, uectes alius perpessus & alti
Culmina deiectu templi dimensus amore.
Quid memorem Decij creberrima funera regis?
Quid referam fœdo tot iam lacerata Nerone, &
Præbita luminibus nocturnæ lampadis instar
Corpora? quæ miseræ infœlix meditatus halosis.

DIVISIO APOSTOLORVM.

HInc excelsa Pharos humili deiecta Simone,
Prostratæ turres ardentis fulmine linguæ
Quum Marcus Libyci uoces de morte Leonis
Dispergens, baculo Pellæi mœnia regis
Contudit, & Lagi populos sub mystica traxit
Iura Dei, & lacerum templis detrusit Osirim.
Hinc agros Syriæ tum sorte Philippus amœnos
Ingressus, fractis Martem pepulisse sacellis
Dicitur, & diro contracta peste draconis
Ægros afflatu reuocasse ad munia uitæ.
Hinc & Matthæus Solymæ durissima gentis
Corda uirûm supero primum spiramine flexit,
Moxq́ iugo Macedonum colla obluctantia leni
Subiecit, nigrosq́ dehinc peruectus ad austrum
Æthiopes docuit, &c.
Inde Lycaoniam Ptolemæi filius ense
Diuini eloquij discurrens, feruidus Indos
Accessit, &c.

Indorum

Indorum ad tumulum Thomas perrexit, Hydaspem
Spectauit tumidum,&c.
Tum Solymos Donatus adit, Solymosq́ Iacobus,
Tumq́ senex uarios Andreas fudit Achæos,
Cuius congressum metuens Pateræus Apollo
Aufugit,&c.
Nam Paulus Cyprum, Illyrium, mollemq́ Corinthum
Vicit,& Ausonias proceres, dominumq́ senatum.
Cappadocum fines, Galatas, Bithynnaq́ rura
Perdomuit Petrus, Romæ quoq; frena superbæ
Imposuit,&c.

SYMPHOROSA.

TYbure Symphorosa matrona sanctissima, uxor fuit Getuli martyris, ex quo septem filios ad martyriũ pro creauit, uidelicet Crescentium, Iulianum, Nemesium, Primitinum, Iustinũ, Stactæum, Eugeniũ: cum quibus in persecutione Adriani capta est propter Christianæ fidei professionem, omnesq́ multis affecti supplicijs, ut à uera pietate discederent. In qua cum immobiles permansissent, Symphorosa in præterfluentem fluuium, saxo ad collum appenso, præcipitata est,& interempta: eiusq́ corpus ab Eugenio, ipsius fratre, sepulturæ datum. Postridie uero, qui fuit decimoquinto Calend. Augusti, septẽ fratres singulis stipitibus alligati sunt:& Crescẽtius per guttur ferro trãsfixus, Iulianus per pectus, Nemesius per cor, Primitinus per umbilicũ, Iustinus membratim dissectus est, Stactæus multis lanceis cõfixus, Eugenius à pectore in partes inferiores scissus. Ipsorum autem corpora in fossam quandam præaltã deiecta sunt in uia Tyburtina milliario ix. *Ex Romano breuiario.*

S. PRAXEDIS.

PRaxedis uirgo uenerabilis, Pudentis Romani filia, amissis parentibus, tanta cura & cõstantia Christianorum cõmoditatibus inseruiebat, ut multos sanctorum pauperum suis opibus aleret, aliorum necessitatibus, quoad poterat, prouideret. Exorta uero Christianorũ sub Marco Antonino imperatore psecutione, exæstuans uirgo beata, nõ destitit fideles omni ratione fouere. Itaq; alios domi occultabat, alijs necessaria submittebat, alios ad fidei cõstantiam hortabatur, martyrum corpora mira solicitudine collecta sepeliebat. Tantã igitur Christianorũ stragem cum sine summo dolore ferre nõ posset, precata deum, ut se tantis è malis eriperet, exaudita est. Et egregiæ suæ pietatis atq; laborum præmia perceptura, migrauit ad dominum duodecimo Calend. Augusti. Cuius corpus Pastor presbyter iuxta patrẽ & sororem Potentianam, in cœmiterio Priscillæ, uia Salaria sepeliuit. *Ex Romano breuiario.*

VITA S. SIMPLICII ET FAVSTINI fratrum, ac Beatricis sororis eorundem.

Georg. Vuicelij.



Emporibus tyrannorum Diocletiani & Maximiani inuenti inter alios Euangelij professores sunt duo uiri Christiani, Romano nati sanguine, adeoq; stemmate senatorio, Simplicius & Faustinus, qui maiore zelo accensi, magna pro Christo fecerunt, aliorum martyrum exhortatores simul & martyres ipsi effecti, truncata gladio corpora illorum in Tyberim coniecta, posthac à Beatrice sorore, testibus presbyteris, aquis exēpta, honorifice tumulata sunt. Quo piè facto, insurrexit tyrannico furore plenus Lucretius quidam, in uirginem Beatricem, quæ constanti animo Christo quoq; suo spiritum inter carnificis manus læta tradidit.

Miror hic nullo uerbo attingi Fuldense cœnobium, in cuius basilica horum sanctorum corpora in thecis quiescere dicuntur. Vetustissimus Martyrologij codex manu scriptus eadem ferè habet, quæ ego hic ex Bibliotheca Fuldensi decerpsi.

MARGARETA VIRGO ET MARTYR.

G. Vuicelius.



Ntiochena puella, pagani sacerdotis filia, temporibus Diocletiani & Maximiani Herculei sanctissimū agona pro Christiana religione felicissime perfecit. Etenī anno ætatis suæ xv. cum iam rudimenta Euangelicę fidei affatim imbibisset, protinus ad certamen & coronam uocata fuit. Olibrius huius forma insigni captus, tyrannus ille & carnifex, pudicum corpusculum, quo frui non licuit, exquisitis cruciatibus dilaniauit. Recusantem enim dijs dæmonibus sacra facere, loris cædi, deinde in sancta persuasione obdurantē, in eculeo suspensam, ungulis ferreis secari, præterea ignibus aduri, aquisq; suffocari, postremo gladio decollari iussit. Vicerat patronū nefarij erroris doctis sermonibus, hominis obiectiones apertè refutans: Vicerat draconis in specie diabolum apparentē in carcere: Vicerat in igne inq; aqua mortem intentatam, non humano, sed diuino præsidio. Et mirum dictu est, q; pijs precibus, ecq; sacra scriptura usurpatis, fuerit usa contra maximas tentationes, quibus exercebatur, & ab hominibus & à dęmonibus. Fortia uerba Christianissimæ puellæ: Occide, incende, bestijs obijce, interficere poteris, à Christi charitate separare non poteris. Et iterum: Mihi deus meus adiutor est, minas tuas non metuo. Signaculo crucis in fide magna facto, perrupit omnia aduersa uirgo prudentissima. Calcauit aspidem & basiliscum uirtute inuocati Christi amatoris. Tot triumphis æditis confirmandæ pariter & coornandæ religioni, ferro truncata sanctam exhalauit animam. Tenellum corpus, in quo laniando spiculatorum

rum manus defatigatæ fuerãt, à Theotimo quodam Christiano in prędio matronæ cuiusdam Antiochensis piè humatum est, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui laus in sæcula.

S. MARIA MAGDALENA.



Ost dominus Pharisęa petens conuiuia cœnæ, *Ex Sedulio.*
Orantis dapibus sese impertiuit amici.
Tunc mulier, quam fama nocens, & plurima uitæ
Mordebant delicta suæ clementia supplex
Corruit amplectens uestigia, quæq; profusis
Irrigat incumbens lachrymis, & crine soluto
Nec tergere sacras, nec cessat lambere plantas,
Vnguento fragrante fouens, sententia donec
Læta dei, quem ferre manum non pœnitet unquam,
Si nos pœniteat ueterem quæsisse ruinam:
Vade, fides mulier tua te saluauit ab omni,
Dixisset quodcunq; malo gessisse uideris.
Vtere pace mea. Magna est medicina fateri
Quod nocet abscondi. Quoniam sua uulnera nutrit,
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti.
En polluta diu, modicum purgata recessit
Per gemitum, proprijsq; lauans se gurgite fletus,
Munda suis lachrymis redit, & detersa capillis.

DE S. MARIA MAGDALENA,
ex Francisco Petrarcha.



Ecit idem Maria post peccatum. Non enim in populis longum conspici, aut habitare in palatijs elegit: sed patriam fugiens, in has terras uelut in orbem alterum delata, perseueranter latuit hîc in finem, & pro domo habuit nudã & concauam illam rupem, quam uidisse te arbitror: neq; enim procul hinc abest, & locus est sacro quodam horrore uenerabilis, ac uisitari de longinquo etiam non indignus, ubi & sæpe me fuisse, & tres olim noctes, totidemq; dies, non sine uoluptate alia, q̃ quę in urbibus capi solet, exegisse memini. Illic dulcis ac fœlix Christi hospita non ornantium seruitio puellarum, sed obsequentium ministerio angelorum uiuens, ac moriens usa est. At nihil tale fecit Martha soror, dicat aliquis, & tamen sancta est. Non inficior id quidem: sed certè multò sanctior Maria, quæ id fecit. Hæc Petrarcha, qui & plurimũ deuotus huic sanctissimæ fuerat: in cuius honorem & carmina quædam sepulchro ipsius fecit appendi, quæ iam subscribere haud indignum duximus. Sic enim incipiunt:

Dulcis

DVlcis amica Dei, lachrymis inflectere nostris,
Atque meas intende preces, nostræque saluti
Consule, nanque potes: neque enim tibi tangere frustra
Permissum, gemituque pedes perfundere sacros,
Et nitidis siccare comis: ferre oscula plantis,
Inque caput domini preciosos spargere odores,
Nec tibi congressus primos à morte resurgens,
Et uoces audire suas, & membra uidere,
Immortale decus, lumenque habitura per æuum,
Nequicquam dedit ætherei rex Christus Olympi.
Viderat ille cruci hærentem, nec dira pauentem
Iudaicæ tormenta manus, turbæque furentis
Iurgia, & insultus, æquantes uerbera linguas:
Sed mœstam, intrepidamque simul, digitisque cruentos
Tractantem clauos, implentem uulnera fletu:
Pectora tundentem uiolentis candida pugnis:
Vellentem flauos manibus sine more capillos.
Viderat hæc, inquam, dum pectora fida suorum
Diffugerent pellente metu, memor ergo reuisit
Te primam ante alios, tibi se prius obtulit uni:
Te quoque digressus terris, & ad astra reuersus,
Bis tria lustra cibi nunquam mortalis egentem
Rupe sub hac aluit: tam longo tempore solis
Diuinis contenta epulis, & rore salubri.
Hæc domus antra tibi stillantibus humida saxis
Horrifico tenebrosa situ, tecta aurea regum,
Delitias omnes, ac ditia uicerat arua.
Hic inclusa libens longis uestita capillis,
Veste carens alia ter denos passa decembres
Diceris, hic non fracta gelu, nec uicta pauore,
Nanque famem, frigus, durum quoque saxa cubile,
Dulcia fecit amor, spesque alto pectore fixa.
Hic hominum non uisa oculis, stipata cateruis
Angelicis, septemque die subuecta per horas,
Cœlestes audire choros, alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

S. IACOBVS APOSTOLVS.



Vsebius de hoc Zebedei filio Iacobo reliquit hæc in literis: In illo autem tempore (sine dubio tempus, quod sub Claudio fuit, cum fames erat, designat.) immisit, inquit, Herodes rex

rex manus suas affligere aliquos de Ecclesia, & interfecit Iacobum fratrē Ioannis gladio. De hoc autem Iacobo Clemens Alexandrinus etiam historiam quandam dignam memoria, in septimo dispositionum suarū libro, scribit, perlatam usq; ad se ex traditione maiorum: Quoniam quidem, inquit, & is, qui obtulerat eum ad martyrium, Iacobum scilicet, motus etiam ipse confessus est, se esse Christianum. Ducti sunt, inquit, ambo pariter ad supplicium: & cum ducerentur, in uia rogauit Iacobū, dare sibi remissionem. At ille parumper deliberans: Pax tibi, inquit: & osculatus est eum. Et ita ambo simul capite plexi sunt, lib. ij. cap. ix.

Diuus Hieronymus in uiris suis sic scribit de hoc apostolo: Iacobus Zebedęi filius, duodecim tribubus, quæ erant in dispersione, omnibus prædicauit Euangeliū domini nostri Iesu Christi. Interfectus est autem gladio ab Herode tetrarcha Iudæorū. Apud Theodoretum cap. vij. legimus de miraculis Iacobi episcopi Antiochiæ in Mygdonia, quā uocant Syri & Assyrij Nisibin, &c̄.

VITA S. CHRISTOPHORI.

DIcitur de genere Cananęorum ortus, cuius statura fuerit xij. cubitorum. Venit gentilis adhuc in ciuitatem Samon, tempore Dagni regis, sed diuinitus conuersus, multam hominū turbam conuertit ad fidem Iesu Christi, quem constanter prædicauit, credulumq; populum frequenter tinxit: duxit ad pœnitentiam par meretricum, Niceam & Aquilinam, quas cum nonnullis aulicis Dagnus è uiuis sustulit. Christophorus post multas uerborum cum rege pugnas de deo uiuo contra uanos deos, &c̄. exquisitis tormentis cruciatus, tandem capite truncatus est. De transitione per mare, & alia quæ pinguntur, nullam syllabam legi. Ex Ruggero Fuld.

ANNA MARIÆ MATER.

ANna diu uanos secum plorauerat usus
Connubij, sterilemq; thorum, tristemq; Hymenæum:
Propterea duplicesq; manus, frontemq; supinam
Attollens, humili superos ita uoce precata est:
Numina, quæ regitis cœlos, quæ uoluitis astra:
Vos penes est genus omne boni: uos omnia rerum
Semina seruatis: geminum telluris inane est,
Et sine fruge solum, nisi sumat ab æthere uires,
Siue per astrorum cursus, radiosq; calentes:
Siue dei solo (qui temperat omnia) nutu.
Venimus ad canos, frigescentemq; senectam,
Et nostræ sine prole dies abiere iuuentæ:
Longa infœlicis thalami consortia fine

Claudimus infausto: uir pluribus exulat annis,
Conspectus hominum fugiens: domus orba magistro
Fluctuat, amisso ceu nauis in æquore clauo.
Currimus in fatum, tacitisq́ recedimus annis:
Mortuaq́ ætatis pars est iam maxima nostræ:
Pallida præteriti spacium mors occupat æui:
Quod superest expectat hyans, iam plena meorum
Terra cadaueribus, consanguineosq́ sepulchra
Vix capiunt, soli steriles seruamur in omne
Dedecus, & certè breuis est fœlicior æui
Conditio. Primo deus indulsisse parenti
Creditur, & fragili bene consuluisse senectæ,
Cum uetuit primos iterum decerpere fructus,
Et fruges gestare, quibus produceret annos.
Nam quod longa dies homini, nisi longa dolorum
Colluuies, longi patientia carceris ætas
Longior, est cursus uitæ labyrinthus: in ipsum
Ex utero ingredimur, per limina mortis abimus
Iam capulo instamus: nec est qui lumina claudat,
Ossaue componat tumulo, tepidisq́ sepulchrum
Fletibus irroret: nobiscum it tota sub umbras
Progenies: nec erit nostris qui marmora signet
Nominibus: deserta domus tabescet, & istas
Longæui sudoris opes, quas legimus ambo
Pluribus obsequijs, hæres ignotus habebit,
Nobiscumq́ cadent nostri monumenta laboris.
Cernite communes amborum numina curas,
Et seruate genus: cernant se in stirpe parentes,
Et sua natorum uideant in uultibus ora.
Sint qui nos facie referant, gestuq́ nepotes.
Progeniemq́ suam nostro de nomine dicant.
Sint qui nos proauos numerent, & stemmata longo
Limite deducant, iterataq́ nomina ponant.
Pignora longæuæ concedite numina matri,
Quæ celebres ad uestra ferant altaria cultus.
Pinguibus & priscum donis imitentur Abelem.
Sæpius à uobis hoc exorasse precando
Antiquas est fama nurus, & supplice uoto
Collapsum genus atq; domos seruasse cadentes.
Sic alacer Samson, sic & formosus Ioseph,
Sic puer Isacus satus est, & filius Annæ,
Qui primum liquido regem perfudit oliuo.

Talibus

Talibus orabat sterilis, gemituq; sonoro
Crebra dabat longos inter suspiria planctus.
Audijt omnipotens, animumq; in uota precesq;
Flexit, & infuso caluerunt uiscera foetu,
Coepit & humanos paulatim sumere uultus
Semen, & in nostram sensim transire figuram.

ANNA MATER MARIÆ.

Ex Erasmo Roterod.

SAlue parens sanctissima,
Sacro beata coniuge,
Sacratiore filia,
Nepote sacratissimo.
Domo quid hac illustrius?
Ornatius'ue? Quæ altera
Tam multiplex habuit decus?
Tantum una monstrorum tulit?
Hic hic maritũ annis grauem
Effoeta anus facit patrem.
Est uirgo foeta filia,
Nepos dei uerbum, ac Deus.
Gener pudicus se negat
Partus parentem uxorij,
At integram iurat, necq;
Riuale pallet suspicax.
Ergo Anna mater optima,
Cumulatius multo tuas
Lachrymas deus solatus est,
Quàm uel Rebeccæ, uel Saræ,
Vel illius, quæ te refert
Et rebus, & uocabulo,
Quæ dum silenter anxij
Proferret æstus pectoris,
Visa est Heli multo mero
Amens, parumq; sobria.
At te pio cum coniuge
Amore prolis annua
Templis ferentem munera
Procax sacerdos reppulit,
Heus, inquit, hinc mihi ocyus
Prophana uota tollite.
Ipsi simul procul procul
Aris sacris absistite,
Vestran' deo donaria
Futura grata creditis?
Quorum pudendæ nuptiæ,
Præter libidinem nihil,
Luxum & senilem scilicet,
Tanto tulere tempore?
Quo se locorum uerterent,
Vultus pudentûm coniugum,
Repulsa quos tam foeda, tam
Insignis exanimauerat?
Ioachim pudorem non ferens
Gregum ad frugum pascua
Se proripit, tristis suam
Recepit Anna se domum.
Largis uterq; fletibus,
Votisq; pertinacibus
Orare non cessat deum,
Vt probé probrum tolleret.
Coelum penetrarunt preces,
Adest ab astris angelus,
Qui prole promissa, graues
Luctus iuberet ponere.
Surgunt alacres, inuicem
Narrare uisa gestiunt,
Porta maritus aurea
Sequitur autem coniugem.
Offendit hic lætus stupor,
Dulces utriq; lachrymas
Excussit, hinc modicos lares
Iunctis reuisunt gressibus.
Haud uana uox oraculi,
Lusit piam senum fidem,
Bis luna nata quinquies
Anum uidet puerperam.
Tanto quidem foelicius,
Foecunda quanto serius

Fit Anna filiæ parens,
Nec filiæ cuiuslibet,
Sed filiæ, quæ fertilis,
Eademq́ue uirgo gigneret
At quem beata gigneret?
Summi parentis filium,
Qui sceptra terræ & ætheris
Cum patre habet communia,
Qui deus & idem homo, necis
Autore uicto per necem,
Vitam reduxit mortuis,
Aperuit in cœlos iter.
O terq́ue quaterq́ue, & amplius
Parens beata, nam potes,
Iuua preces mortalium,
Tuo uacantûm cultui,
Nam te patrona
Speramus assequi, modo
Voles, uoletq́ue & filia.
Nec huic petenti pusio
Negare quicquam nouerit.
Amat parentem filius.
Neq́ue filio negat pater,
Amans & ipse filium.

AMEN.

VITA CAROLI MAGNI, RELIGIOSI CÆSARIS.

Ex Plutarcho.



Arolo Francorũ regi, cui postea ex magnitudine rerum gestarum Magno fuit cognomen, patrẽ fuisse tradunt Pipinũ regẽ, qui primus in Francos (sicuti quidam scriptores memoriæ prodidêre) liberam dominandi potestatẽ habuit: cum superiores Francorum reges angustis conditionibus septi, ea lege uiuerent, ut magis nomine & inani titulo, quàm dignitate regia potirentur. Nam opes ac potentia regni, & omnium rerum administratio ad præfectos regiæ domus (sic enim eos uocitabant) communi consensu deferebatur. Hi domi militiæq́ue summam potestatẽ habentes, populos pro suo arbitratu regebant, de omnibus controuersijs decernebant, præmia pœnasq́ue constituebant. Quibus fiebat, posthabitis regibus, ij soli essent qui in summo honore haberentur: hunc uero magistratum, qui apud Francos amplissimus habebatur, consequi non poterant, nisi præcipua nobilitate uiri, & qui regibus essent necessitudine, aut propinquitate coniuncti. Pipinus igitur hac dignitate, quam ueluti hæreditariam à patribus suis acceperat, multis annis egregie functus, maximam sibi apud omnis generis homines tum famã, tum beneuolentiam cõparauit: quibus postea factum est, ut cum Franci ac Rom. Pontifex Hildericum regem à dominatione ueluti inutilem semouissent, hunc potissimum deligendum putarent, cui communi sententia regnum decernerent. Sic igitur Pipinus autoritate Pontificis & Francorum decreto plena dominandi potestate suscepta, reliquam deinde uitam publicis pariter ac priuatis rebus egregiam duxit. Regnauit annos quindecim, cuilibet superiorũ regum belli pacisq́ue artibus & gloria par. Huic successêre superstites filij duo, Carolus, & Carolomannus, æque regno inter se partito. Sed nõ multo pòst defuncto Carolomanno, Franci eam regni partẽ quam ille possederat, Carolo fratri detulerunt: Cuius uitam et mores, & res egregie gestas

ftas literis mandare constitui, ut memoriam tanti uiri, tamq́ præclarè de nostra patria meriti, quantum ego possem, ab obliuione hominum atq́ à silentio uindicarem. Primum igitur (ut à rebus gestis narratio nostra exordium sumat) satis exploratū habemus, Carolum regem extemplo post Pipini obitum aduersus Aquitanos bellum gessisse. Aquitania pars Galliç est, quç antiquorū descriptione, à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & ad eam partem Oceani, quç ad Hispaniam pertinet, spectat, inter occasum solis & septentrionē. Hanc prouinciam Pipinus superato Vaifario duce, post longum bellum ditioni suæ penè subiecerat. Deinde Pipino Vaifarioq́ sub unum propè tempus defunctis, Hunuldus uir potens, ex eorum morte (ut plerunq́ fit) occasionem nactus, bellum quod antea penè cōfectum uidebatur, renouauerat, iamq́ ferè Aquitaniam totam ad defectionem compulerat. Carolus uero ubi hæc quæ in Aquitania gerebantur, cognouit, nullam moram interponendam ratus, ingenti celeritate exercitu comparato, obuiam Hunuldo progreditur. Primo aduentu conatus illius facile reprimuntur, nec multo postea commisso prælio, Carolus hostem superat, exercitum fundit, fusum persequitur, nec prius uictoriæ modum imponit, quàm Hunuldum ex omni Aquitania pulsum, in proximam regionē, quam nunc Vasconiam uocant, compelleret. Lupus, qui huic prouinciæ dominabatur, propinqui ac familiaris uiri misericordia motus, Hunuldum ad se fugientem comiter hopitaliterq́ accepit. Euenire enim solet, ut principum afflictæ fortunæ facile eorum opes ad misericordiam alliciant, qui sunt in simili dignitate ac potentia constituti. Verum Carolus cum non minorem uictoriam in capiendo hoste, quàm in subigenda Aquitania collocatam putaret, traiecto Garumna flumine, ac exercitu propius admoto, legatos ad Lupum misit, qui dicerent, ut nisi Hunuldum hominem infestum nomini Francorum q́ primum ad se adduxerit, se eum hostis loco habiturum. Lupus his mandatis uehementer commotus, ac ueritus, ne potentissimū regem totamq́ belli molem, quam sustinere non potuisset, in se unum conuerteret, salutare sibi ac gratum Carolo consilium cepit. Nulla enim interposita mora, Hunuldum simul & seipsum unà cum prouincia Caroli potestati permisit. Sic igitur Carolus in Aquitania compositis rebus belloq́ citius omnium opinione confecto, cū uictore exercitu in regnū reuertitur. Post Aquitanicum bellum Hadrianus Ro. ecclesiæ pontifex à Desiderio Longobardorum rege uehementius, q́ uires suæ paterentur, oppressus, quum proprijs præsidijs Ecclesiæ statum tueri non posset, oratores ad Carolum misit, qui multis precibus eum rogarent, ut Ro. ecclesiæ in summo periculo constitutæ opem & auxilium ferret, ac Pipini patris, Caroliq́ Martelli, qui olim in Italia aduersus hanc nationem egregie pugnauerant, memoriam renouaret. Carolum multæ res hortabantur, quare pontificis defensionem su-

ſcipiendam,& Longobardorum audaciæ quacunq; ratione occurrendum putaret. In primis quod nō ignorabat,caput Christianæ fidei rem Romanam esse, eiq; tam graui bello laboranti non ſubuenire, turpe ſimul ac periculoſum esse cenſebat. Indignabatur pręterea,quod barbarę gentes tandiu in Italia regnarent, & à maioribus ſuis ſæpe prælijs uictæ nondum contineri poſſent, quin pontificibus Romanis contra ius fasq; ultro bellū inferrent. Quare his rebus,anteq; ulterius augerentur Longobardorū uires, quamprimū occurrendū ratus, legatos ad Deſideriū mittit,qui eum hortentur,ut finem iniurijs faciat,ab armisq; diſcedat,ac omnia oppida,quæ aut ui occupata eſſent, aut ſponte ad eum defeciſſent,pontifici Rom. reſtituat. Hæc ſi fecerit,ſibi perpetuam gratiam atq; amicitiam cum eo fore polliceātur: Sin uero, quod facturus uidebatur, mandata neglexerit, ei ſuo nomine bellum indicant. Dum legati proficiſcuntur, interim Carolus non ſegnius, q̄ ſi hoſtes in Gallia eſſent, exercitum parat, nullam proficiſcendi moram facturus, ſi Deſiderium regem perſeuerare in bello cognouerit. Hęc expeditio per omnem Galliam uulgata adeò grata cunctis Francorum populis erat,ut iam palàm uociferaretur,maturandum in Italiam eſſe,toties à ſe uictam Longobardorum gentem uires reſumere, conditiones acceptas negligere, ſemper bella ex bellis ſerere, itaq; nunq; quieturam, niſi eorum nomen penitus deleatur. Sic igitur omnium animis in expectationem belli erectis,legati à Deſiderio redeunt, nunciantes omnia ibi hoſtilia eſſe, regem maius quàm ante bellum moliri: & quantum coniectura aſſequi poſſunt,nunquam iniurijs finem facturum,niſi cum ſibi uires & arma ad inferendam iniuriam deſint. Carolus his rebus uehementer cōmotus,maturandū ſibi exiſtimauis, ne antè Rom. pontifex opprimeretur,q̄ ei ferre ſubſidiū poſſet. Itaq; re frumentaria, cæteriſq; ad bellum neceſſarijs q̄ celerrime potuit comparatis, magnis itineribus in Italiam contendit. Sed multa huic ſuæ feſtinationi aduerſabantur,montiū altitudo,locorum anguſtię & penè inuij ſaltus,per quos miles onuſtus armis,& impedimenta exercitus ducenda erant. Accedebat,quod Alpium iuga præſidijs hoſtium tenebantur. Miſerat enim Deſiderius,qui occupatis oportunis locis, quantū poſſent Francorum tranſitum prohiberent. Hęc cum ita eſſent, Carolus tamen non ignarus, res præclaras, labores maximos, maxima quoq; pericula ſequi, ſuos hortatur, ut quoad locorum anguſtiæ patiantur,ſeruatis ordinibus ire ad hoſtem pergant. Appropinquanti Alpium iugis, nunciatum eſt,hoſtes relictis anguſtijs ſe in planum recepiſſe,ſeu metu perterritos, ſeu quia tutius faciliusq; eſſe arbitrentur, deſcendenti ab Alpibus Carolo cum omnibus copijs confeſtim occurrere. Vix ad Deſiderium perlatum erat, Francorum exercitum poſt paucos dies in Italia fore,cum Carolus ſuperatis iam Alpibus,in agrum Taurinum deſcendit,ubi primum Hannibalem Carthaginenſem alpes trans-
greſſum

gressum cum omnibus copijs constitisse tradunt. Eo in loco Carolus paucis diebus refecto milite, cum per exploratores præmissos certior factus esset, Desiderium regem prope Vercellas castra habere, ac ibi cum ingenti exercitu aduentum expectare, nihil ultra differendum ratus, ex Taurinis mouit, atque continuatis castris in agrum Vercellensem peruenit. Erat Carolus uirtute militum & rei militaris peritia longe superior, multitudine ac numero hominum à Desiderio uincebatur. Cum propè in conspectu exercitus essent, facta utrinque potestate pugnandi, prælium cõmisere. In ea pugna superati Longobardi in fugam uertũtur, magna parte suorum amissa. Desiderius postquam suos passim fusos fugatosque conspexit, citato gradu Papiam, quæ caput regni erat, tum paucis militibus petit. Nec segnius Carolus, priusquam se hostes ex terrore fugáque reciperent, regem persequutus, in agrum Ticinium exercitum ducit, extemplóque omnibus copijs ad mœnia regiæ urbis admotis, tentat si primo impetu capi posset. Vbi id parum processit, consilijsque ab oppugnanda urbe ad obsidendã uersis, sub ipsis mœnibus castra locat, subsidiáque firma ne qua eruptio fieri possit, portis apponit. Cęterum cum satis constaret Desiderium regem priusquam deditionem faceret, paratũ esse etiam ultima experiri, Carolus parte copiarũ ad obsidionem relicta, ipse cum reliquo exercitu ad transpadanos contendit. Ibi ciuitates permultæ audita fama uirtutum suarum, rebúsque prospere gestis, certatim ad eum deficiunt. Sed quod in primis ei gratissimum fuit, filij Carolomani, qui extemplo post mortem patris malo consilio temeritatem matris sequuti, ad Desiderium regem perfugerant, sponte in sua castra uenerunt, ac se suáque omnia potestati Caroli permiserunt: à quo benigne excepti, magnóque affecti honore, etiam in posterum filiorum loco habiti sunt. Post hæc Carolum quum studio salutandi Pontificem, tum desiderio uisendi celeberrimum beati Petri templum, Romam profectum, ac incredibili honore ab Hadriano susceptum, post paucos dies ad obsidionem redijsse comperio. Erat obsidio uehemens, & frumenti cum summa caritate inopia, sedendóque expugnaturos se urbem spem Franci habebãt. Oppidani contrario insessis omnibus uijs per quas cõmeatus ex proximis locis subuehebantur, diffidebant inopiam diutius ferre posse, rem tamen quantum poterant producebant, beneuolentia alij, alij metu Desiderij regis compulsi. Postremo spe quoque non solum cibo deficiente, cum famem ulterius tolerare non possent, sexto mense quam obsideri sunt cœpti, deditionem faciunt. Capitur Desiderius unà cum uxore ac liberis, quem ultimum Longobardorum regum in Italia regnasse tradunt. Tunc enim summo beneficio Caroli Italia se primum erexit, quæ antea diutius quam uictricem omnium gentium prouinciam decuit, Barbarorum immanitate oppressa iacuerat. Nam post sedem Romani imperij Byzantium translatam, Gotthi primi barbarorum, diuersis deinde tempo
ribus

tribus Hunni, Vandali, Heruli, postremi omnium Longobardi, ueluti in uacuam possessionem ruentes Italiam inuasere. Eam gentem tradit fama ab oceano Germaniæq; ultimis oris, unde illis haud dubie origo fuit, nouas quærentem sedes in proximas regiones transisse, ac Vandalos, Herulos, Gepidas, aliasq; finitimas gentes, Ibore et Aione ducibus, sæpe bello superasse, mutatisq; frequenter sedibus, tandem intra Pannonias constitisse. Inde Albuinus eorum rex, accersitus ab Narsete eunucho (ut quidam memoriæ prodidêre) cum præter Longobardorum multitudinem uiginti quandoq; Saxonum millia spe optimarū sedium exciuisset, profectus ingentibus peditum equitumq; copijs in Italiam uenit, breuiq; Vicentiam, Veronam, Mediolanum, ac omnis penè citerioris Galliæ urbes partim peste, partim Gotthorū cladibus exinanitas, ad deditionem compulit. Papia uero cum tres annos obsidionem tulisset, tandem & ipsa fama domita, Barbarorum imperio cessit. Nec ambigitur, quin idem rex paucis annis totam Italiam subegisset, ita omnia apud Italos perdita erant, nisi sexto supra triennium mense postq; Italiam ingressus est, apud Veronam interijsset, dolo uxoris Rosemundæ necatus. Huic successit Dephon insignis nobilitate uir, Albuino nequaquam uirtute par, sed crudelitate ac immanitate naturæ longe superior. Eo quoque intra biennium uita functo, Longobardi decem deinde sequentibus annis nullum sibi regem creauêre, siue superbia proximi regis huic generi dominationis infensi, siue gubernationem suorum ducum utiliorem rati, qui iam per omnem Italiam uagantes ita impigre bellum gerebant, ut nunq; eo tempore sit regia desiderata potestas. Sub his ducibus adeò creuêre Longobardorum opes, ut Hetruria, Flaminia, Piceno, Samnio, alijsq; regionibus subactis, omnem Italiam à Brundusio Tarentoq; usq; ad Alpes tenerent, præter urbem Romam, quā constat in huius gentis potestatē nullo unquam tempore deuenisse. Finito decennio, reditum est rursus ad pristinam cōsuetudinem creandi reges, seruatumq; deinde per omne tempus usq; ad Desiderium, qui ultimus Longobardorum regum in Italia fuit. Quo debellato (ut supra memorauimus) Carolus Magnus grauem eius gentis dominatum quarto & ducentesimo anno quam regnare inceperant, à ceruicibus Italorum dimouit, ac omnes ciuitates quę ad Desiderium proximo bello defecerant, recuperatas Pontifici Ro. restituit: Beneuentanum quoq; ac Spoletanum agrum adiecit. Quibus meritis Hadrianus pontifex, cum nullum maius grati animi indicium posset ostendere, conuocato frequenti Episcoporum cœtu, eximioq; celebrato concilio, multis ac maximis priuilegijs eum ornauit. Carolus confecto Longobardorū bello, potentissimo rege capto, cum alia quoque magni ponderis animo moliretur, nullam moram interponendam putauit, quin in Galliam confestim rediret. Saxonicum quippe intermissum bellum eum domū reuocabat,

quod

quod eo biennio anteꝗ̃ Carolus ad liberandum Romanũ pontificem in Italiam ueniret, & inceptũ simul, & à præfectis eius per id tempus leniter administratum comperio. Quo magis adducor ut uirtutem uiri ac animi magnitudinem admirandam putem, quod posthabitis ferocissimis hostib. relictoꝗ̃ domestico bello, rem suam neglexerit, ut Italiã ecclesiamꝗ̃ Romanã, qua omniũ Christianorũ salus continebat, ab immanitate barbarorũ liberaret. Saxonũ gens longe maxima erat, ac etiam bellicosissima penè Germanorum omnium. Hi falsos colentes deos, cum neꝗ̃ diuini neꝗ̃ humani iuris quicꝗ̃ pensi haberent, nihil æque, ac religionẽ nostram hominesꝗ̃ ei deditos oderant. Proximi erant Francis, cum quibus continenter bella gerebant. Sæpe prælijs uicti conditiones acceperant, obsides dederant: sed nondũ apud Francos erat inuentus, qui domita penitus eorum perfidia, plenissimã esset uictoriam consequutus. Hæc palma cum Carolo Magno quasi diuino numine reseruata uideretur, nõ solum cõsilio principes, sed passim omnes clamorib. agunt, ut aduersus perpetuos Francorum hostes totis uiribus arma sumantur. Carolus uero tempus uenisse ratus, in quo non modo Barbarorum hominum audaciam frangere, sed etiam eorum regnum, quod multo antè animo agitauerat, funditus euertere possit: ingentem exercitum parat, diem dicit, qua die prope ripam fluminis Rheni omnes conueniant. Nuncꝗ̃ aliàs maiori alacritate contentioneꝗ̃ animorum suscepta à Francis expeditio est. Hinc odium gentis, hinc spes bene gerendæ rei animum excitat. Sed supra omnia, studium auget præsentia regis, cuius ductu auspicioꝗ̃ non modo Saxonum gentem, sed etiam orbem terrarum, si uelit, superare se posse credebant.

DE S. MARTHA.


BEthaniꝗ̃ꝗ̃ solum repetens intrarat, ibiꝗ̃ *Ex Sedulio.*
Lazarus occidua tumulatus sorte iacebat
Iam quarto sine luce die, claususꝗ̃ sepulchri
Marmore, corruptum tabo exhalabat odorem.
Flebant germanæ, flebat populatio præsens,
Flebat & omnipotens, sed corpore, non deitate,
Exanimesꝗ̃ artus illa pro parte dolebat,
Qua moriturus erat, lachrymis implebat amicum,
Maiestate deum. Quid credere Martha moraris?
Quid'ue Maria gemis? Christum dubitatis an unũ
Possit ab infernis hominem reuocare cauernis,
Qui dabit innumeras post funera surgere turmas?
Ergo ubi clamantis Domini sonuit tuba dicens:
Lazare perge foras, magno concussa pauore

z Tartara

Tartara dissiliunt, Herebi patuêre recessus,
Extremuit letale Chaos, mortisq; profundæ
Lex perit, atq; anima proprias repetente medullas,
Cernitur ante oculos uiuens astare cadauer,
Postq; sepulchralem tanquam recreatus honorem,
Ipse sibi moriens & posthumus extat, & hæres.

Ex Romano breuiario.



Artha Christi hospita, Mariæ & Lazari soror, post Christi ascensum ad patrem à Iudæis, in persequutione Christianorũ cum fratre & sorore, & Marcilla pedissequa, & item Marimino, à quo tota domus fuerat baptizata, comprehenditur. Et hi omnes cum aliis compluribus Christianis in naui quadam imponuntur. Quæ nauis uelis, remis, clauoq; spoliata, mari cõmittitur, ut *omnes sancti* naufragio perirent. Cæterum deo gubernante, Massiliam incolumis applicuit. Quo miraculo, & dictorum sanctorum prædicatione Massilienses primum, deinde uicini populi ad fidẽ Christi conuersi sunt. Martha igitur cum Massiliæ omnium in se animos propter eximiam sanctitatem conuertisset, cum multis honestissimis mulieribus in monasterio, quod ipsa curauit ędificandum, sanctissime uixit, mortemq; obiit *multo* ante à se præcognitã, & miraculis illustratam, quarto Calend. Augusti.

VINCVLA PETRI.

Ex Aratore.



Lauditur obscuro, sed non sine lumine, Petrus
Carcere, nec possunt tenebræ caligine furua
Ecclesiæ cælare diem. commune per omnes
Supplicium timor ille facit. custodia Petri
Publica pœna fuit: proprium sed pastor ouile
Seruato custode regit, quem ditat honore
Ter dominum confessus amor, de nomine petræ
Nomen Petrus habens, æterna uocabula portat,
Fundamenta gerens, nunquam passura ruinas.
Expectate tuis, cunctoq; in tempore charus,
Et nobis iam Petre ueni, simul omnibus exi,
Quos stimulat nunc cura prior. iam nocte profunda
Angelus astra ferens ergastula candidus intrat
Se comitante die. cœli ueniente ministro
Carceris umbra fugit, pulsæ periêre tenebrę
Lucifero radiante nouo. color exulat ater,
Et mutata uident nocturna crepuscula solem,
Custodum uallante manu. inter uincula Petro
Corpore somnus erat; sed cum uigilaret in illo,

Quæ

Quæ nescit dormire, fides. hoc cantica clamant,
Dormio corde uigil, læti documenta figuræ
Discite, qui liquido meruistis fonte renasci,
Et quæ forma manet sacrato in corpore Petri,
Cernite corde pio, docet hanc uirtutis apertæ
Angelus ipse uiam, tangens, latus impulit, in qua
Ecclesiæ stat parte caput, qua nuncius ortam
Nouerat, inde leuat, lateri subnexuit arcæ
Hostia sancta Noë clausis animalibus, hinc est
Diluuio uastante salus. producitur Eua
Dormitante uiro lateris generata propago
Nomen habens uitæ, si nunquam culpa fuisset
Sic mansura magis. Christus post mysticus Adam
Dignatus dare membra cruci, atq; in carne perempta
Morte premi, qua uita redit noua dona liquoris
Per lateris sacrauit iter. nunc angelus illa
Petrum parte uocat, mens credat ut omnis in ipso
Ecclesiæ constare decus, teneatq; superno
Assertore fidem. quo calciamenta mouente
Hi meruēre pedes, tetigit quos dextra magistri,
Quę totum mundauit aquis. gradientibus illis
Conclusæ cessēre fores. putat omnia somno
Ludificante geri, cui præmia uera parauit
Maiestas ignara doli. iam ferrea claustris
Porta patet, rigidi laxant sua uincula postes,
Gentibus abscindens duræ feritatis acumen.
Aspera cuncta domat, ne ianua fixa uetaret
Orbis iter, quo cursus erit. dic gloria rerum,
Ferrea quid mirum, si cedunt hostia Petro?
Quem deus æthereæ custodem deputat aulæ,
Ecclesiæq; suæ faciens retinere cacumen
Infernum superare iubet, mox liber ab hoste
Diuinum celebrauit opus, quem prima puella
A' tenebris remeare probat. quia gratia Christi
Rem dedit esse parem uisus adit ipse resurgens
Fœmineos. loquitur redeuntis gloria carnis
Ad sexum, quem mater habet, patet hinc quoq; uatē
Ecclesiam sensisse suum. quæ gaudia portet
In cunctum diffusa gregem. quis talia fando
Explicet, aut uerbis attollat pondera rerum?
Maximus ille pauor gelidos qui strinxerat artus,
Lætitiæ mensura fuit. manet omne per æuum

Pignoris huius apex. & syderis obtinet instar
Corpore, quod Petrus sacrauit, & andelus ore,
His solidata fides, his est tibi Roma cathenis
Perpetuata salus. Harum circundata nexu,
Libera semper eris. quid enim non uincula pręstant,
Quæ tetigit, qui cuncta potest absoluere: cuius
Hæc inuicta manu uel religiosa triumpho
Mœnia nonnullo penitus quatiuntur ab hoste
Claudit iter bellis, qui portam pandit in astris.

STEPHANVS I.

Ex Platina.



Tephanus natione Romanus, patre Iulio. Cum iam de imperio Romano actum uideretur, pontifex eligitur, eo potissimum tempore, quo Posthumus in Gallia tyrannidem occupat, cum maximo reipub. emolumento. Nam annis decem ingenti moderatione usus, pulsis hostibus, prouinciam in pristinam formam redegit. Huic deinde militari tumultu apud Maguntiacũ interfecto, Victorinus successit, uir quidem in re militari strenuus: sed dum nimiæ libidinis esset, & aliena matrimonia corrumperet, Agrippinæ occiditur. Stephanus aũt ad ordinandam ecclesiam conuersus, instituit, ne sacerdotes & leuitæ uestibus sacris alibi, q̃ in ecclesia, & peragendis sacris uterentur: ne si secus facerent, pœnam Balthassar regis Babylonis subirent, qui uasa sacra prophanis manibus attigerat. De rebaptizandis aũt his, qui ad fidem rediissent, eadẽ sensit quę Cornelius pontifex: neq; ullo modo his recõmunicandum esse, qui rebaptizarent. Vnde Dionysius, qui antea hac de re cum Carthaginẽsibus & orientalibus senserat, mutata sententia, ad Stephanum scribens, eum bono esse animo iubet, cum ecclesię tam Asianæ q̃ Aphricanæ mutata opinione in sententiam Romanę sedis iam uenissent. Iuuit & ecclesiam Dei illa tempestate Malchion eloquentissimus Antiochenæ ecclesiæ presbyter. Hic enim contra Paulum Samosatenum episcopum Antiochenum scripsit, q dogma Artemonis instaurare conaretur, affirmantis Christum cõmunis naturæ hominem tantummodo fuisse, nec semper fuisse, sed à Maria sumpsisse principium. Quæ opinio postea in Antiocheno Concilio omnium consensu improbata est. Hac autem de re id idem Malchion grandem epistolam nomine synodi ad Christifideles scripsit. Stephanus autem cum opere & uerbis multos gentiles ad fidem Christi conuertisset, conquisitus à Gallieno, ut quidam uolunt: uel ab his, qui ex Deciano edicto Christianos persequebantur, unà cum plerisq; suorum ad martyrium rapitur. Capite enim mulctatus in Calisti cœmiterio uia Appia sepelitur, quarto Nonas Augusti, cum iam ex ordinibus sacris bis mense Decembri

propo-

propositis, presbyteros sex, diaconos quinque, episcopos tres creasset. Sedit annis septem, mensibus quinque, diebus duobus.

SIXTUS II.


Ixtus secundus natione Græcus, patria Atheniensis, ex philosopho Christi discipulus factus est, durante adhuc Deciana & Valeriana persecutione. Sed non erit à re nostra alienum, reliquos tyrannos, ut cœpimus, sparsim scribere, quoad uerum principem attigerimus. Nam Victorino in Gallia interempto, Tetricus senator, qui tum Aquitaniã gubernabat, absens à militibus imperator creatur. At uero dum hæc in Gallia agerentur, per Odenatum Persæ uicti, defensa Syria, Mesopotamia usque ad Ctesiphontẽ recepta est. Eaque tempestate exorta doctrina est apud Ptolemaidem, quæ olim Barce uocabatur, Pentapoleos ciuitatem plena blasphemijs in deum patrem, & in Christum, quẽ summi dei filium esse negabat, primogenitumque omnis creaturæ, simul etiã spiritussancti intellectum auferebant. Hi Sabelliani à Sabellio autore tam peruersæ sectæ inuentore uocati sunt. Quid dicã de spurcissimo Cherinti dogmate? Qui post mille annos futuram anastasim, & regnum Christi in terris dicebat: unde Chiliostos à Gręcis uocatus est. Is autem quia libidinum & cupiditatum impatiens erat, uoluptates ipsas in promissionibus futuri regni sanctis proponebat, abundantiam ciborum, & mulierũ copiam. Idem sentiebat & Nepos in partibus Ægypti episcopus. In delitijs enim corporis & uoluptatibus omnibus regnaturos in terra sanctos cum Christo dicebat. Hinc Nepotiani tam turpis sectæ imitatores uocati sunt. Confutare & extinguere has opiniones Sixtus aliquando meditabatur: uerum accusatus, quod Christi fidem contra imperatorum decreta prædicaret, captus ad Martis templum ducitur, ut aut Marti sacrificet: aut si id facere noluerit, pœnam capitis subeat. Euntem ad supplicium, Laurentius archidiaconus ita alloquitur: Quo (inquit) progrederis sine filio pater? Quo sacerdos optime sine ministro properas? Cui Sixtus: Ego te non desero fili, maiora tibi pro fide Christi supersunt certamina: post triduum me sequeris sacerdotem leuita. Interim aũt si quid in thesauris habes, id pauperibus distribue. Eodem uerò die unà cum Sixto diaconi sex interficiuntur, Felicissimus, Agapitus, Ianuarius, Magnus, Innocentius, Stephanus, sexto Idus Augusti: Laurentius uerò triduo pòst unà cum Claudio subdiacono, & Seuero presbytero, & Crescentio Lectore, & Romano ostiario uarijs cruciatibus necatur, quarto Idus Augusti. Exustum igni Laurentiũ ferunt. Vincentius uerò, quem Sixti discipulum fuisse constat, in Hispaniam profectus, huic martyrio interesse non potuit. Sixtus aũt in pontificatu suo sacrorum ordinum potestatem bis fecit mense Decembri,

Ex Platina.

unde & presbyteros quatuor, diaconos septem, episcopos duos creauit. Sixti corpus in cœmiterio Calisti uia Appia sepelitur. Reliqui uerò martyres iacent in cœmiterio Prætextati in agro Veranio uia Tyburtina. Sedit aũt Sixtus annos duos, menses decem, dies tres & uiginti.

PASSIO SANCTÆ AFRÆ MATRIS'QVE eius Hilariæ, & puellarum eius.



Apud prouinciam Regenas in ciuitate Augusta, cum Christianorũ esset gloriosa persecutio, & omnes pro Christi nomine uarijs supplicijs afflicti, ad sacrificia traherent, contigit Afram quam notã habebat facies publica, quòd esset lupanaria, à persequutoribus cõprehendi. Quæ cũ fuisset iudici oblata, & interrogasset & agnouisset iudex, quę esset, dixit ei: Sacrifica dijs, quia expedit tibi uiuere, quàm inter tormenta deficere. Afra respondit: Sufficiunt peccata mea mihi, quę ignorans Deum gessi: Hoc autem quod me iubes facere, nunquam factura sum. Gaius iudex dixit: Accedens ad Capitoliũ sacrifica. Afra respõdit: Capitolium meum Christus est, quem habeo ante oculos meos: ipsi quotidie crimina mea & peccata mea confiteor: & quia non sum digna ei sacrificium offerre, ipsa ego pro nomine eius cupio sacrificari, ut corpus in quo peccaui, dum pœnas passum fuerit, abluatur. Iudex Gaius dixit: Sicut audio meretrix es, sacrifica, quia aliena es à Deo Christianorum. Afra respondit: Dominus noster Iesus Christus dixit se pro peccatoribus descendisse de cœlo: Nam & Euangeliũ eius loquitur, quòd meretrix rigauerit pedes eius lachrymis, & indulgentiã acceperit: et meretrices & publicanos nunquam despexit, quin imò etiam secum eos manducare permisit. Iudex Gaius dixit: Sacrifica, ut diligaris ab amatoribus tuis, & sicut semper dilecta es, habearis, & inferantur tibi pecuniæ multæ ab eis. Afra respondit: Pecunias execrabiles iam nunquam accipio: Nam & quas habui, expendi, quia non fuerunt de bona conscientia: nam nolentes accipere aliquantos fratres meos pauperes, etiã precibus exoraui, ut à me dignarentur accipere, & pro peccatis meis exorare. Si ergo quæ habui à me proieci, quomodo potest fieri, ut quęram accipere quæ iam quasi sordes abieci? Iudex dixit: Iam te Christus dignam non habet, sine causa uis eum deum tuum dicere, qui te suam non esse cognoscit: Meretrix enim quæ est, dici non potest Christiana. Afra respondit: Equidẽ Christiana nec dici mereor, nec uocari: sed misericordia, quę nõ de merito, sed sua pietate iudicat, ipsa me ad hoc nomen admisit. Gaius dixit: Vnde nosti, quia te admisit ad hoc nomen? Afra respondit: In hoc me cognosco à facie Dei nõ esse proiectam, quia ad gloriosam confessionem nominis sancti permittitur accedere mihi, per quam me credo omnium meorum scelerum indulgentiam accepturam. Iudex Gaius dixit

dixit: Hoc fabulę sunt, magis sacrifica dijs, per quos salutē consequaris. Afra respondit: Salus mea Christus est, qui pendēs in cruce latroni confitenti bona paradisi repromisit. Iudex Gaius dixit: Sacrifica dijs, ne te in conspectu amatorū tuorū qui tecum turpiter uixerunt catomis cędi iubeam. Afra dixit: Confusio nulla est mihi nisi de peccatis meis. Iudex dixit: Porrò iamiam sacrifica, quoniā iniuria est mihi tot horis tecū loqui, certe si nolueris, occideris. Afra dixit: Hoc est quod opto, si tamen merear per hanc confessionem digna effici requiem inuenire. Iudex Gaius dixit: Sacrifica, nam torqueri te faciam, & pòst uiuam incendi. Afra respondit: Corpus meū quod peccauit accipiat diuersa tormēta, animam meam sacrificijs dæmoniorum non conquinabo. Tunc Iudex nequissimus dictauit sententiam, dicens: Afram publicam meretricem, quæ se Christianam professa est, & si noluit sacrificijs participari, uiuam præcipimus incendi: statimq́ rapta à ministris ducta est in insulam fluuij qui dicitur Licus, ibiq́ eam spoliantes ad stipidem ligauerunt. At illa eleuans occulos ad cœlum orabat cum lachrymis, dicens: Domine Deus omnipotens Iesu Christe qui non iustos uenisti uocare, sed peccatores ad pœnitentiam: cuius promissio uera & manifesta est, qui dignatus es dicere: Qua hora conuersus fuerit peccator in suis iniquitatibus, eadem hora non te memoraturū peccatum eius, accipe hac hora passionis meæ pœnitentiam, & per hunc ignem temporalem, qui corpori meo paratus est, ab illo igne æterno me libera, qui & animā simul & corpus exurit. Et his dictis expleta circundata sarmentis igne subposito uox audiatur, dicens: Gratias ago tibi Domine Iesu Christe, qui me dignatus es hostiam haberi pro nomine tuo, qui pro toto mundo solus hostia oblatus es in cruce, iustus pro iniustis, bonus pro malis, benedictus pro maledictis, dulcis pro amaris, mundus à peccato pro peccatoribus uniuersis: tibi offero sacrificiū meum, qui cum patre tuo & spiritu sancto uiuis & regnas in sæcula sęculorum, Amen. Et hęc dicens emisit spiritum. Stabant autem iuxta ripam fluminis, Digna & Eunomia & Eutropia, quæ fuerunt ancillæ eius, & simul fuerant in peccato, simulq́ à sancto Narcisso Episcopo baptizatæ, quæ descendentes de barca ut eas ibi trasmitterent. Cumq́ eas transtulissent, inuenerunt Afræ corpus integrum. Puer autem qui cum ipsis erat transnatauit, & nunciauit matri eius. Et uenit in nocte cum sacerdotibus Dei, & tulit corpus eius & posuit illud in secundo miliario à ciuitate Augusta in memoriā quam sibi suisq́ construxerat. Nunciatum est autem iudici Gaio, & misit ibi ad ipsam memoriam, dicens: Ite & tenete eas, & si consenserint uobis ad sacrificandum, cum honore eas ad me reducite, ut remunerē illas censu dignissimo. Si uero uideritis eas animo pertinaci obsistere, & nulla ratione ad sacrificandum præbere consensum, implete memoriā gremijs, & claudite super eas ipsam memoriam, & ita demum ignem supponite,

& nulla

& nulla ex his euadat uiua. Euntes autem milites prius blando sermone eas prouocabant. At ubi uiderunt omnes simul contemnere sacrificia, repleuerunt memoriam sarmentis & feno & siccis spinis, & clauserunt super eas, & supposito igne abierũt. Sic factum est, ut in eodem die quo sepulta est Afra, simul etiam mater eius Hilaria & famulæ eius secundum carnem, sed iam sorores in Christo, Digna, Eunomia & Eutropia simul martyrij coronam acciperent, & quæ simul conuersæ fuerant à diabolo simul nuanimes ad Christum Iesum, cui crediderunt, cum palma martyrij peruenirent: qui regnat cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen. Eodem die passi sunt etiam non longe ab urbe Roma Cyriacus, Largus, Smaragdus, Memnia, Iulia, & multi alij pro nomine Christi decollati sunt.

PASSIO S. CYRIACI ET SOciorum eius.



Empore, quo Maximianus Augustus rediens à partibus Aphricæ ad urbẽ Romam, uolens placere Diocletiano Augusto ut in nomine eius thermas soli ędificaret, cœpit inuidia Christianorum omnes milites, siue Romanos, ad afflictionem laboris compellere, & per uaria loca alios ad lapides, alios ad harenam fodiendam damnauit. In ipso tempore erat uir Christianus nomine Trason, uir potens & facultatibus locuples, & uita fidelis. Hic cum uidisset affligi Christianos ad fatigationem & laborem, cœpit de sua facultate sanctis martyribus alimoniam & uictum ministrare per uiros Christianos, Sisinnium, Griacum, Smaragdum, & Largum. Hoc audiens beatus Marcellus urbis Romæ episcopus, gaudio repletus est magno de eleemosyna, quam Traso sanctis ministrabat, & rogans ad se uenire sanctos uiros Christianos, & seruos domini nostri Iesu Christi, Cyriacum, Sisinnium, Smaragdum, & Largum: inquisiuit ab eis, & notum fecerũt ei, quomodo Trason sanctis dei uictualia ministrabat. Tunc gaudio repletus, ducens consilium, consecrauit Cyriacum & Sisinnium diaconos ecclesiæ Romanę. Factum est, ut una nocte, dum deferrent humeris suis uictum, quẽ Trason ministrabat, tenti sunt à militibus paganis, & perducti sunt ad tribunum Expurium, suscipiens eos tribunus, retrudit in custodiam publicam. Post diem tertium nunciauit Maximiano Augusto. Hoc cum audisset Maximianus, iussit ut cum custodia ipsi foderent harenam, & humeris suis portarent usq; ad locum, ubi thermæ ædificabãtur. Erat uir senex inter eos, nomine Saturninus, qui iam in senectute maceratus fuerat, hunc cœperũt ad portandum adiuuare. Hoc cum uidissent custodes fieri, quia Sisinnius & Cyriacus diacones & suas sarcinas & alienas cum adiutorio Christi portarent, mirati sunt, & nunciauerunt tribuno Expurio: tunc tribunus nunciauit Maximiano Augusto, dicens:

dicens, q̄ cum hymnis & laudibus dei, et omni ueneratione Christo gloriā redderent. Eodem tempore misit Maximianus Augustus, & iussit, sibi Sisinnium præsentari. Cui cum præsentatus fuisset, dixit ad eum Maximianus: Quis uocaris? Respondit: Ego peccator Sisinnius seruus seruorum domini nostri Iesu Christi. Maximianus Augustus dixit: Quæ carmina sunt uobis? Respondit Sisinnius diaconus, dicens: Si cognosceres quæ sunt carmina fideliū, scires utiq; creatorē tuum. Respondit Maximianus Augustus: Et quis est creator, nō inuictus Hercules? Respondit Sisinnius diaconus: Nobis turpe est uel nominare uel audire eum. Maximianus dixit: Vnum ex duob. tibi eligere festina: aut sacrifica deo Herculi, aut carnes tuas igni cremabo. Sisinnius diaconus dixit: Et ego quidem semper optaui: ueruntamen si meritus fuerim, ut coronā desideratam accipiam. Iratus Maximianus Augustus, tradidit eum Lauditio præfecto. Tunc Lauditius præfectus retrudit eum in custodiā Mamurtini, & fuit ibi in custodia diebus decem & octo. His diebus transactis, iussit Lauditius præfectus aspectibus suis Sisinnium præsentari. Qui cū præsentatus fuisset ab Aproniano Cōmentariense, subito lux de cœlo facta est, & uox de luce exijt, dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnū, quod uobis paratū est à constitutione mundi. Tunc Apronianus tremefactus, cecidit ad pedes Sisinnij diaconi dicens ei: Adiuro te per Christum, quem confiteris, ne tardes me baptizare, & facias me tecum pertingere ad coronam. Eadem hora allata est aqua, & catechizauit eum, & benedixit frontem, & deposuit eum nudum in peluim, & dixit ei: Credis in Deum patrem, & filium, & spiritumsanctum? Et ille respondit: Credo. Et dixit Sisinnus diaconns: Illuminet te Christus. Et eleuauit eum de pelui, & deduxit eum ad sanctū Marcellum episcopū, quē chrismate consecrauit, & altare consecrauit, & participati sunt omnes corpus et sanguinē domini nostri Iesu Christi. Eodem die post meridiem iussit sibi Lauditius præsentari Sisinnium diaconum: ueniens cum Sisinnio diacono Apronianus Cōmentariensis iam baptizatus, cœpit clamās dicere: Quid uos coartat diabolus, in dei seruos tanta mala exercere? Tunc præfectus dixit ad Aproniană Cōmentariensem: Quomodo te uideo & tu Christianus effectus es. Respondit Apronianus: Vę mihi infelici, quia perdidi dies meos. Respondit præfectus: Verè modo perdes dies tuos: & iussit eum capitalem sententiam subire, dicens: Si hic extinctus non fueris, multi peribunt. Eodem tempore ductus in uia Salaria miliario secundo, capite truncatus est, sub die quarto Nonarū Februarium. Tunc iussit retrudi in custodia senem Saturninum, & Sisinnium diaconum, dicens: Si non immolauerint dijs diuersis, eos pœnis interficiam. Tunc Saturninus senex cum esset in custodia unà cum Sisinnio diacono, ueniebant ad eos multi gentiles, & baptizabantur cum omni fiducia. Audiens hoc Lauditius præfectus, iussit sibi tribunal prę-

parari in urbe. Et post dies xlij. misit & exhibuit Saturninum & Sisinnium diaconum, et uincti cathenis adducti sunt nudis pedibus in cõspectu Lauditij præfecti. Quibus dixit Lauditius: Quid est? Deposuistis uanam superstitionẽ, & adoratis deos, quos imperatores adorant? Respondit Sisinnius diaconus: Nos peccatores adoramus dominũ Iesum Christum Dei filium: nam dęmonibus & lapidibus nunquam humiliamur. Lauditius dixit: Deferatur Tripoda, & thurificent maiestatibus. Saturninus dixit: Conterat dominus deos gentium. Et continuo soluta est tripoda ærea, uelut lutũ. Tunc uidentes duo milites, Papias & Maurus, cœperunt clamare & dicere: Verè Deus est & dominus Iesus Christus, quem colunt Sisinnius et Saturninus. Iratus itaq; Lauditius, iussit eos in eculeo leuari. Et cum traherentur neruis fustibus et scorpionibus cæsi sunt. Illi aũt clamabant dicentes: Gloria tibi domine Iesu Christe, quia meruimus socij fieri seruorum tuorũ. Tunc Papias & Maurus clamabant dicentes: Vt quid uos coartat diabolus, in seruos Dei ista exercere? Iratus Lauditius, iussit, ut cum lapidibus os eorum contunderetur, & retrudi in carcerem: Saturnino uerò et Sisinnio flammas ad latera poni. Illi aũt pendentes in eculeo uultu alacri gratias deo agebant. Eodem die dedit eis capitalem subire sententiã. Et depositi de eculeo, ducti sunt uia Numentana miliario secundo, & capite sunt truncati. Eorum corpora collegit Trason cum Ioanne presbytero, & sepeliuit in prędio suo uia Salaria, sub die quarto Calendarũ Decembrium. Tunc dixit Lauditius ad Papiam & Maurum: Nunc cognoui, q & uos Christiani sitis. Papias dixit: Verè Christiani. Dicit ad eos Landitius: Deponite & absoluite uanam fallaciam, & adorate deos, quos principes adorant. Respondit Maurus, & dixit: Adorent eos, qui desperauerũt de animabus suis, ut in ęternum pereant. Lauditius præfectus dixit: Modo uos desperatis de animabus uestris, si non sacrificaueritis dijs immortalibus: audite, & facite, & uiuite. Respondit Papias: Sacrifica tu, & uiues in tormentis æternalibus. Tunc iussit eos sterni in terram, & fustibus cedi. Et dum diu cederentur, nulla uox ex eis audita est, nisi tantum: Christe adiuua nos seruos tuos. Tunc iussit eos leuari de terra, & plumbatis cædi, Et dum diu cederentur, emiserunt spiritum. Quorum corpora collegit noctu Ioannes presbyter, et sepeliuit in uia Numentana, sub die quarto Calendarum Februariũ, ad nimphas beati Petri, ubi baptizabat. Post multos dies narrauit omnia præfectus Lauditius Augustis Diocletiano & Maximiano de militibus et de sanctis, quos interfecerat. Et gauisi sunt Diocletianus et Maximianus Augusti. Post paucos dies nunciatũ est Diocletiano Augusto, q filia eius Arthemia à dæmonio uexaretur, unde grandi afflictione contristatus est, & pręsenti die noluit comedere cibũ. Et dum multo tempore in custodia esset beatus Cyriacus & iam de eo obliuio esset facta, multi Christiani pergebant ad eum in custodiam,

diam,& ceci illuminabantur, & infirmi salui fiebant à languoribus suis. Cœpit autem urgeri Arthemia filia Diocletiani à dæmonio. Hoc cum nunciatum fuisset Diocletiano Augusto,intrauit ad eam in cubiculum, & ecce ipse dæmon cœpit clamare per Arthemiam præsente Diocletiano,dicens: Nisi uenerit Cyriacus diaconus, non exeo. Misit Diocletianus ad eum in custodiam, ubi erat clausus & constrictus cum Largo & Smaragdo,& exijt de custodia.Et cum præsentatus fuisset Diocletiano Augusto,cœpit rogare eum,ut intraret ad filiã eius. Et dum introijsset ad eam Cyriacus, dixit: In nomine domini nostri Iesu Christi præcipio tibi,ut exeas ab ea.Dæmon respondit per os Arthemiæ: Si uis,ut exeã, da mihi uas,ubi ingrediar. Dicit ei Cyriacus:Si potes, ecce corpus meũ ingredere.Respondit diabolus per os Arthemiæ:In uas tuũ nõ possum introire, quia undiq; clausum & signatum est.Dicit ei Cyriacus: In nomine domini nostri Iesu Christi exi, ut fiat uas mundũ, ad superueniendum spirituisancto.Et dixit ad Arthemiam:Filia crede in deum patrem omnipotentem,& in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum.Tunc dæmon exclamauit, dicens: O Cyriace, si hinc me eijcis, in Persidam te faciam uenire.Dicit ei Cyriacus: In nomine domini nostri Iesu Christi exi. Tunc clamauit dæmon per os Arthemiæ: Per ipsum, inquiens,nomen exeo,quia uideo de longe dominum,quem tu prædicas Cyriace.Tunc tenens manum eius beatus Largus & Smaragdus leuauerunt eam. Alia autem die secundum consuetudinem catechizauit eam,& allata aqua,benedixit sanctus Cyriacus,& baptizauit eam præsente matre sua Serena augusta. Ab eodem die dicebat Serena filiæ suę, ut fideliter amaret religionem Christianam.Post menses uerò decem & duos annos explicata fabrica thermarum,cum gloria cœpit Diocletianus Augustus habere Cyriacum diaconum bene,& donauit illi domũ, & hoc præcepit, ut securus uiueret in urbe Roma, faciente hoc Serena Augusta uxore Diocletiani. Post paucum uerò tempus uenit legatio à rege Persarum ad Diocletianum Augustum, ut Cyriacum diaconũ ad se dirigeret,quia filia eius à dęmonio uexaretur.Tunc Diocletianus Augustus uidens tantam supplicationem regis Saporis Persarum, præcepit Serenæ uxori suæ, & rogauit ad se uenire Cyriacum diaconũ. Cum uenisset Cyriacus ad Serenam Augustam,dixit ei Augusta legationem Saporis regis Persarum, sicut dixerat ei Diocletianus Augustus maritus suus. Tunc dixit Cyriacus diaconus: Cum auxilio domini mei Iesu Christi saluatoris uadam securus. Eodem tempore Serena Augusta Christianissima dedit omne uehiculum & necessaria, quæ opus fuerant in naui,& cum Largo & Smaragdo perrexit usq; ad Persidam partem Cyriacus. Milites uero cum uehiculis ibant. Beatus autẽ Cyriacus cum baculo suo prius perueniebat ad mansionem,usque dum perueniret ad regem Persarum,nomine Saporem. Et cum præsentati fuissent Cyria-

cus diaconus,& Largus,& Smaragdus,dixit ad eos rex:Quis ex uobis dicitur Cyriacus diaconus? Et cognouit quis esset Cyriacus diaconus. Tunc rex Sapor adorauit sanctum Cyriacum,rogans ut introiret in cubiculum ad filiam eius nomine Iobiam.Eadem hora exclamauit diabolus ex ore puellæ, & dixit ad Cyriacum : Quid est Cyriace? Respondit Cyriacus:In nomine domini mei Iesu Christi præcipio tibi immūde spiritus exi, et iam non reuertaris ad eam.Respondit diabolus:Fatigatus es? Cyriacus respondit:Ego exiui in nomine domini mei Iesu Christi,cuius auxilio gubernatus sum,& gubernor, non fatigatus sum,sed confortatus.Dicit ei diabolus:Tamen ego te perduxi ad quod uolui. Cyriacus diaconus cum uidisset puellam fatigari, proiecit se in pauimentū, orans & flens dicens : Imperat tibi dominus meus Iesus Christus, quem confessus es,ut exeas.Respondit diabolus:Da mihi uas,ubi ingrediar. Sanctus Cyriacus diaconus dixit : Dominus Iesus Christus Deus de Deo, ipse tibi imperat,ut exeas. Tunc ululatu magno & clamore exspumans clamauit in aëre ipse diabolus,dicens : O nomen terribile,quod me coartat exire. Ab eadem hora salua facta est Iobia. Tunc beatus Cyriacus dixit ei: Crede in filium dei, & semper sana eris. Respondit Iobia : Ego credo in dominum Iesum Christum, quem prædicas. Et fecit eam catechumenā more solito,& catechizauit eam. Et allata aqua deposuit eam nudam in concham argenteam,& benedixit aquam,et dixit ei:Iobia credis in patrem, & filium, & spiritumsanctum? Respondit Iobia: Credo. Et dixit ei,Carnis resurrectionem?Et respondit:Credo.Et leuata à concha, cœpit dicere Iobia : Vere dominus Iesus Christus, quem prædicat beatus Cyriacus,ipse est Deus. Eadem hora omnes adfines eius baptizati sunt,& ipse rex baptizatus est,& alij promiscui sexus numero quadringenti uiginti baptizati sunt. Eodem tempore multa dona & pecunias obtulit rex beato Cyriaco. Cui sanctus Cyriacus dixit : Nos graciam Domini nostri Iesu Christi precio non offerimus , sed fide æstimamus. Et nihil accepit, sed tantum pane & aqua cum Largo & Smaragdo usus est. Post dies quadraginta duos ascendens nauim cum commendationibus Epistolarum reuersus est Romam. Quem cum grandi honore suscepit Diocletianus Augustus cum uxore & filia sua,& cœpit habitare cū Largo & Smaragdo in domo,quam ei donauerat Diocletianus,iuxta thermas Diocletianas. Post menses duos ambulauit Diocletianus Augustus ad Dalmatias, ibiq; egritudine fatigatus, fecit testamentum, cohæredes faciens filios suos,& mortuus est. Hoc audiens Maximianus filius eius Augustus, præcepit,ut ubicunq; Christiani inuenti fuissent,punirentur,& zelo ductus propter sororem suam Arthemiā, misit & tenuit Cyriacum diaconum & misit eum in custodiam,& hoc pęrcepit,ut in die processionis suæ ad exemplum Christianorum Cyriacus nudus catenis obligatus ante redam suam traheretur.

tur. Vnō autem tempore ueniens in die processionis suæ Marcellus Episcopus, obtulit se Maximiano Augusto, dicens ei: Pietati tuæ suggero seruos Dei, qui orant pro regno tuo, quare trucidas? Tunc iratus Maximianus Augustus præcepit, ut cum fustibus cederētur, & iussit Carpasio uicario, dicens: Audi Carpasi, Cyriacum sacrilegum, qui carminibus magicis & incantationibus suadet hominibus Christum confiteri, diuersis pœnis afflige, si non libamina dijs obtulerit. Eodem tempore Carpasius uicarius mittens ad custodiam adduxit Cyriacum diaconum, Largum & Smaragdum, & Crescentianum, & iussit eos inter lude præsentari. Quibus dixit: Quare non obauditis præceptis principum, ut offeratis libamina dijs immortalibus? Respondit Cyriacus cū Largo, Smaragdo & Crescentiano: Nos ipsos domino Iesu Christo offerimus. Carpasius uicarius dixit: Facite quod uobis iubetur: Senecta tua alba facta est Cyriace, sed modo eam iuuenem facio. Et iussit picem reliquari, & cum reliquata fuisset pix, præcepit ut in capite beati Cyriaci diaconi funderetur. Cœpitq́ clamare beatus Cyriacus diaconus & dicere: Gloria tibi Domine, qui nos seruos tuos dignatus es portas regni cœlestis intrare. Dicitq́ alijs Carpasius: Sacrificabitis, aut peribitis sicut perfidus Cyriacus. Dixerunt: Nos peccatores Domino Iesu Christo nosipsos sacrificium offerimus. Tunc Carpasius uicarius adduxit in conspectu suo eculeum, & iussit suspendi Crescentianum & fustibus cedi in conspectu Cyriaci, Largi & Smaragdi. Cumq́ diu adtraheretur neruis & fustibus cederetur, & unguibus raderetur, uoce magna clamabat, dicens: Gloria tibi Domine Iesu Christe, qui nos ad gratiam tuam uocare dignatus es. Carpasius dixit: Date flammas ad latera eius. Et cum diu incendio constrictus ureretur, emisit spiritum. Cuius corpus iussit iactari ante cliuum Vrsi in platea ante templū palatij. Ipsa nocte uenit Ioannes presbyter & collegit corpus eius, & sepeliuit in cœmiterio Priscillæ in arenario uia Salaria sub die octaua calendarum Decemb. Post mortem Crescentiani retrudit in custodiam, Cyriacum, Largum & Smaragdum. Post dies quatuor resedit in eodem loco inter lude, & præcepit sibi præsentari Cyriacum diaconum, cui sic dixit: Quare dies senectutis tuæ cum tormentis deducis ad inferos? Respondit Cyriacus diaconus: Ego semper hoc optaui. Dicit ei Carpasius: Sacrifica dijs immortalibus & uiues. Cyriacus respondit: Sacrificent eis, qui non cognouerunt Dominum Iesum Christum creatorem suum. Tunc iussit eum in catasta extendi & attrahi neruis, & fustibus cedi. Cyriacus autem clamabat dicēs: Miserere mihi peccatori Domine Iesu Christe. Eodem die nunciauit Carpasius uicarius Maximiano Augusto omnia quæ exercuerat in sanctos Dei. Tunc iratus Maximianus Augustus, iussit omnes uinctos qui erant in custodia una cum Cyriaco capite truncari. Et data sententia ducti sunt cum Cyriaco diacono promiscui sexus numero uiginti, & decol

lati sunt uia Salaria intra thermas Salustij foris muros. Quorū corpora collegit noctu Ioannes presbyter, & sepeliuit illos in eadem uia. Sanctum uero Cyriacum collegit & cōmendauit sub die xvij. cal. Aprilis. Ipso tempore Maximianus interfecit sororem suam Arthemiam. Post dies octo ueniens beatus Marcellus Episcopus cum Lucina matrona Christianissima, cōdiuit corpora sanctorum cum aromatibus & linteaminibus, & imposuit nocte in Pauone cū eunuchis suis, & sustulit, ubi commendati fuerant, translata sunt corpora cum sancto Cyriaco in prędium eius uia Ostiensi, miliario ab urbe Roma septimo, ubi requiescūt in lapideis sarcofagis, quos manu sua recondiuit beata Lucina, in pace, septimo die mensis Augusti. Eodem tempore beata Lucina fecit donationem de facultatibus suis omnibus ecclesijs. Hoc audiens Maximianus Augustus, proscriptione eam damnauit. Beata autem Lucina rogauit Secundum Marcellum Episcopū, ut domum eius ecclesiam consecraret: quod cum omni deuotione fecit beatus Marcellus Episcopus. Ac ubi frequenter in eadem domo Missas celebrasset in media ciuitate uia lata: Audiens hoc Maximianus Augustus iratus misit in eandem ecclesiā, & fecit præceptione sua, ut in eadem ecclesia plancæ exsternerentur ad animalia stabuli publici, & eundem Marcellum Episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica, ubi etiam post multos annos seruiēdo emisit spiritum sub die xvij. cal. Februarij. Cuius corpus rapuit Ioannes presbyter nocte cum beata Lucina, & condiuit eum aromatibus, & sepeliuit in cœmiterio Priscillæ uia Salaria, nō longe ab urbe Roma, miliario tertio, & requieuit in pace. Eodem tempore præcepit Maximianus Augustus ad se uenire Carpasiū uicarium, & interrogauit eum de discussione & nece sanctorū. Et dum uidisset placatū sibi Maximianū, petijt ab eo domū beati Cyriaci sui: confestim donauit domū beati Cyriaci diaconi. Et dum introisset in eandem domum, quā donauerat beato Cyriaco diacono Diocletianus augustus, inuenit locū ubi sanctus Cyriacus fontē ædificauit, quē cōsecrauit sanctus Marcellus Episcopus, ubi frequenter baptizabat sanctus Cyriacus uenientes ad fidē. Tunc Carpasius uicarius paganus crudelissimus ingressus est in eandem domū, dum introisset & inuenisset baptisteriū, fecit in eodem loco balneū, quasi ad deridendam legem Christianam, ubi frequenter lupanaribus & scenicis lauacra exhibebat, turpi lucro gaudens in loco sanctificato. Et dum frequēter ista fierent, & epulæ cum sceleratis quadam die dum lauassent & exhiberent epulas, exeunte Carpasio de balneo cum multis sceleratis, decem & nouem cum Carpasio uicario subito ceciderunt, & mortui sunt. Ab eodē die clauserunt balneū, & factus est timor magnus in eadem religione usq; in hodiernū diem: Deo gratias. Sanctorū uero corpora sunt sepulta, hoc est, Cyriaci, Largi & Smaragdi, Crescentiani, Memmiæ & Iulianę, uia Ostiensi, miliario ab urbe Roma plus

minus

minus octauo, ubi orationes eorum floret, nunc & semper, & quousque iste mundus steterit, regnante Domino nostro Iesu Christo: cui est honor & gloria in saecula saeculorum, Amen.

S. LAVRENTIVS MARTYR.

Diuus Augustinus sup. Ioanne tract. xxvij. Sed quid est quod ait: Qui manet in me, & ego in illo, quid nisi quod martyres audiebant: Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit? Quomodo mansit in illo S. Laurentius, cuius hodie festum celebramus? Mansit usque ad tentationem: Mansit usque ad tyrannicam interrogationem: Mansit usque ad acerrimam comminationem: Mansit usque ad peremptionem: Parum est, usque ad immanem excrutiationem mansit. Non occisus est cito, sed cruciatus est in igne. Diu uiuere permissus est, imò non uiuere permissus est, sed tarde mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quae bene manducauerat & biberat: tanquam illa esca saginatus, et illo calice inebriatus, tormenta non sensit. Ibi enim erat, qui dixit: Spiritus est, qui uiuificat: Caro enim ardebat, sed spiritus animum uegetabat. Non cessit, sed in regnum successit. Dixerat autem illi Syxtus martyr sanctus, cuius diem quinto ab hinc retro die celebrauimus: Noli moerere fili. Episcopus enim erat ille, iste diaconus: Noli moerere, inquit, sequeris me post triduum. Triduum autem dixit medium inter diem passionis S. Syxti & diem hodiernum passionis S. Laurentij: Triduum est medium. O solatium. Non ait, Noli moerere fili, desinet persecutio, & saluus eris, sed noli moerere, quò ego praecedo, tu sequeris: Nec consecutio tua differtur, Triduum medium erit, & mecum eris. Accepit oraculum, uicit diabolum, peruenit ad triumphum. Haec S. August. Maximus Taurensis de S. Laurentio sanè multa scripsit, & eadem digna lectu, quae animus erat in hoc quoque uolumen inserere, nisi ueriti fuissemus prolixitatis taedio lectorem affectum iri. Quę uerò D. Ambrosius de S. Laurentio commemorat, non potui non subnectere: Huic muneri proficere debuit aurum Redemptoris, ut redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, uerumetiam diuinae operationis impressisse uirtutem redemptionis munere. Tale aurum S. martyr Laurentius Domino reseruauit, à quo cum quaereretur thesauri Ecclesiae, promisit se demonstraturum. Sequenti die pauperes adduxit: Interrogatus, ubi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiae. Et uere thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait: Habemus thesaurum istum in uasis fictilibus. Quos meliores thesauros habet Christus, quàm eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est; Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Et

infra:

infrà: Quod enim uni eorum fecistis, mihi fecistis. Quos meliores Iesus habet thesauros, quam eos in quibus amat uideri? Hos thesauros demonstrauit Laurentius, & uicit, quod eos nec persecutor potuit auferre. Itaque Ioachim qui aurum in obsidione seruabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ, & aurum uidit diripi, & se in captiuitatem deduci. Laurentius qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quàm persecutori reseruare, pro singulari suæ interprætationis uiuacitate, sacram martyrij accepit coronam. Nunquid dictum est sancto Laurẽtio: Non debuisti erogare thesauros ecclesiæ: uasa sacramentorum uendere? In quos usus uasa ecclesiæ sint dispertienda, uel qualiter, quibus ex causis, tactum opus est, ut quis fide syncera & perspicaci prouidentia munus hoc impleat, &c. Hæc S. Ambrosi. Officio. lib. ij. cap. xxviij. His adiunge si libet, Christiani poetæ Prudentij de S. Laurentio luculentissi. poëma ex suis Peristephanis.

IN BASILICAM S. LAVRENTII.

LAurenti merito flammis uitalibus uste
  Qui ferunente fide uictor ab igne redis,
Vir dilecte Deo terreno in corpore quondam
  Tunc quoque sydereus iam tibi sensus erat,
Qui potuisti oculos tactu reuocare sepultos
  Rursus & in uacua fronte referre diem
Luminis extinctas iterum accendisse lucernas,
  Credimus hæc signo te faciente crucis,
Addita nunc etiam populis miracula præstas,
  Vt fidei tribuas indubitanter opem
Dum tua templa nouant, breuiori robore plebes
  Creueruntque trabes, creuit & alma fides.
Stipite contracto tua se mercede tetendit
  Quantum parua prius postea cæsa fuit.
Crescere plus meruit succisa securibus arbor
  Et didicit sicca longior esse coma
Vnde recisa fuit populus fert inde salutem
  Si uenit intrepidus lumina cæcus habet.
Tu Leuita sacer pœna purgate fideli
  Vnde prius flammas hinc modo lumen habes
Visa temporibus uenerandi antistitis acta,
  Sed tamen æterno sunt memoranda die.

S. Celerinus

S. CELERINVS CVM socijs suis.



AGnoscenda et complectenda sunt, fratres dilectissimi, benefi-cia diuina, quibus ecclesiam suam dominus illustrare tempo-ribus nostris & honestare dignatus est, commeatum dando nobis confessoribus suis & martyribus gloriosis, ut qui sublimiter Christum confessi essent, clerum postmodum Christi ministerijs ecclesiasticis adornarent. Exultate itaq; & gaudete nobiscũ lectis literis nostris, quibus ego & collegæ mei qui præsentes aderant, referimus ad uos Celerinum fratrem nostrum uirtutibus pariter & moribus gloriosum clero nostro nõ humana suffragatione, sed diuina dignatione cõiunctũ, qui, cum consentire dubitaret, ecclesię ipsius admonitu & hortatu in uisione per noctem cõpulsus est ne negaret, nobis suadentibus, cui plus licuit, et coëgit, quia nec fas fuerat nec decebat sine honore ecclesiastico esse, quẽ sic dominus honorauerit cœlestis gloriæ dignitate. Hic ad temporis nostri prælium primus, hic inter Christi milites antesignanus, hic inter persecutionis initia feruentia cum ipso infestationis principe & autore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui aduersarium uincit, uincendi cæteris uiam fecit, non breui compendio uulnerum uictor, sed hęrentibus diu & permanentibus pœnis longę colluctationis miraculo triumphator. Per decem & nouem dies custodia carceris septus, in neruo ac ferro fuit. Sed posito in uinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit, sed animam fide & uirtute uiuentem nutrimentis spiritualibus Deus pauit. Iacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus maior, iacens stantibus celsior, uincientibus firmior uinctus, sublimior iudicantibus iudicatus. Et quamuis ligati ueruo pedes essens, calcatus serpens & obtritus & uictus est. Lucent in corpore glorioso clara uulnerum signa, eminent & apparent in membris longa tabe consumptis expressa uestigia. Sunt magna, sunt mira, quæ de uirtutibus eius ac laudibus fraternitas audiat. Et si aliquis Thomæ similis extiterit, qui minus auribus credat, nec oculorum fides deest, ut quisquis quod audit & uideat. In seruo Dei uictoriam gloria uulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit. Nec rudis iste aut nouus est in Celerino charissimo nostro titutulus gloriarum, per uestigia cognationis suæ graditur, parẽtibus, ac propinquis suis honore consimili diuinæ dignationis æquatur. Auia eius Celerina iam pridem martyrio coronata est. Item patruus eius & auunculus Laurentius & Ignatius in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed ueri & spirituales Dei milites, dum diabulum Christi professione prosternunt, palmas à domino & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebramus. Nec degener

Ex Cypriano.

ergo esse, nec minor poterat, quem sic domesticis exemplis uirtutis ac fidei prouocabat familiæ dignitas & generosa nobilitas. Quod si in familia seculari prædicationis & laudis est esse patricium, quanto maioris laudis & honoris est fieri in cœlesti prędicatione generosum? Non inuenio quem beatiorē magis dicam, utrum'ne illos de posteritate tam clara, an hunc de origine gloriosa. Ita æqualiter apud eos recurrit & commeat diuina dignatio, ut & illorum coronã dignitas sobolis illustret, & huius gloriam sublimitas generis illuminet. Hunc ad nos fratres dilectissimi cum tanta domini dignatione uenientem testimonio & miraculo eius ipsius, qui se persecutus fuerat illustrē, quid aliud quàm super pulpitum, id est, super tribunal ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, & plebi uniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcpta euangelij domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? uox dominum confessa in his quotidie, quę dominus locutus est, audiatur? Viderit an sit ulterior gradus ad quem proficisci in ecclesia possit. Nihil est in quo magis confessor fratribus prosit, quàm ut dum euangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur. Iungendus in oratione Aurelio fuerat, cum quo & diuini honoris societate coniunctus est, cum quo omnibus uirtutis & laudis insignibus copulatus est. Pares ambo & uterque consimiles. In quantum gloria sublimes, in tantum uerecundia humiles. Quantũ diuina dignatione promoti, tantum sua quiete & tranquillitate summissi, & uirtutum pariter & morum singulis exempla præbentes, et congressioni et paci congruentes. Illic robore, hic pudore laudabiles. In talibus seruis lętatur dominus. In eiusmodi confessoribus gloriatur, quorum secta conuersatio sic proficit ad præconium gloriæ, ut magisterium cæteris præbeat disciplinæ. Ad hoc eos Christus esse in ecclesia diu uoluit, ad hoc de media nocte subtractos, quadam dixerim resurrectione circa eos facta, incolumes reseruauit, ut dum nihil in honore sublimius, nihil in humilitate submissus à fratribus cernitur, hos eosdem fraternitas sectata comitetur. Hos tamen lectores interim custoditos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat, & gloriosos uultus in loco altiore constitui, ubi ab omni fraternitate circunstante conspecti incitamentum gloriæ uidentibus præbeant. Cæterum presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, ut & sportulis ijdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones mensuræ æquatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum prouectis et corroboratis annis suis, quamuis in nullo minor possit uideri ætatis indole, qui consummauit ætatem gloriæ dignitate.

ASSVMPTIO MARIÆ VIRGINIS.

Ex. Mantuano. IAmq; propinquabant cani, rugæq; uenustam
Crispabant faciem, formæq; inimica senectus

Venerat

Venerat:at pulchros ætas ne frangeret artus,
Lumina ne longo iam caligantia fletu
Induerent tenebras, fierentq; obnoxia nocti,
Tum niueam mentem domibus dissoluit opacis,
Et super iniecit tulerat quæ dona parenti:
At gelidum tepido iacuit sine sanguine corpus.
Splenduit æthereo mens immortalis amictu:
Cui superum mirata cohors arridet, & altis
Gaudia scintillant animis, dominamq; salutant.
Insonuêre poli, longeq; auditus ab alto
Concentus, mixtumq; melos, pars ocyus acta
Clarius & cantu late resonabat acuto,
Tarda ibat grauiore sono, qui sydera uoluunt
Nunc gelidum uersus Boream, pigrumq; Bootem:
Nunc Austros contra, cœliq; latentis ad axem
Cursibus assiduis orbes, qui lucida paruo
Circuitu uersant in summis orbibus astra.
Hi quoq; concordi uocum discrimine carmen
Immortale dabant: tellus, mare risit & aër.
Ipsa sinu matrem proles complexa per altos
Aëris ascendit tractus, iuxtaq; paternum
Ad læuam solium sublimi in sede locauit.
Interea missi strato imposuêre feretro
Solliciti exanimum corpus gremioq; dederunt
Vallis, ubi magnum mundi, & generale futurum est
Iudicium, et tali signarunt carmine marmor:
Parthenicæ diuum Dominæ, matriq; Tonantis.

Sanctus Dionysius Areopag. de diuinis nominibus ca. iij. de obitu Mariæ uirginis scripsit in hunc modum: Nam & apud ipsos diuino spiritu plenos pontifices nostros, cum & nos & pleriq; ex sanctis fratribus nostris ad contuendū corpus illud, quod authorem uitæ Deumq; ceperat, conuenissemus (aderat autem & frater Domini Iacobus & Petrus superum decus & antiquissimū Teologorū columen) ubi post contuitum placuit, ut infinite potentem diuinæ infirmitatis bonitatem pontifices laudarent omnes, quisq; pro captu suo, &c. Græci uocāt ζωάρχικον καὶ θεοδόχον corpus Mariæ. Nam in eo cōceptus, exq; eo corpore natus est Christus, uitæ princeps & Dei filius, Seruator noster unicus.

SERMO BEATI HIERONYMI DE ASsumptione uirginis gloriosæ.



Cogitis me, ô Paula & Eustochium, imò me charitas Christi compellit, qui uobis dudum tractatibus loqui consueueram, ut nouo loquendi genere sanctis, quæ uobiscum degunt, uirginibus, Latino utens eloquio, exhortationis gratia, sermonem faciam de Assumptione beatæ & gloriosæ semper uirginis Mariæ, more eorum, qui declamatorie in Ecclesijs solent loqui ad populum: quod utique docendi genus necdum attigeram. Sed quia negare nequeo, quicquid iniungitis, nimia uestra deuictus dilectione, experiar, quæ hortamini, auffectu infantium more balbutientium, qui quęcunque audierint, fari gestiunt, cum necdum possint ad plenum uerba formare: maxime quia propter simpliciores quosque id me depromere compellitis, ut habeant sermone Latino, quibus se occupent laudibus, eadem die quibusue diuinis uacent lectionibus, præsertim cum & eadem in multis festiuitatibus multorũ sanctorum patrum studia, miro cuderint eloquio, quæ de hac quidem uberius ubique in scripturis diuinis prædicata leguntur. Quid enim aliud sonant Euangelia, nisi nascentem dominũ ex Maria uirgine, & omnia incrementa eius, quousque fuit in mundo dũtaxat, diuinis efferunt præconijs? Porrò ab exordio sancti Euangelij Gabrielem archangelũ colloquentẽ Mariæ audistis, & deinceps reliqua omnia plenius legistis. Ad præsepe quoque te ô Paula teste, nato puero multitudinem angelorum inter crepundia noui partus, & querelas nescij ploratus, pro fescenninis gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis, cantantem audisti, & radiantem stellam uidisti: pastoribus insuper euangelizantibus credidisti. Magos præterea tria deferentes munera in uisione beatis oculis conspexisti. Ipsa eadem munera bene intelligendo, uotis omnibus, fide deo placita obtulisti. Nam & cũ eisdẽ magis deum puerum in præsepe adorasti. Sed forte conquesta me delatorem, quod te prodiderim, clamabis. Ad quod ego: Si cælatum esse uolebas, teste cõscientia, mihi narrare ante præsepium, ubi plurimum lachrymata es, non deberes: quoniam, ut uerum fatear, Christi pręconia etiam si uoluero adiuratus, neque tuas laudes tacere omnino queo. Idcirco tuæ te interrogent filiæ, quas lacte nutris, tu ea melius referabis, quæ nescio, si per speciẽ aliquam aut in spiritu uidisti. Vnde uos, ô filiæ, pulsate matrem precibus, pulsate ad ostium inuitantis amici, si quo modo uobis tandem aperiantur, quæ reserata sunt matri. Veruntamen de his quid plura dicam? Omnia saluatoris gesta, & beatæ Mariæ obsequia, nec nõ & actus uitæ, ex Euangelio didicistis. Et nũc quid superest, ut ab aliquo doctorũ requiratis? De assumptione tamen eius, qualiter assumpta est, (quia uestra id deposcit intentio) pręsentia absens uobis scribere curaui, quæ

ui, quæ absentia præsens deuotus obtuli, ut habeat sanctum collegium uestrum in die tantæ solennitatis munus sermonis Latini, in quo discat tenera infantia lactis experiri dulcedinem, et de exiguis eximia cogitare, qualiter fauente Deo per singulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur: ne forte si uenerit, uestris in manibus illud apocryphum de transitu eiusdem uirginis, dubia pro certis recipiatis: quod multi Latinorum pietatis amore, studio legendi charius amplectuntur: præsertim cum ex his nihil aliud experiri potest pro certo, nisi quod hodierno die gloriosa migrauit à corpore. Monstratur autem sepulchrum eius cernentibus nobis usque ad præsens in uallis Iosaphat medio, quæ uallis est inter montem Sion, & montē Oliueti posita, quā & tu Paula oculis conspexisti, ubi in eius honorem fabricata est ecclesia miro lapideo tabulatu, in qua sepulta fuisse, ut scire potestis, ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc uacunm esse cernentibus ostenditur. Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit relicto corpore. Quomodo autem & quo tempore, aut à quibus personis sanctissimum corpus inde ablatum fuerit, uel ubi transpositum, utrumue resurrexerit, nescitur. Quamuis nonnulli astruere uelint, eam iam resuscitatam, & beata cum Christo immortalitate in cœlestibus uestiri: quod & de beato Ioanne Euangelista eius ministro, cui uirgini à Christo uirgo commissa est, plurimi asseuerant, quia in sepulchro eius non nisi manna, ut fertur, inuenitur, quod & scaturire cernitur. Verūtamen quid horū uerius sentiatur, ambigimus: melius tamen deo totū, cui nihil impossibile est, cōmittimus quàm aliquid temere definire uelimus authoritate nostra, quod non probamus & secuti de his, quos cū domino teste Euangelio resurrexisse credimus: sed utrum redierint in terræ puluerem, certum non habemus, nisi quòd legimus, quia multa corpora sanctorum, quę dormierant, resurrexerūt, ac uenerunt in sanctam ciuitatem, scilicet Hierusalem, & apparuerunt multis. De quibus profectò sanctis nonnulli doctorum senserunt, & in suis reliquerunt scriptis, quod iam in illis perpetua completa sit resurrectio. Fatentur enim, quod ueri testes non essent, nisi & uera esset eorum resurrectio. Vnde & beatus Petrus dixisse legitur, cum de Dauid loqueretur in testimonium: Et sepulchrum, inquit, eius apud nos est. Quasi nō sit ausus dicere, quod ipse, aut corpus eius apud nos est: sed tamen sepulchrum quo conditus fuerat. Hinc aiunt, resurrexisse & ipsum cum cæteris sanctis, & ideo uacuum mansisse mausolęum, uti nunc beatæ Mariæ cernitur. Quod sanè factum & de alijs quibuslibet locis scripturarum affirmare conantur, quòd hi iam cum Christo regnent resuscitati in æterna societate. Quod quia deo nihil est impossibile, nec nos de beata Maria factum abnuimus: quanquam propter cautelam salua fide pio magis desyderio opinari oporteat, quàm inconsulte definire, quod sine periculo nescitur.

scitur. Vnde & de his, ex quibus certi sumus, tantisper loquamur, ad exhortationem uestram qualicunque sermone ad ædificationem & laudem nominis dei, ut & religio conseruetur pro famulatu, & deuotio augeatur pro affectu: quoniam hæc est uirgo sola, quæ interemit uniuersam hæreticam prauitatem, sola post deum, quæ nos confirmet in omni ueritate, suisque cõmendet meritis, & precibus auxilietur, ut ipsi digni inueniamur in eius laudibus. Quod si queritur, post ascensionem Domini quid egerit, unũ pro certo est, quia uirgo sancta corpore & mente permansit. Quam sanè angelus Gabriel ac si cœlestis paranymphus intactã custodiuit: & Ioannes Apostolus atque Euangelista, cui Christus eam de cruce cõmisit, uirgo uirginem seruauit, suisque ei deseruiuit obsequijs: non quod eam eximius ille sanctorum chorus apostolorum deseruerit, inter quos post resurrectionem domini intrans & exiens familiarius contulit de Christi incarnatione, tanto siquidẽ uerius, quanto ab initio plenius per spiritumsanctum didicerat, & perspexerat oculis uniuersa: licet & Apostoli omnia per eundem spiritumsanctum cognouerint, & in omnem edocti peruenerint ueritatem. Quam sanè beatam uirginẽ, etsi omnes uenerati sunt discipuli, eique famulabantur officio dilectionis: Ioannes tamen amplius ac specialius usque ad finem uitæ, qui sibi cõmissam accepit in suam quasi matrem filius, cui benignus magister de cruce, Mulier, inquit, Ecce filius tuus: Ad discipulum autem: Ecce mater tua. Vt uirgo uirgini cohæreret, & deseruiret officiosissime cura adoptionis. Non enim pudicissima uirginitas alicui discipulorum rectius, quàm uirgini cõmendatur, ut esset adinuicem grata societas, & floridus aspectus, nec non & uenustus conuersandi uultus, uernansque alternatim pudicitiarũ splendor decoratus: Vna siquidem uirtus uirginitatis in ambobus. Sed altera proportio in Maria, altera quidem, quia fecundior, sed ipsa, ipsa uerò, sed altera, quia & ipsa eademque incorruptio, tamen fœcunditas integritatis longe gloriosior, quàm uirgiuitas, idcirco & fœcunditas in illa tota deifica est, & uirginitas alioquin nusquam secundum naturam nascendi uirginitas, ubi fœcunditas prædicatur: neque fœcunditas, ubi uirginitas integra conseruatur, ideoque totum superexcellit de illa quæ dicuntur, quia sunt diuina & ineffabilia. Vnde uirginitas & fœcunditas prolis supereminens nouitas est, quanquam humanum cernatur ex carne, quod nascitur, ueruntamen etsi magnificentior multum uirginitas in Maria, propter gratiæ excellentiam, una tamen integritas carnis, & una uirtus, quæ adinuicem quasi cognata sociatur. Hinc quoque Ioannes, quicquid est, quod Maria genuit, euangelizando suo cõmendat eloquio, dicens: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Hoc quippe uerbum, quod erat in principio, & apud deum erat, & deus erat, ipsum genuit beata & gloriosa uirgo Maria ex se carne factum. Idcirco & uirginitas longe sacratior, & fœcunditas (ut ita dicam)

multo ineffabilior, q̃ suo poterit ille explicare eloquio. Veruntamen quanto uirginitas cognatior uirginitati, tanto beatus Euangelista cæteris excellẽtior & uicinior uerbo. Ideo quicquid est, quod uirgo genuit, totum prout potuit homo per spiritumsanctum nobis referabit manifestius & docuit. Cæterum ad exemplum humanæ uitæ conuersatio eius post ascensionẽ Christi generaliter cum Apostolis fuit, quousq; disperguntur, sicut Lucas meminit, dicens: Qui regressi quidem à monte Oliueti, *Hierosolymam* uenerunt, & ascenderunt in cœnaculum, ubi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphei, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes, inquit, erant perseuerantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Ecce Iesu ascendente, cum quibus uirgo uacat in schola uirtutum, & meditatur in lege mandatorum dei, ut ipsa sit forma disciplinę Christi, & exemplum perfectionis uirginibus. Conuersatur aũt cum testibus sanctæ resurrectionis & ipsa testis: conuersatur cum senatoribus cœli infra curiam paradisi, sub sanctispiritus disciplina, & magisterio diuinæ maiestatis. Inuenitur prima inter primos summi regis heroas ipsa cohęres, quorum uita non erat iam in terris, in q̃bus Christus prælibatur, sed de cœlis. Hinc ascendisse leguntur in cœnaculum, quo Pascha dignissime celebratur. Ipsi quippe manebãt cum Maria matre Iesu unanimiter aspirati in charitate, perseuerantes in oratione, donec induerentur uirtute ex alto. Cœperant enim iam orare, qui dudum cum domino conuersantes, uirtutibus & miraculis pascebantur. Et bene perseuerantes in oratione, nihil hęsitantes, donec acciperent munia spiritussancti, quę poscebant. Quos & uos, ô filię, imitamini, quæ in schola Christi permanere uouistis: perseuerate in orationibus unanimiter uiuentes, quousque intrare possitis gaudia æternæ uitæ, quo beata uirgo fœliciter hodie introiuit alternantibus hymnicidis Angelorum choris intra pascua æternæ uiriditatis, ubi una societas omnium supernorum, ubi dulcis solennitas angelorũ, ubi post labores & ærumnas sæculi huius fœlix & suauis refectio animarum. Tu autem Domine miserere nostri.

VITA S. BERNARDI ABBATIS.

BErnardus Burgũdię partib. fontanis oppido patris sui oriundus fuit, parentib. claris secundũ sæculi dignitatẽ, sed dignioribus ac nobilioribus secundũ Christianæ religionis pietatem. Pater eius Tecelinus, uir antiquæ & legittimæ militiæ fuit cultor Dei iustitiæ tenax. Euangelicam namq; secundum instituta præcursoris domini militiam agens: neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam: contentus stipendijs suis, quibus ad omne opus bonum abundabat.

Sic

Sic consilio & armis seruiebat temporalibus dominis suis, ut etiã domino deo suo non negligeret reddere quod debebat. Mater Aaleth ex castro cui nomen Mons Barrus: & ipsa in ordine suo apostolicã regulam tenens, subdita uiro, sub eo secundum timorem Dei, domum suam regebat operibus misericordiæ insistẽs, filios enutriens in omni disciplina. Septem quippe liberos genuit, & non tam uiro suo q̃ Deo: sex mares, fœminam unam: mares omnes monachos futuros, fœminam sanctimonialem. Deo nãq; (ut dictum est) non sæculo generans. Singulos mox ut partu ædiderat, ipsa manibus proprijs Domino offerebat: propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris fœmina refugebat, quasi cum lacte materno quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem creuissent, quam diu sub manu eius erant, heremo magis quàm curiæ nutriebat, non patiens delicatiores assuescere cibos, sed grossioribus & communibus pascens, & sic eos præparans & instituens domino inspirante, quasi continuo ad heremum transmittendos.

Hæc cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, somnium uidit præsagium futurorũ, catellum scilicet totum candidum in dorso subrufum & latrantem in utero se habere. Super quo territa uehementer, cum religiosum quendam uirum consulisset, continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quo Dauid de sanctis prædicatoribus Domino dicit: Lingua canum tuorum ex inimicis. Trepidanti & anxię respondit: Ne timeas, bene res agitur: Optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei æditurus est latratus: Erit enim egregius prædicator, & tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis, in multis multos morbos curaturus est animarum. Quo responso mulier pia & fidelis quasi à Deo suscepto læta efficitur, & iam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur, cogitans eum sacris literis erudiendum tradere, secundum modum uisionis & interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebantur: quod et factum est. Mox enim ut fœlici partu ædidit, non modo obtulit eum Deo, sicut de alijs agere cõsueuerat, sed sicut legit̃ de sancta Anna matre
1.Reg.1. Samuelis, quæ petitum à Domino & acceptum filium in tabernaculo eius destinauit perpetuo seruiturum. Sic & ipsa eum in ecclesia Dei acceptabile obtulit munus. Vnde & q̃ citius potuit in ecclesia Castellionis quæ postmodum ipsius Bernardi opera à seculari conuersatione in ordinem regularum canonicorum promota cognoscitur, magistris literarum tradens erudiendum: egit quicquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem & gratia plenus & ingenio naturali pollens, cito in hoc desiderium matris impleuit. Nam in literarũ quidem studio supra ætatem & præ coętaneis suis proficiebat: sed in rebus secularibus iam mortificationem futuræ perfectionis uelut natraliter inchoabat. Erat nãq; simplicissimus in secularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mire

cogitati

cogitatiuus, parentibus obediens & subditus, omnibus benignus et gratus, domi simplex & quietus, foris rarus, & ultra quàm credi posset uerecundus, nusquam multum loqui amans: Deo deuotus, ut puram sibi pueritiam suam conseruaret: literarum etiam studio deditus, per quas in scripturis Deum disceret & cognosceret. In quo quantum in breui profecerit, & quam perspicacem in discernendo induerit sensum, ex eo quod *subiungimus*, aduerti potest, &c. Verum ne liber in maiorem, quàm par *est*, magnitudinem excederet, uisum fuit, uitam diui huius abrumpere. Cætera leges alibi.

AGAPETVS I.



Agapetus patria Romanus, patre Gordiano presbytero ecclesiæ sanctorum Iohannis & Pauli, pontifex creatus à Theodato, statim ad Iustinianum mittitur, ei infensum quòd Amalasuntam Athalarici matrem in insulam lacus Volsiniensium relegauerat interficiq; iusserat. Erat enim hæc fœmina ita græcis & latinis literis imbuta, ut cum quouis docto disputando congredi auderet. Præterea uero ita linguas barbarorum omnium callebat, ut sine interprete cum his omnibus loqueretur, qui tum Romanum inuaserant imperium. Huius autem mulieris interitum Iustinianus ita ægre tulit, ut bellum Theodato se illaturum minaretur. Agapetus itaq; eò missus, ac benigne & honorifice susceptus, cum pacem impetrasset ab Imperatore, tentatur ut Eutichianam opinionem confirmaret. Verum cum Iustinianus ab ea re homninem sanctissimũ abhorrere cerneret, precibus minas addit. Tum Agapetus: ego, inquit, ad Iustinianum Christianissimũ principẽ uenire optaui, sed Diocletianũ inueni, quẽ Christianorũ hostem fuisse constat. Hac libertate loquendi & Dei nutu Iustinianus permotus, & fidẽ catholicã amplexus est, & pulso Anthemio Constantinopolitano episcopo, qui Eutichianam hęresim tuebatur, Mennam catholicũ in eius locũ suffecit Agapeto consecrãte, qui haud ita multo pòst Constantinopoli moritur, cuius corpus loculis plumbeis clusum Romã deferẽ, ac in basilica Petri sepelitur. Sedit autem mensibus undecim, diebus undeuiginti. Ex Platina.

DE S. PAPHNVTIO.



Vidimus & aliud monasterium sancti Paphnutij, hominis dei, qui nominatissimus in illis locis anachorites, & ultimi habitator fuerat deserti, in regione Eracleos, splendidæ urbis apud Thebaidem. De hoc ergo fidelissima patrum narratione comperimus, quòd cum fuisset uitæ angelicæ, quodam tempore orauerit ad deum, ut sibi ostenderet, cui sanctorum similis haberetur. Assistens uero angelus Dei respondit ei, quòd similis esset Symphoniaco cuidam, qui in uico illo can- Ex Vit. Patr.

tandi arte uictum quæreret. Tunc ille obstupefactus nouitate responsi, cum omni properatione pergens ad uicum, requirit hominem. Et cum inuenisset, studiosissime percunctabatur ab eo, qui nam sancti & religiosi operis gestum sit ei, omnesq; actus eius curiosius discutit. At ille respondit, quod res erat, se esse indignissimæ uitæ hominem peccatorem, atque ante non multum temporis ex latrone in istud, quod nunc exercere uidetur, fœdum artificium deuolutum. Paphnutius eo magis instabat requirens, si quid ei forte uel inter latrocinia pij operis fuisset admissum. Nihil, inquit, mihi conscius sum boni. Hoc tamē scio, q cum inter latrones essem, capta est aliquando à nobis uirgo deo consecrata: huius cum cæteri collegę mei latrones cuperent eripere pudorem, obieci me mediū & eripui eam de contaminatione latronū, & nocte deducens eam usq; ad uicum, domui suę restitui intactam. Alio quoq; tempore inueni mulierem honestæ formæ in heremo oberrantem. Hæc cum interrogaretur à me, cur, aut quomodo in hæc loca deuenisset, respondit: Nihil me interroges infœlicissimam mulierem, nec causas requiras: sed si ancillam placet habere, abducito quo uis. Mihi enim infœlici est maritus, qui debiti fiscalis gratia sæpe suspensus & flagellatus, ac pœnis omnibus cruciatus seruatur in carcere, nec aliam ob causam producitur, nisi ut tormenta patiatur. Tres aūt nobis filij fuerunt, qui pro eiusdem iam debiti necessitate distracti sunt. Ego quoq; miserrima, quia ad similes pœnas inquiror, de loco ad locū fugitans, inedia miseriaq; confecta, per hęc nunc latitans oberro loca, triduum hoc sine cibo iam ducens. Ego ubi hæc audiui, miseratus adduxi eam ad speluncam, & reficiens animam eius fame collapsam, dedi etiam trecentos ei solidos, pro quibus se ac maritum, & filios non solum seruituti, sed & supplicijs asserebat obnoxios, & reuocatam eam ad ciuitatem, omnes eos data pecunia liberaui. Hoc solum scio me fecisse in latrocinio meo. Tunc pater Paphnutius: Ego, inquit, nihil tale feci, tamen credo etiam ad te peruenisse, q celebre Paphnutij nomen inter monachos habeatur. Fuit enim mihi nō mediocris studij, ut uitam meam in huiusmodi excolerem disciplinis. Deus igitur de te mihi reuelauit, quia nihil minus apud ipsum meriti habeas, q̄ ego. Quia ergo frater uides, te non minimo loco haberi apud deum, non negligas animam tuam. At ille statim fistulas, quas manu gerebat, abijciens secutus est eum ad heremum, & artem musicam in spiritualem commutans uitæ mentisq; harmoniam, per integrum triennium arctissimę se tradidit abstinentiæ, in Psalmis & orationibus semetipsum die noctuq; exercens, atq; iter cœleste animi uirtutibus agens, inter sanctorum angelicos choros reddidit spiritum. Posteaq; hunc Paphnutius omni exercitij uirtute consummatum præmisit ad dominū, ipse acrioribus semetipsum studijs, q̄ prius exercuerat agens, iterū domino supplicabat, ut sibi ostenderet, quis ei similis esset super terram. Fit ergo uox ad eum, dicens: Similem

milem te esse nosce primario uici huius, qui est in proximo. Quibus auditis, Paphnutius sine mora ad eum properans, pulsat ad hostium domus eius. Ille uero, cui moris erat suscipere hospites, occurrit ei, atq; introducit in domum suam, lauans quoq; pedes eius apposuit mensam, egitq; conuiuium. Inter epulas uero percunctari Paphnutius cœpit ab hospite, qui actus eius, quod studium, cuiusq; operis haberet exercitia. Ille uero cum de se humilia responderet, & latere in bonis, q̃ publicari mallet, perurgebat Paphnutius, dicens: relatum sibi esse à Domino, q dignus esset consortijs monachorum. At ille ergo magis humiliora de seipso sentiens, aiebat: Ego quidem in nullo mihi boni alicuius sum conscius: Verum quia uerbum dei factum est ad te, eum quem nihil latet celare non possum: hæc ergo, quæ mihi in medio multorum posito in usu sunt, loquar. Triginta iam completi sunt anni, q continentiæ cõsensum habere me cum coniuge mea nullus agnouit. Suscepi autem ex ea tres filios: horum enim causa solummodo cognita est mihi uxor, nec præter eam alia, nec ipsa ultra iam cognita. Suscipere hospites nunq̃ cessaui, sed ita, ut neminem ante me paterer aduenienti occurrere peregrino. Non dimisi unquam de domo mea hospitem sine uiatico: pauperem nullum despexi, sed quæ necessaria fuerant, prębui. Si in iudicio sedi, nec filij mei personam contra iustitiam accepi. Alieni laboris fructus nunq̃ introierunt in domum meam. Litem si uidi, nunq̃ præterij, donec reconciliarẽ dissidentes ad pacem. Nemo unq̃ deprehendit in culpa famulos meos: nunquam greges mei læserunt fruges alienas. Volentes seminare in rure meo, nunq̃ prohibui, nec uberiora mihi noualia elegi, steriliora illis dereliqui. Quantum in me fuit, nuquam permisi, ut potẽtior infirmum premeret. Semper studui in uita mea, ut neminem contristarẽ. Iudiciũ si fuit apud me, neminem condemnaui: et dissidentes reuocare in concordiam studui. Hæc interim mihi uitæ institutio; Deo donante, hactenus fuit. Audiens aũt hæc beatus Paphnutius, caput eius exosculans, benedixit eum, & dixit: Benedicat te dominus altissimus ex Syon, & uideas quæ bona sunt Hierusalem omnibus diebus uitæ tuæ. Quia ergo bene hæc & conuenienter implesti, illud tibi deest, quod bonorũ omnium summum est, ut omittens cuncta, ipsam iam sequaris dei sapientiã, & secretioris scientiæ inquiras thesauros, ad quos aliter nõ poteris peruenire, nisi abneges teipsum, & tollas crucem tuam, et sequaris Christũ. At ille cum audisset hæc, nihil moratus, nec omnino aliquid in domo sua ordinans, secutus est uirum pergens cum ipso ad desertum. Cumq; uenissent ad flumen, nusquã ad transmeandũ reperto nauigio, Paphnutius præcepit intrare secum pedibus fluuium, cuius in illis locis profunda habebatur altitudo. Transierunt ergo pariter fluuium ita ut aqua eis uix ad latera perueniret. Vbi uero ueniunt ad desertum, collocat hominem Paphnutius in cellula quadam, haud procul à suo monasterio posita, &

sita, & conuersationis spiritualis ordinem tradidit, perfectorumq́ studiorum exercitia docet, scientiarum quoq; secretiora concredit. Cumq́ eum in omnibus instruxisset, semetipsum denuo maioribus exercitijs dedit, exiguos priores deputans labores, quibus conferri potuerit his, qui sæculi uidebantur actibus occupari: hoc enim sibi dicebat: Si isti qui sunt in sæculo, tantum boni operis faciunt, quanto nos studere debemus plus uel amplius in abstinentiæ laboribus eos antecellere? Tempore autem aliquanto in his transacto, & ad scientiæ perfectionem perducto, eum quem perfectum iam in operibus assumpserat, quadam die Paphnutius sedens in cellula sua, uidet animam eius inter Angelorum choros assumptam, dicentium: Beatus, quem elegisti & assumpsisti, habitabit in tabernaculis tuis. Et cum hæc audisset, agnouit assumptū esse ex hoc mundo uirum. Tunc uerò Paphnutius persistebat in ieiunijs & orationibus, semetipsum ad maiora & perfectiora extendens, & rursus orabat dominū, ut sibi ostenderet, cui similis haberetur inter homines. Rursus ei uox diuina respondit, dicens: Similis es negociatori, quem uideris ad te uenientē: sed exurge uelociter, & occurre ei: adest em̄ uir, cui te similē iudicaui. Et Paphnutius sine mora descendens, occurrit cuidā negociatori Alexandrino, uiginti milibus solidorum merces tribus nauibus deferenti ex Thebaida: & quoniam erat religiosus, & bonorum operum studium gerens, decem leguminum saccos pueris suis impositos ad monasterium dei hominis deferebat: & hæc ei causa adeundi Paphnutium fuit. At ille continuo ut eum uidit: Quid agis, inquit, ô preciosissima & deo digna anima? Quid tibi cum terrenis est labor, cui sors & societas cum cœlestibus data est? Relinque hęc illis, qui de terra sunt, & de terra cogitant: tu autem regni dei (ad quod nocatus es) negociator efficere, & sequere saluatorem, à quo paulò post assumendus es. At ille nihil omnino differens, præcepit pueris suis, ut omnia quæ superessent (multa enim iam ipse per se distribuerat) pauperibus erogarent. Ipse uerò sequens sanctum Paphnutium ad desertum, in eodem ab eo constitutus est loco, ex quo & priores ad deum fuerant assumpti: & similiter ab eo de omnibus instructus in exercitijs spiritualibus, & diuinę sapientiæ studijs permanebat. Breui autem tempore cōsummato, etiam hic translatus est ad congregationem iustorum. Et non multo pòst ipse etiam Paphnutius in ipsis summæ abstinentię exercitijs & laboribus uitam posuit. Astitit enim ei angelus domini, dicens ad eum: Veni iam benedicte domini, & ingredere (quæ tibi debentur) æterna tabernacula. Ecce em̄ mecū adsunt ꝓphetæ, qui te in tuum suscipiant chorum. Hoc autem tibi prius idcirco non reuelauit, ne forte elatus damnum aliquod tui laboris incurreres. Et unā post hæc in corpore adhuc positus diem ducens, cum quidam presbyteri ad eum uisitandū uenissent, omnia eis quæ sibi dominus reuelauerat, nota fecit, dicens ad eos: Nullum in hoc

sæculo

seculo debere despici, etiam si latro sit aliquis, aut in scena positus, etiam si cultum ruris exerceat, & coniugio uideatur astrictus, etiam si negociator dicatur, & mercimonijs inseruiat: tamen in omni ordine humanæ uitæ sunt animę deo placentes, & habentes actus aliquos occultos, quibus delectatur deus. Vnde constat, non tantum professionem uitæ, aut habitus speciem deo esse placitam, quantum sinceritatem atq; affectionem mentis et operum probitatem. Et cum similia de singulis quibusq; disseruisset, tradidit spiritum. Euidenter autem presbyteri qui aderant, et omnes fratres uiderunt eum ab angelis suscipi, hymnum cantantibus & collaudantibus Deum.

BARPTOLOMÆVS APOSTOLVS.

EVsebius de S. Barptol. ait: Barptolomęus Indiam citeriorem sortitus est, lib. iij. cap. j. Et lib. v. cap. x. sic scribit: Pantænum ferunt, cum ad Indos peruenisset, reperisse, quod Barptolomæus Apostolus apud uos fidei semina prima condiderit, & Matthæi Euangelium Hebręis scriptum literis dereliquerit, &c. Ioach. Vadianus sic meminit S. Barptolomæi: Inter suppliciorum genera excoriationem Persas habuisse, Marcellinus li. xxiij. tradit, pœnam sine dubio uicinis etiam gentib. cognitam, ut uerisimile sit, quod de Barptolomæo Orientis Apostolo excoriato proditum est. De S. Barptolomæo sic habet D. Hierony. in lib. de uiris illustrib. Barptolomæus Apostolus Indis, ijs qui dicuntur Fortunati, prædicauit euangelium Christi, & Euangelium, quod est secundum Matthæum, eis tradidit. Dormiuit autem Albanopoli, oppido maioris Armeniæ.

S. AVGVSTINVS ECCLESIÆ doctor.



QVod his diebus contigit fratres humanissimi uidistis, quibus Domini nostri Iesu Christi summam potestatem & clementiam intelligere potuimus: memoriæq; mandare debemus, q in nulla re magis Christianis gratulari possumus, q quod hoc tempore & ætate nostra mirandum oculis nostris uidimus. Diuinæ clementiæ innumeras gratias agere debemus, quod Augustinus Afer Carthaginensis, philosophus acutissimus, contempto gentilium cultu, ad ueram Christianam religionem diuino nutu tandem peruenit. Hoc resurrectionis tempus duplici lætitia celebrandum est, Christi scilicet uictoria, potito, ac deleto inferorũ imperio, & Augustini conuersione, quę Christianis plurimum confert. Quis expugnauit animum? quis superauit? Non argumenta, non uis aliqua uerborum, sed Dei duntaxat uirtus & clementia. Nonne Rhetor hic habebatur præstantissimus? Nonne eius doctrina accinctus Mediolanum uenit, ibi a cunctis ciuibus honorifice *Ex S. Ambrosio.*

 susceptus

ſuſceptus eſt? Ad quid tanta liberalium diſciplinarum eruditio, tantum philoſophiæ acumen? Ad quid illud acre ingenium, illa Dialectica, cæteræq; artes, ſine præceptore adeptæ, ad hoc ut diuina potentia magis eluceat mortalibus? Quo Ariſtotelica inſtitutio in diſputando ſimulationes, difficultates tendebant, uerſutiæ, contentiones & aſtutię, quibus maxime erat inſtructus, argumentaq; contra ſacrarum literarum ſcripturas, cum unà eſſemus adducta, in quibus diuinum quandoq; implorabamus auxilium? Quo tanta in dicendo hominis gratia, tanta in dicendo copia atq; facundia, ut non temere eius dicta diſſolui potuiſſent? Ad hoc, ut fides Chriſti ſtabiliretur, ſæpius me eum tentaſſe intelligitis, quo inter diſſenſiones noſtras uirtus diuina operaretur. Optabam mirum in modum hominem tantæ doctrinæ illuminari, à quo ſumma gloria et ſplendor, ut in merito Chriſtianæ fidei oriri poſſet. Verum etiam Auguſtinus tanta interdum pertinacia & diſputationis ſuæ acrimonia, ac uehementia nos urgebat, ut inter ſupplicationes noſtras, quòd deus ab eius captionibus nos auerteret, rogare coacti ſumus. Matris eius Monica precibus & lachrymis penè continuis, noſtriſq; orationibus aliquantiſper adhærere cœpit, & prædicationibus noſtris aliquando intereſſe cupiebat, in quibus fidei noſtræ ſynceritatem omnibus diſciplinis, & omnium artium argumētis antecedere oſtendebamus. Diuino tandem auxilio, Chriſti ueram religionem amplexus eſt, unde humanum genus & Chriſtifideles merito iubilare poſſunt. Veruntamen Simpliciano noſtro probatę ſanctitatis uiro non minores gratiæ agendæ ſunt, à quo Auguſtinus de religione beata, feliciq; uita inſtructus eſt. A' quo idem multa de Chriſti fide, tum exempla, tum miracula accepit, quibus ſi qua hæreſis rubigo eſſet, pollutum animū abſtreſit, quibus à ſe omnis dubitationis timor procul propulſatus eſt. Quantis fratres chariſſimi lachrymis errorem confeſſus eſt ſuum? quanto luctu conuerſionis diuturnitatem conqueſtus eſt? quibus uerbis, & quo dolore ſeram pœnitentiam damnauit? Dimidiam enim fermè uitæ ſuæ partem inter gentilium mores ac uanas diſciplinas, mundanoſq; errores conſumpſit. Iubilate de tanta uictoria, in qua Auguſtinus tanq; dux cum commilitonibus ſuis Adeodato & Alypio ſocio captiui noſtri ſunt. Hæc quidem captiuitas Auguſtinum beatum faciet, regnum Dei parabit. Triumphare tamen uiſus eſt Auguſtinus illa præſertim hora, in qua nouum hominem, ſacro baptiſmate induimus, in quo unà nobiſcum diuino quodam inſtinctu hymnum cantauimus de Chriſti fide. Et uberius ut inſtrueretur, & à cæteris gentiliū opinionibus & erroribus remoueretur, totum cognitionis animū intendit. Nouum in Chriſti fide militem habemus, acerrimum contra gentiles hoſtem, contra hæreticos inuictiſſimum imperatorem. Nouum Chriſtianum nouis ueſtimentis cuculla nigra induimus, cingulo ex corio noſipſi præcinximus, quod Simplicianus noſter ingenti lætitia

ti lætitia donauit. Agamus gratias Domino Iesu Christo ingentes, qui religioni nostræ talem ac tantum principem instituit. Gaudeamus omnes in Domino, qui omnia uirtute sua continet, & incomprehensibili maiestate uniuersa complectitur. Gaudeant angeli Augustini tam celebri conuersione. Gaudeant cœlum & uniuersa terra, benedicant omnes Dominum, quia ad conferendum hominibus subsidium creauit & illuminauit Augustinum, à quo tanquam religionis exordio Christiani auxilium caperent & suffragium: à quo denique religionis constitutiones oriri poterunt. Hanc Augustini conuersionem in futurum homines diuinis prosequentur honoribus, Amen.

DE S. MONICA MATRE AVGVSTINI, Maphæi carmen.



Alue lux matrum, mater sanctissima salue,
Salue Augustini Monica digna parens.
O salue tanti nati dignissima mater:
O salue sexus gloria fœminei,
Quæ genuisti illud, cunctis memorabile sæclis,
Ecclesiæ robur, præsidiumque, sacræ.
Eloquij flumen tantum, quo tota rigatur
Lex sacra: & ubertim lingua Latina fluit.
Vertisti sacris precibus, quibus anxia semper
Pulsabas magnum flensque gemensque Deum.
Vertisti largo lachrymarum flumine, quo te
Spargebas, largo semper & imbre madens.
Felices ô quæ, tantum lachrymæ, gemitusque,
Fœlices tantum quæ potuêre preces.
Quæ trahere ad sese summum potuêre Tonantem,
Ferreque, qua certè mundus egebat, opem.
Ingenij fulmen tantum, quo tota choruscat
Sacra fides, omnis impietasque tremit.
Quem longè errantem, longè Christoque rebellem
Vertisti ad ueræ religionis honos.
O feruens amor, ô pietas incensa parentis:
O qui flagrabat sancta per ossa calor.
O flamma, ô nulli facile enarrabilis ardor,
Maternæ ô feruor mentis, & ignis edax.
O qui te tantus æstus pia mater agebat,
Et quo scandebas impetus astra super,
Ardentes tanquam longè uolucresque sagittæ,
Sic ibant lachrymæ, uota, precesque tuæ.
Æthereique altè penetrabant pectora regis,

Cogebant

Cogebant illum: nulla negare tibi
Quin maiora etiam quàm quæ sperare uel unq̃
Auderes ultro, plura simulq́ dare.
O quantum tibi nos omnes debere fatemur,
Cuius ope est mundo tanta reddita salus:
Quippe nisi è tenebris ad lumina sacra redisset
Conuersus meritis filius ipse tuis.
Altiloquas totum nisi diffudisset in orbem
Doctrinas, tantum totq́ uoluminibus.
Errorum nisi tot pestes strauisset iniquas
Ingenio, nisi tot dogmata praua suo
Ecclesiam tanto quæ firmauere ruentem
Robore: felices ó lachrymæ atq́ preces,
O dulces lachrymæ uincantq́ mella fauosq́
Quæ uincant dulces & omne preces.
Quid mirum si nostra fides cultusq́ perisset?
Si totus noster religionis honos.
Nunc uero superi quando ad fastigia cœli,
Euictam nunc te purior orbis habet:
Quando hac terrena de fece & carcere tantum
Eruta, tu loca nunc liberiora colis:
Nunc nostris melius, rogitans tu consule rebus
Pro nostra melius funde salute preces,
Affer oper nunc tu mundo succurre labenti.

DECOLLATIONIS S. IOANnis Baptistæ.

Ex Iuuenco.

INterea ad regem uolitabat fama superbum,
Quòd mala cũcta illic uirtus diuina domaret.
Sed putat Herodes læti quòd lege remissus,
Tanta ut Ioannes uirtutis dona teneret.
Nam quondam, cernens, liuenti pectore dæmon
Erroris labem, puris quòd solueret undis
Iustus Ioannes, damnis accensa malorum
Tunc petit Herodem pestis sęuissima regem.
Et facile iniusti penetrans habitacula cordis
Accumulare feris subigit scelera impia gestis.
Arserat illicito Herodes accensus amore,
In thalamos fratris, casto quod iure uetabat
Doctus Ioannes, feritas sed nescia recti
Subiecit leges pedibus, fruiturq́ nefandis

Connu-

Connubijs,iustumq́ super (quia praua uetabat)
Carceris immersit tenebris, uinclisq́ grauauit.
Sanguine nam iusti primo compressa timore
Abstinuit sitiens feritas,quia magna prophetam
Plebis Ioannem ueneratio suscipiebat.
Natali sed forte die,quum læta tyrannus
Herodes celsis strueret conuiuia tectis,
(Luxuria quoniam coniuncta superbia gaudet)
In medio iuuenum,reginæ filia uirgo
Alternos laterum celerans sinuamine motus
Compositos tithara iungit modulante choreas.
Ipse sed in primis mirata uirginis arte
Attonitus stupuit,tum præmia cuncta patere
Iuratus spondet, quæcunq; puella petisset.
Illa sed horrendæ seruans scelera impia matris
Vrget Ioannis caput à ceruice reuelli,
Et lance inferri præsentia munera poscit.
Præsentûm Herodes procerum sub pondere tristis,
Iurandiq́ memor iuris, tamen imperat ægre
Insontis caput inferri,tradiq́ puellæ.
Illa nephas matris scelerata ad gaudia portat.
Corporis ac lacerum flentes sine nomine truncum
Discipuli condunt terræ,Christumq́ sequuntur.

DE HERODE ET HERODIADE.

Thomæ Mori.

COrâm Herode Herodiadis dum filia saltat,
Dum quo debuerat displicuisse placet,
Ebrius affectu rex coniugis,ebrius illo
Fortunæ luxu,præthereaq́ mero:
Opta ait,ô uirgo,dabitur,iurauimus,huius
Dimidium regni poscere si libeat.
Impia suggestu sceleratæ filia matris,
Inquit:Baptistæ da precor ergo caput.
Dona petis uirgo (si saltatricula uirgo est)
Quæ uix sustineas cernere dona petis.
O funesta parens,ô natæ dira nouerca,
Saltare,atq; homines quam iugulare,doces.
Rex dolet,& tristis concedit:nempe coactus
Iurisiurandi relligione sui.
O regem fidum,sed tunc tantummodo fidum,
Maius perfidia est quàm scelus, ipsa fides.

IN PICTVRAM HERODIAnæ mensæ.

SAnguine funesta est Herodis mensa uirili,
Sanguine funesta est mensaq; Flaminij.
Tam similes cædes, similes ferêre puellæ,
Illam saltatrix obtinet, hanc meretrix.
Id tamen intererat, meritrici uita nocentis,
At saltatrici penditur innocui.

IN EANDEM PICTVRAM.

ORo uiri fœdo sancti fluitantia tabo,
Decussumq; gerit regia mensa caput.
Corpora sic regi rex Atreus ambo Thyesti
Natorum apposuit frater edenda patri.
Sic regi Odrysio natum regina peremptum
Fida soror, genitrix perfida ponit Itim.
Talia regales ornant bellaria mensas:
Crede mihi non est pauperis iste cibus.

S. ÆGIDIVS CONFESSOR CHRISTI.

Georg. Vuicelij.



Aiunt Ægidium Græcum Athenis natum, patre Theodoro, matre Pelagia utroq; Christiano. Qui primis statim annis pietatis specimen edidit, ęgroto nimirū cuidam suā ipsius uestem impartiens, diui Martini non inegregius imitator futurus. Porrò relicti patrimonij Christum suum hæredem instituit, hoc est, decreuit illud ipsum in egenos, Christi minimos, hilariter dispergere. Copiose dedit de copiosa hæreditate. Maluit bonorum operum diues esse quam pecuniarum. Cum uero inclarescere cœpisset in patria, uitandæ celebrioris famæ gratia, Græcię ualedicens, nauigio deuenit in Galliam: & Massiliæ innotuit Cæsario Arelatensi præsuli, qui cupide fruebatur sancti uiri colloquio. Illinc perrexit, & transito Rhodano, delapsus est ad heremum quandam, in qua Veredemium illum reperit, anachoretam miraculis æditis insignem, Ægidio superiorem. Apud hunc quoq; demoratus aliquantisper, utpote eodem spiritu, eademq; mente præditus, ubi Deo uisum fuit, relicto Veredemio de peculiari sibi domicilio prospexit, in quo solus Deo nostro uacaret totus. Antrum uero hoc erat, feris q; hominibus accomodatius domicilium. Quo tempore Flauius Gothorum rex Monarchiam tenuisse dicitur, circa annum Domini DCC. Solitario igitur, omnibusq; humanis commodis destitutus, cerua lactis alimoniam subministrasse scribitur, quam cum uenatores aliquando

consectarentur usque ad speluncam, ac iaculis conarentur figere, ipsum Monachum ex improuiso tetigerunt. Eo uulnere nihilo tristior factus, in pio proposito durauit: & regis aliorumq; ad se cõmeantium munera respuit: docuit uero & monuit recta, præterq; quod per Christi Iesu nomen multos infirmos bonæ ualetudini restituit. Aiunt isto in loco regis munificentia Monasteriũ templumq; illum exædificasse, & syncerè monachorum greges ibi pauisse uerbo, iam sacerdotij honorem adeptum. Multis post annis Romam accessit, confirmandæ communionis gratia. Dein regressus in Galliam, suo in monasterio lætus ad Christum migrauit, magna pijs hominibus relicta mœstitia.

S. SERAPHIA VIRGO.



Eraphia uirgo Antiochensis, quum Adriano Imperatore Romam uenisset, in domo beatæ Sabinę diuersata est, eandemq; ad fidem Christi conuertit. Quamobrem à præside Beryllo comprehensa, ad dearumq; sacrificium producta, negauit se alteri quàm Christo sacrificium oblaturam, affirmãs se ob perpetuam uirginitatem, quã ei uouerat, templũ Dei uiui factã. Tunc præses, ut amissa pudicitia templum Dei esse desineret, duobus eam salacibus iuuenibus constuprandam tradit. Qui obscuriore cubiculo inclusam, quũ circa primam noctis horam aggredi pararent, orante uirgine subito lumine circũfulsi, quasi exanimes membris omnibus resolutis in terram prostrati, tota nocte iacuerunt, donec præsidis rogatu fuerunt à uirgine oratione fusa postera die suis uiribus restituti, & quæ sibi contigerant præsidi narrauerunt. Sed quum is cuncta magicis artibus tribueret, adductam sibi uirginem & uestibus spoliatam incensis facibus aduri iussit. Quod cum alacri animo illa tolerasset, fustibus diu cęsa, & trans arcum Faustini ducta, ibidem decollata est. Eius autem corpus beata Sabina in eodem loco sepeliuit, tertio nonas Septembris. Ex Romano breuiario.

DE S. AMMONE ABBATE.



Idimus autem in Thebaida etiam alium uirum nomine Ammonem, patrem trium milium circiter monachorũ, qui Thebanensij appellabantur, ingẽtis abstinentię uiri, quibus usus est indui colobijs quasi saccis ligneis, & pelle confecta à collo post tergum & latus descendente contegi: cucullis etiam caput operiri, maxime cum ad cibum conuentum fuerit. Eis etiam uelare faciem, ne alius alium partius cibum sumentem deprehendat. Est autem eis & in capiendo cibo summum silentium, ita ut nec putetur, in eo loco esse aliquis hominum, ubi sedent ad mensas. Et omnis eorum conuersatio ita in multitu- Ex uitis Pat.

...ic posita quasi in solitudine: dũ ita latet uniuscuiusq; abstinentia, ut ab alio deprehendi non possit. Sedent ergo ad mensam cõtingentes magis quàm sumentes cibos, ut nec defuisse mensis, nec tamẽ uentri satisfecisse uideantur. Maior quippe est continentiæ uirtus his abstinere, quæ in oculis habentur, & non in manibus.

DE S. BENONE ABBATE.

Ex uitis Patrum.



Idimus & alium senem mansuetudine omnes homines præcellentem abbatem, Benonem nomine, de quo asserebant fratres, qui cum ipso erant, quòd neq; iuramentum unquã, neq; mendacium de ore eius processerit, neq; ullus hominum iratum uiderit eum aliquando, aut sermonem superfluum ociosumq; proferentem, sed erat uita eius in summo silentio, moresq; tranquilli, & per omnia quasi angelici ordinis uir: humilitas quoq; immensa, & in omnib. pro nihilo semetipsum ducens. Deniq; nobis multum rogantibus, ut aliquem sermonem ab eo ædificationis audiremus: uix impetrare potuimus, ut pauca nobis de mansuetudine loqueretur. Hic aliquando cum bestia quædam, quæ hyppodamus appellatur, sibi regionem proximam uicinamq; uastaret, & ipse rogatus fuit ab agricolis, immediate uenit ad illũ locum: & cum ad immanem beluam peruenisset, ait ad eam: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, ne ultra uastes hanc terram. Tunc illa quasi angelo persequente effugata, nusquam omnino comparuit. Simili modo etiam Crocodilum ab eo alio tempore fugatum perhibebant.

NATALIS MARIÆ DEIPARÆ.

Ex apocryphis Hieronimi.



Eata & gloriosa semper uirgo Maria de stirpe regia & familia Dauid oriunda, in ciuitate Nazareth nata, Hierosolymis in templo domini nutrita fuit: pater eius Ioachim: mater uerò Anna dicebatur: Domus paterna ex Galilæa, & ciuitate Nazareth: maternum autem genus ex Bethlehem erat. Vita eorum simplex & recta apud dominum, apud homines irreprehensibilis erat, & pia. Nam omnem substantiam suam trifariam diuiserunt: Vnam partem templo & templi seruatoribus impendebant: aliã peregrinis et pauperibus erogabant: tertiam suæ familiæ usibus, & sibi reseruabant. Ita isti deo chari, hominibus pij, per annos circiter uiginti, castum domi coniugium sine liberorum procreatione exercebant. Vouerunt tamen, si forte deus donaret eis sobolem, eam se domini seruitio mancipaturos: cuius rei gratia & templum domini singulis per annum festis frequentare solebant. Factum est autem, ut Encœniorum festiuitas approquinquaret: unde cum nonnullis contribulibus suis Hierosolymam & Ioachim ascendit. Ea uerò tempe

rò tempe

rô tempestate Isachar ibi põtifex erat. Cum'q; inter cæteros cõciues suos etiam Ioachim cum oblatione sua uideret, despexit eum, & munera eius spreuit: interrogans, cur inter fœcundos infœcundus ipse stare præsumeret, dicens, munera nequaquam Deo digna posse uideri, quem ipse prole indignum iudicasset, scriptura dicente: maledictum omnem esse, qui non genuisset masculum in Israël. Dicebat ergo prius, eum ab hac maledictione sobolis generatione soluendum, & sic demum in conspectũ domini cum oblationibus esse uenturũ. Cuius opprobrij obiectu pudore magno suffusus Ioachim, ad pastores, qui cũ pecudibus erant in pascuis suis, secessit. Neq; enim domũ repetere uoluit, ne fortè à contribulibus suis, qui simul aderant, & hoc à sacerdote audierant, eodem opprobrij elogio notaretur. Verũ cum ibi aliquãdiu esset, quadam die, cum esset solus, angelus domini ei cum immenso lumine astitit. Qui cũ ad eius uisionem turbaretur, angelus qui ei apparuerat, timorẽ eius compescuit, dicens: Noli timere Ioachim, neq; in uisione mea turberis: Ego enim sum angelus domini, missus ab ipso ad te, ut annũciem tibi preces tuas esse exauditas, & eleemosynas tuas ascendisse in conspectum eius. Videns quippe uidit pudorẽ tuum, & audiuit sterilitatis opprobrium non recte tibi obiectum: Peccati nanq;, non naturæ ultor est Deus. Et ideo cum alicuius uterum claudit, ad hoc facit, ut mirabilius denuo aperiat: & nõ libidinis esse quod nascitur, sed diuini muneris, cognoscatur. Prima enim gentis uestræ Sara mater, nonne usq; ad octogesimum annum infœcunda fuit? & tamen in ultima senectutis ętate genuit Isaac, cui repromissa erat benedictio omnium gentium. Rachaël quoq; tantũ domino grata, tantum'q; à sancto Iacob adamata, diu sterilis fuit, & tamen Ioseph genuit, non solum dominum Ægypti, sed plurimarum gentium fame periturarum liberatorem. Quis in ducibus uel fortior Sampsone, uel sanctior Samuele? Et tamen hi ambo steriles matres habuère. Si ergo ratio uerbis meis tibi non persuadet credere, dilatos diu conceptus & steriles partus mirabiliores esse solère: proinde Anna uxor tua pariet tibi filiam, & uocabis nomen eius Mariam: hæc erit, ut nouistis, ab infantia sua domino consecrata, & spiritusancto replebitur adhuc ex utero matris. Omne immundum neq; manducabit, neq; bibet, neque inter populares forinsecus turbas, sed in templo domini cõuersatio eius erit, ne quid de ea sinistrũ uel suspicari saltem possit, uel dici. Itaq; ætate procedente, sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur, ita incomparabiliter uirgo generabit altissimi filium, qui Iesus uocatur, secundum nominis ethymologiam saluator omnium gentium erit. Et hoc tibi eorum, quæ annuncio, signum erit: Cum perueneris ad auream in Hierosolymis portam, habebis ibi obuiam Annam uxorem tuam, quæ de tuæ regressionis tardatione modo sollicita, tunc in aspectu tuo gaudebit. His dictis, angelus discessit ab eo. Deinde apparuit Annæ uxori eius, dicens: Ne

timeas Anna, neq; phantasma putes esse, quod uides: ego enim sum angelus ille, qui preces & eleemosynas uestras obtuli in conspectu Dei, & nunc missus sum ad uos, ut annunciem uobis nasciturã filiam, quæ Maria uocata, super omnes mulieres erit benedicta. Hæc à natiuitate sua statim domini gratia plena tribus ablactationis suæ annis in domo paterna permanebit: postea seruitio domini mancipata, à templo usq; ad intelligibiles annos non discedet: ibi deniq; ieiunijs & orationibus nocte ac die deo seruiens, ab omni immundo se abstinebit, uirum nunq̃ cognoscet, sed sola sine exemplo, sine macula, sine corruptione, sine uirili cõmixtione, uirgo filium, ancilla dominum, & gratia et nomine & opere saluatorem mundi generabit. Itaq; surge, ascende Hierusalẽ: & cum perueneris ad portã, quæ aurea, pro eo q deaurata est, uocatur, ibi pro signo uirum tuum, pro cuius incolumitatis statu sollicita es, obuium habebis. Cum hæc igitur ita euenerint, scito, q quæ annuncio, sine dubio complenda erunt. Igitur iuxta angeli præceptum, uterq; de loco in quo erant promouentes, ascenderunt Hierusalem: & cum ad locum peruenissent angelico uaticinio designatũ, ibi sibi inuicem obuiauerunt: Tunc de mutua sua uisione læti, & promissæ prolis certitudine securi, debitas domino humilium exaltatori gratias egerunt. Itaq; adorato Domino, domum regressi, diuinum promissum certi & hilares expectabant. Concepit ergo Anna, & peperit filiam, & iuxta mandatum angelicum, parentes uocabant nomen eius Mariam. Cumq; trium annorum circulus uolueretur, & ablactationis tempus completum esset, ad templum domini uirginem cum oblationibus adduxerunt. Erant autem circa templum iuxta quindecim graduum psalmos quindecim ascensionis gradus. Nam quia templum erat in monte constitutum, altare holocausti, quod forinsecus erat, adiri nisi gradibus non ualebat. In horum itaque uno beatam uirginẽ Mariam paruulam parentes constituerũt. Cumq; ipsi uestimenta, quæ in itinere habuerant, exuerent, & cultioribus ex more uestibus se & mundioribus induerent: uirgo Domini cunctos sigillatim gradus sine ducentis & leuantis manu ita ascendit, ut perfectæ ætati in hac dũtaxat causa nihil deesse putares. Iam quippe Dominus in uirginis suæ infantia magnum quid operabatur, & quanta futura esset, huius miraculi indicio præmonstrabat. Igitur sacrificio secundum consuetudinem legis celebrato, & uoto suo perfecto, uirginem intra septa templi cum alijs uirginibus ibidem educandam dimiserunt: ipsi uero domum regressi sunt.

Virgo autem Domini cum ætatis processu & uirtutibus ꝓficiebat, & iuxta Psalmistam, pater & mater dereliquerant eam: Dominus autem assumpsit eam.

De Virgine

DE VIRGINE MARIA CONCIO Erasmi Roterodami.



Ix oratione consequi queam, fratres ac sorores in Christo dilectissimi, quanto gaudio perfundatur animus meus, quum uideo uos tam frequētes, tantaq; cum alacritate ad solennem uirginis matris cōmemorationem conuenisse. Affectus hic in matrē pietas est in filium. Mos quidem est ab antiquis traditus, ut in festo die splendidius aliquod epulum exhibeatur. Vtinam autem ego, qui pater sum ac pastor, uobis filijs et ouibus meis in domino è lautissimo diuinarum literarū penu depromere queam cibum, qui non perit, sed saginat ac uegetat animos in uitam æternam: depromere uinum spiritus, quod sobria temulentia exhilaret corda uestra, ut in medijs etiam huius mundi malis semper cantetis, ac spiritualibus hymnis psallatis Domino, qui quum in sanctis omnibus gloriosus sit, in matre tamen peculiariter diuitias gloriæ suæ declarauit. Cōmunibus itaq; uotis imploremus spiritū, qui superueniens in Mariam, uirgineum illius pectusculum consecrauit templum diuinæ triadi, & eiusdē illibatum uterum officinam fecit admirandi partus, qui nobis prodidit omnibus sæculis expectatum seruatorem totius mundi Iesum Christum. Primum illud non ignorat charitas uestra, sanctissimæ uirginis cultum quatuor in rebus potissimū consistere, in laudibus, in honoribus, in inuocatione, et in imitatione. Quorum postremum adeo præcipuum est, ut illa sine hoc sint infrugifera, & hoc unum cętera quoq; in se complectatur. Satis enim laudauit Mariā, satis honorauit, satis inuocauit, qui Mariæ sobrietatem, qui pudicitiam, qui modestiam pro uiribus imitatur. At qui præpostero iudicio fine fine Mariæ laudes canunt, atq; exaggerant, qui cęreis, qui donarijs, qui templis ac delubris illam honorant, qui prolixis & ambitiosis precibus illius opem flagitant, de imitando quam prædicant, ne cogitantes quidem, in periculum ueniunt, ne audiant à matre, quod Iudaicus cultor apud prophetam audit à patre: Hic populus labijs me honorat, cor aūt eorū procul abest à me. Rursum quod in Euangelio audit à filio: Non omnis qui dicit mihi: Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est. Sit igitur uobis charissimi prima cura, moribus ac uita quantū licet imitari uirtutes Mariæ: ne et ipsa dicat de nobis: hic populus cantionibus, fistulis ac tibijs me honorat, cor aūt eorū in his rebus est, quas ego semper odi cum filio meo Iesu, in diuitijs, in uoluptatib. in lusibus sceleratis, in turpibus fabulis, in fastu & superbia. Dant mihi principem locum in templis & aris, in pectore illorum nullum mihi locum concedunt. Occinunt mihi: Regina cœli, domina angelorum, uita, dulcedo, & spes nostra. Salutor undiquaq; titulis honorificentissimis: sed non omnis qui dicit mihi: Domina, domina, intrabit in regnum filij mei: sed qui illius exemplum sequentes obtem-

tes obtemperant præceptis dei, quiq́ meum exemplum exprimere studentes, filij gratiam ambiunt, in imitanda matre, in qua quicquid imitatu dignum est, filij donum est. Ne credamus igitur sanctissimam uirginē hisce ieiunijs delectari, quibus nonnulli illam certis diebus honorant, in hoc tantum ieiunantes, ut postridie copiosius inebrientur, aut his cantionibus deliniri, quas illi quidem occinunt libidine, luxuq́ corruptissimi, aut eorum donarijs capi, qui scortis & adulterijs undiq́ cōspurcati sunt. Non ꝙ clementissima uirgo peccatores auersetur: sed quos pudet, pigetq́ suæ turpitudinis, iam peccatores esse desinunt. Quicquid ingratum est filio, non potest placere matri. Scio nōnullis in locis ostendi Mariæ delubrum, sericis, argento, auro, gemmisq́ differtū, ut qui illic adorant uirginem, mammonam adorare uideantur. Quanto gratius esset Mariæ, si istæ opes erogarentur, & impenderentur subleuandis Christi membris, in quibus unà cum filio quodam modo uel affligitur, uel refocillatur mater. Si placet simulachrum uirginis, tale fingatur, qualis ipsa placuit deo, & qualem nos imitari pium sit, pudicitia, modestia, sobrietas in uultu, in totius corporis statu, in uestibus etiā reluceat. Nunc paucis aperiam, quid potissimum imitari conueniat in Maria, si prius illud admonuero charitatē uestram, à nullo neq́ perfectius, neq́ tutius peti formam ac regulam pietatis, q̃ à filio: tametsi certum est, nihil esse in matre, quod à filij doctrina dissideat. Hic animis attentis estote pueri ac puellæ, matronæ ac uiduæ, uiri, senes & anus: omnibus enim erit quod imitamini in Maria. Scopi sunt hi, uirginea simplicitas, cum summa coniuncta prudentia, summa felicitas, coniuncta cum summa modestia, summa castitas in coniugio, matris sedulitas in officio, inuictum animi robur in sexu fragili. Quàm fuerit illi cordi uirginea puritas, uel hinc liquet, ꝙ ad ingressum angeli turbata est, referente Luca. Nimirū intelligebat, q̃ ingens esset thesaurus pudicitia: sed contrà quot insidijs obnoxia, quam multę perdiderunt priusquàm scirent, quantū boni possiderent. Quantum autem absunt ab exemplo Mariæ uirgines, quæ ultro procurrunt ad lusus & colloquia iuuenum, angelo longè dissimilium, quæ nutibus, facetijs, blanditijs, munusculis, & amatorijs epistolis prouocant etiā unde pereat uirginitas? Maria sponsum habebat, qui cum sub eodē tecto uiuebat, & tamē ad ingressum ignotę formę turbatur, omnia uel tuta timens. Quòd sponso nupserat, dedit gentis Iudaicæ consuetudini, dedit autoritati parentum, & tamen uirginitas erat in uotis. Id aperit, quū ait: Virum non cognosco. Nam hîc uerbū præsentis temporis, animi propositum significat. Multas ab impudicitia deterret infamia. Maria dum amore integritatis negligit infamiam sterilitatis, utrumq́ promeruit, uidelicet, ut uirgo deum progeneraret. Qua uerò fronte prędicant se cultrices huius uirginis, quæ in ipsa uirginitatis professione nequiter lasciuiunt? quæ iam anus & effœtę, tamen adhuc intempestiua libidine pruriunt?

riunt? Iam quod in muliebri ſexu fœdũ eſt, multo fœdius eſt in ſexu uirili. Quæ uirgines uideri uolunt, exemplo Mariæ totæ ſint uirgines. Quædam enim corpus habent intactum, ſed cultus nõ ſine fucis parum pudicus eſt, laſciuiunt oculi, lingua petulans eſt, fractus inceſſus. Si uerò caſtus eſt animus, reluceat huius integritas, et in his rebus quę foris ſunt. Dixerit aliqs: Quid flagitij eſt, ſi uirgo ſpõſum ambiat? ſi uenatur quemlibet ſponſum, uirgo non eſt: ſin probum, nullum lenocinium efficacius apud bonos, ꝙ pudor, ꝙ ſilentium, ꝙ ſimplex in cultu mundicies. Eſt & in matrimonio ſcortatio, quemadmodum eſt & caſtitas deo gratiſſima. Imitentur coniugati Ioſeph & Mariæ coniugium, ſaltem quantum patitur carnis infirmitas. Qui cum uxoribus turpiter certant libidine, qui maiore nequicia cum illis luſitant & cõfabulantur, q̃ ſolent cũ proſtibulis, nec mariti ſunt, nec uxores habent pro uxoribus. In matrimonio caſto & coniugij uſus debet eſſe uerecundus. Nunc repperit hominum peruerſitas, ut cum uxore quoqꝫ committatur adulterium. Simplicitatis argumentum hoc erat, ꝙ cum adamaret unicè perpetuam uirginitatem, tamen animo ſimplici uiuebat puella cum iuuene ſponſo. Nunc audite huius uirgunculæ prudentiam: Non ſtatim reſalutat angelũ, nec exilit, ſed quieta manens, cogitat qualis eſſet illa ſalutatio. Et rurſus promiſſo partu tam magnifico nec diffidit pollicẽti, nec geſtit inſolenti gaudio, ſed modeſte quęrit ab angelo, qua ratione futurũ eſſet, quod promittebatur incolumi uirginitatis theſauro. Viderat cõcurſum paſtorũ, uenerationem magorum, prophetias Annæ & Simeonis audierat, & tamen nihil horũ muliebri facilitate effutit, ſed tacita colligit & cõſeruat in corde ſuo. Certiſſimum argumentũ prudentię eſt etiam in uiris, poſſe tacere tantam felicitatem. Vnde tantum prudentię in uirguncula, in puella tenera, ac rerum imperita? Sera miſeraqꝫ prudentia eſt, quæ diutina malorum experientia contingit homini. Etiam puellarum ac puerorum pectus implet ſenili prudentia ſpiritusſanctus. Purget quiſqꝫ ſuũ pectus à uitijs, ut immigrare dignetur ille ſpiritus ſapientiæ largitor. De felicitate uerò Mariæ quid attinet dicere? Quis unquam ſalutatus eſt honorificentius ab angelo, cui magnificentiora promiſſa delata ſunt? Legationem ad uirginem mittit ille cœli terræqꝫ conditor. Gabriel pronubum agit, promittitur proles, qualis nulli promiſſa eſt: Hic erit magnus, & filius altiſſimi uocabitur: & dabit illi dominus ſedem patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quid his pollicitis ſublimius? Eorũ ut iam fides eſſet facta per angelum, num tanta felicitas minuit uirgunculæ modeſtiam? Nequaquã: ſed auxit potius: Ecce, inquit, ancilla domini. Ex tanto negocio nihil glorię ſibi uindicat, ancillam tantum profitetur obediens & ſequens quocunqꝫ uocaret domini uoluntas. Iam cœleſti fœtu grauida, non dedignatur officij cauſa uiſere cognatam anũ et grauidam. Audit ab Eliſabeth: Vnde hoc mihi,

ut ueniat mater domini mei ad me? Illa tamen sui similis accinit: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Beatitudinem suam prædicat, non dignitatem: nec dicit, quia promerui, sed: quia fecit mihi magna, qui potens est. Nec dicit: Et sanctum nomen meum, sed: sanctum nomen eius. Cumq́ sibi conscia esset, quod talem fœtũ haberet in utero, tamen non fastidit maritum. Quicquid uxor obsequẽs præstat coniugi, hoc illa multo cumulatius præstitit Ioseph. Cum illo proficiscitur ad censum, quẽ Cęsar indixerat: cum illo circuncidit puerum, cum illo peragit omnem purificationis ritum: hunc sequitur in Ægyptum. Iam enim angelus Ioseph apparuerat, non Marię, ut autoritas esset penes uirum: huic hæret rediens ex Ægypto, nec dedignatur uulgo dici cõiunx fabri: nec pudet humilium fratrum ac sororum: nec moleste fert, filium suum haberi filium Ioseph, quem & ipsa patrem appellabat Iesu. Nulla unquam fuit uxor, quæ reuerentius obediuit suo marito, quàm dei genitrix. Audite cultrices uirginis: quid hic dicent nouæ nuptæ, quæ forma & ætate feroculę sponsos aspernantur suos? Quid matronæ, quæ dotem subinde maritis exprobrant, nonnunquam & ædibus eos exigunt, perinde quasi dominæ sint, non coniuges. Quid, quæ totam domum rixis ac iurgijs subuertunt? Maria religiosissime morem gerit, & obseruat suum Ioseph: nec unquàm responsat, aut præit marito: & uos pudet obsecundare maritis, sine quibus steriles estis & inhonorę: & quibus uos subdidit domini et apostoli Pauli autoritas? Nec dubium, quin quanta obseruantia usa fuit erga coniugem, tanta sedulitate curarit filium. Ducit quotannis ad templum, ut à teneris annis imbiberet pietatem. Desideratũ quanta solicitudine quærit? nec conquiescit, donec inueniat. Quid Maria timuit filio suo? Num quod leuitatis indicium uiderat in illo? Nequaquàm: sed uos admonuit matres, ætati teneræ nullam satis magnam curam præstari posse: Fragilis est, & in omne uitium sequax. Irreligiose colunt Mariam, quæ suorum liberorum nullam curam gerunt, quasi satis sit genuisse: imò quædam gestationis tædium ac lactandi laborem impijs artibus submouent. Neq; minus peccant, quæ malis exemplis inficiunt imbecillem ætatem, quæ balbutientem infantiam docent nequitiam. Maria sollicita est de filio Iesu, & tu prostituis ac prodis filium & filiam omni turpitudinis generi? Nimirum hinc est, quod multas pœnitet fœcunditatis, quia bene natos male educant, quum parentum officium peculiarius sit instituisse, quàm genuisse. Qui possunt autem bene instituere, qui uel foris agunt, uel domi turpiter uiuunt, ut ex parentum conuictu filij discant turpiloquium, lasciuiam, temulentiam, rixas, aleam, futilitatem, obtrectationem? Verũ ingens campus sese nobis aperit, si uelimus sanctissimæ uirginis eximias uirtutes ad nostram conferre uitam: sed tamen plurimũ utilitatis capiemus, si nostros mores undiq; corruptos ad illius exemplum emendare studebimus. Superest, ut de fortitudine uirginis nonnihil attingamus.

Nam

Nam utrunque magnanimitatis est indicium, nec insolescere rebus prosperis, nec aduersis frangi. Quum inclaresceret tot miraculis adorandum Iesu nomen, nusquam legimus sacrosanctam uirginem ullam laudis portionem sibi uindicasse: imò uix ulli miraculo legimus eam interfuisse, nisi quum in nuptijs aquas uerteret in uinū. Audiebat omnia, tacitaque conferebat in corde suo, semper ancillæ personam gerens, quam fuerat professa. Simili constantia tulit, quum filius unice charus ob pharisæorū insidias crebro periclitaretur: denique cum caperetur, ligaretur, cæderetur, damnaretur, duceretur. Flebant aliæ mulieres, & à domino reprehensæ sunt. Quid hic sensit pectus maternum? Sensu non caruit. Doluit dolore filij, sed affectum humanum spiritus robore coërcuit, compressit singultus, repressit erumpentes lachrymas, ac cæteris discipulis metu dilapsis, sola cum Ioanne stabat iuxta crucem filij. Contumeliosæ picturæ sunt, quę representant eam collapsam, ac syncopi stupefactam, exanimatam dolore. Non eiulabat, non lacerabat capillos, non percutiebat pectus, non se clamitabat infelicem. Plus capiebat consolationis ex redemptione generis humani, quàm doloris ex morte filij. Et hic ancillam se præbuit ei, cui uisum est hoc modo restituere mortalium genus. Et feliciter se genuisse cogitabat, quæ salutis autorem genuerat orbi: publicam felicitatem anteponebat dolori priuato. Vbi nunc sunt fœminæ, quæ ob pecuniam amissam, aut leuius etiam malū dolore abortiunt? Vbi uiri, qui ob filiolam defunctam, querimonijs ac ploratibus insanis miscent omnia? Maria spectatrix acerbissimæ mortis filij fuisse legitur, plorasse aut questa fuisse nō legitur. Flebant aliæ mulieres, & præ desiderio sublati domini, quem nondum spiritualiter amabant, penè delirabant, sola Maria pectus incōcussum habens, tacet, expectans uoluntatē altissimi. Vos fortasse suspicamini, rem humilem et infirmam, esse seruam aut ancillam domini, nulla res magis est inuicta. Qui se semel tradidit arbitratui domini, nec aliò refert laudem, si quid obtigit felicitatis, nec aliunde sperat pręsidium, si res aduersæ premunt, nullis satanę technis aut terroribus concuti potest.

S. CORNELIVS MARTYR.


Ornelius natione Romanus, patre Castino, Decij temporibus fuit. Qui è Pannonia inferiore Budaliæ natus interfectis Philippis imperium sumpsit, odio in Christianos exardens propter Philippos eiusdem sectæ imitatores. Verum cum postea biennio cū filio Cæsare imperasset, à Barbaris opprimitur, adeo ut eius cadauer nusquam repertum sit. Digno certè damnatus iudicio, qui septimam post Neronem persecutionē in Christianos mouens, multos sanctissimos uiros interemit. At uerò sub episcopatu Cornelij, qui apostatas recipiendos censebat, pœnitētes præsertim, Novatus Nouatianum Ex platina.

extra ecclesiam ordinauit, & in Aphrica Nicostratū: quam ob rem confessores, qui à Cornelio secesserant, cum Maximo presbytero ac Moyse sentientes, ad ecclesiam reuersi, ueri confessoris nomen adepti sunt. Verum postea instantibus hæreticis, Cornelius Centumcellas in exiliū mittitur, ad quem Cyprianus Carthaginensis episcopus in carcerem coniectus literas mittit, quibus intellexit & amici calamitatem & exilij sui confirmationem. Extant & aliæ Cypriani ad Cornelium epistolæ plenæ religionis & fidei: sed illa potissimum elegans habetur, qua Nouatū discipulum quendam suum accusat & damnat. De eadem quoq; hæresi et Dionysius Alexādrinę urbis episcopus, Origenis olim auditor, ad Cornelium scripsit. Nouatum prætera alia epistola reprehendit, q̄ à cōmunione Romanæ ecclesiæ discessisset, quodq́; etiam se inuitum ad Pontificatum obeundum diceret esse deductum. Tum ille: Si inuitus Nouate (ut dicis) designatus es, probabis, cum uolens secesseris. Cornelius aūt priusq́; in exilium mitteretur, instante Lucina matrona sanctissima, corpora Petri & Pauli è catechumbis, ubi minus tuta esse uidebant̄, noctu leuant. Paulum Lucina in prędio suo uia Hostiensi collocat, eo loci ubi interfectus fuerat; Petrū uero Cornelius apud locum reponit, ubi crucis martyrium subierat, in templo Apollinis, ad radices aurei montis tertio Calendas Iulij. At uerò Decius ubi intellexit, Cornelium literas à Cypriano accepisse, eum à Centumcellis Romam perduci iubet, quē ita in Telluris templo astante urbis præfecto alloquitur: Sic (inquit) obstinate uitam ducere instituisti, ut neq; deos cures, neq; pręcepta uel minas principum timeas, & contra rempub. literas accipias, ac mittas? Huic Cornelius: De laudibus Christi, de ratione redimendorum animorum, non de imminutione Imperij literas accepi & reddidi. Tum Decius iratus, sanctissimum uirum plumbatis cędi (genus id flagelli est) atq; deinceps ad templum Martis duci iubet, ut simulachrum eius adoraret: id si facere abnueret, pœna capitali afficeretur. At uir sanctus dum ad supplicium duceretur, omnia bona sua Stephano archidiacono commisit. Post hoc uerò tertio Nonas Maij obtruncatur. Huius corpus beata Lucina unà cum quibusdam clericis noctu sepeliuit in arenario prædij sui, uia Appia, non longe à cœmiterio Calixti. Sunt qui scribant, hunc pontificem sub Gallo & Volusiano passum. At ego multo magis Damaso credo, qui Decij iussu hoc factum affirmat. Cornelius autem mense Decembri sacrorum initiandorū potestatem bis fecit, unde presbyteros quatuor, diaconos quatuor, episcopos septem creauit. Sedit annis duobus, mensibus duobus, diebus tribus.

S.CY-

S. CYPRIANVS MARTYR.



Emporibus Valeriani iniquissimi Imperatoris, fuit in Carthagine, quę est in Africa, gloriosissimus uir, nomine Cyprianus: qui primo quidem Rhetoricam docuit: deinde à quodam presbyteron, omine Cæcilio, conuersus ad fidem Christi, nomen quoq; sortitus est Cæcilius: qui omne culmen gestiens assequi Christianæ religionis, perfectionem (quam Christus consulenti iuueni de uita æterna deprompserat) sequutus, omnem substantiam suam pauperibus erogauit, ut nudum mater ecclesia susciperet, quem nudum mater carnea terræ edidisset: ueraciter perspiciens, non posse perfectè in inenarrabili Dei sapientia philosophari, terrenis cupiditatibus innixum. Nanque ita Dei ineffabili sapientiæ contemplandæ se tradidit, ut toto orbe prope notissimus, sole clarius extent eius innumera uolumina, quæ in Euangelijs & alijs uoluminibus optimè perorauit: chronicā quoq; ualde utilem composuit, & exhortatorias ad multos sanctorum epistolas, in quibus ardorem fidei uelut bonus demonstrauit athleta. Post multum uerò temporis, ut non abdita maneret lucerna sub modio, sed ut luceret instar stellæ spiritualis solis, posita est super candelabrum, ut præsentes & secuturi agnoscerent, non debere doloribus momentaneis cedere, quibus perpetua beatitudo fixa maneret. Deniq; comprehensus à ministris Paterni proconsulis Carthaginensis, ante eum in quoddam secretarium adductus est, cui ita dixit: Sacratissimi imperatores Galienus & Valerianus ad me literas dirigere dignati sunt, in quibus sanxerunt, ut omnes homines, deos, quos Romani adorant, debeant adorare: & qui contempserint hoc pręceptum, gladio feriantur. Audiui uerò, q̧ tu deorum cultum pro nihilo ducas: unde hortor, ut consulas tibi, & deos honores. Cyprianus respondit: Christianus ego sum, & nullos alios deos noui, nisi unum & uerum Deum, qui creauit cœlum & terram, mare et omnia quę in eis sunt. Huic Deo Christiani seruimus: hunc noctéq; dieq; deprecamur pro omnibus, etiam pro imperatoribus. Paternus proconsul dixit: Si in hac uoluntate perseueraueris, pessima morte peribis. Sanctus Cyprianus episcopus respondit: Bona uoluntas est, quæ Deum timet: & ideo non potest immutari. Paternus proconsul dixit: Quia in hac uoluntate permanes, secundū præcepta principum exilio deputandus es. Sanctus Cyprianus respondit: Exul non erit, qui Deum in mente habebit: quoniam Domini est terra & plenitudo eius. Paternus proconsul dixit ad eum: Antequàm proficiscaris, dic ubi sint presbyteri, qui in hac ciuitate esse dicuntur, uel similes tui. Sanctus Cyprianus respondit: Bene atq; uiriliter legibus uestris sanxistis, nullos delatores fore debere: idcirco à me prodi non debent, sed à uobis inueniantur: quia & hoc censuistis, ut nullus se ultro offerret. Proconsul

Ex Cypriano.

dixit: Ego à te cum tormentis eos exquiram. Sanctus dei respondit: Per me non perdentur. Proconsul dixit: Præceptum principum est, ne qui Christiani conciliabula faciant, uel cœmiteria ingrediãtur: & si quis hoc uiolauerit, gladio animaduertatur. Sanctus dei respondit: Fac quod tibi præceptum est. Cum ergo uideret animum eius immutabilem in religione diuina, fecit eum in ciuitate Furabilitana exulari, ubi aliquandiu exemplo boni operis multis profuit, nemini obfuit. Cumq; ibi domino in sanctitate deseruiret, mortuus est Paternus proconsul. Et ipse de exilio regressus, in quodam hortulo commanebat. Cumq; de eo perlatum esset ad Galerium Maximum, qui Paterno successerat, misit duos ministros, & iussit eum ad se adduci. Qui quũ uenissent ad eum, leuauerunt eum in curru suo, & ad Galerium Maximum perduxerunt. Qui quum uidisset eum, ait: Tu es Statius Cyprianus? Sanctus Cyprianus respondit: Ego. Galerius proconsul dixit: Tu es quẽ Christiani papam suum nominant? Sanctus dei respondit: Ego. Proconsul dixit: Iusserunt tibi principes nostri adorare deos. Sanctus dei respondit: Non faciam. Proconsul dixit: Melius facies, si saluti tuæ consulas, & deos nõ contemnas. Sanctus dei respondit: Salus mea & uirtus mea Christus dominus est, cui sine fine seruire desidero. Proconsul dicit: Vitæ tuæ doleo, & uellem consulere tibi. Sanctus Cyprianus respondit: Consultum mihi melius non esse quæro, quàm ut Deum meum adorans, ad ipsum tota mentis auiditate festinem: quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Iratus Galerius proconsul ait: Diu sacrilega mente uixisti, & nephariæ conspirationis homines aggregasti tibi, & inimicum te dijs & sacris religionibus eorum prębuisti: & non æquissimis consilijs principum assensum unquam pbuisti, sed semper autor iniqui nominis & signifer extitisti, & ppterea cæteris quos sceleri tuo aggregasti, exemplum eris, & in sanguine tuo discent disciplinam. Tunc ergo dictauit sententiã, dicens: Statium Cyprianum dijs libamina offerre renuentem, gladio animaduerti placet. Cumq; duceretur ad decollandum, sequebatur eum multitudo populi, & alij clamabant: moriamur simul cum sancto episcopo. Et quum peruenisset in locum, qui dicitur Sextus, quarto ab urbe miliario, expoliauit se birro, & tradidit carnificibus: Dalmaticam uero tradidit diaconibus, & stetit in lineis, expectans spiculatorẽ. Et dum ille appropinquasset, iussit, suis illi dare uiginti aureos. Cumq; prostrauisset sese in terram, orauit cum lachrymis, & à fratribus linteamina offerebantur, unde oculos sibi tergebat. Et cum surrexisset ab oratione, sententia ex tabella recitata est, ita: Statius Cyprianus gladio feriatur. Et statim respondit sanctus dei: Amen. Et ceruicem obtulit gladio, temporalemq; uitam finiuit, recepturus à Deo sine fine perpetuam. Sic ergo beatus Cyprianus subsequutus est fide gloriosa sanctũ Corneliũ eodem martyrij genere, eodem

eodem passionis die, licet non eodem anno, deuicto diabolo, triumphator migrauit ad cœlum. Et sicut scriptum est: Quomodo in uita sua dilexerunt se, ita & in morte nõ sunt separati. Ambo fide clari, ambo cõstãtia, ambo martyrio gloriosi. Nos ergo fratres oremus omnipotentẽ Deum pro serenissimo Imperatore Carolo, quatenus qui beatũ Cornelium papam & martyrẽ de Romanis partibus ob munimẽ sui, cunctorumq́ꝫ fideliũ sibi proximari fecit, ac nos de tam magno patrono honorauit: per suffragia huius inclyti martyris beatitudine perennis uitæ sibi concessa, sanctorũ omniũ quos uenerabiliter excoluit, consortia adipisci mereamur perpetuo obtinenda, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre uiuit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

DE SANCTA CRVCE CHRISTI.

SErmo crucis ijs qui pereunt stultitia est, nobis autem qui salute respiramus, uirtus Dei est. Nam spiritualis omnia dijudicat: animalis uero homo nõ suscipit ea quæ spiritus sunt. Stultitia enim ijs qui fidem nõ suscipiunt, & bonitatem & omnipotentiam Dei non existimant, sed humanis & naturalibus cogitationibus diuina scrutantur. Omnia enim Dei sunt super naturã, adhuc & super sermonẽ & mentẽ. Quis enim cogitauerit quo pacto ex nihilo adesse, et cuius gratia deduxerit Deus uniuersa? Si naturalibus cogitationibus inuenire uoluerit, non apprehendet: Animalis eñ est hæc indagatio, & dæmonica. Si quis uero fide manuductus, bonitatem, omnipotentiã, ueritatem, sapientiam, iustitiã & diuinitatem cogitet, inueniet omnia leuia & plana, & uiam rectã. Sine enim fide impossibile est saluari: Nam fide omnia & humana & spiritualia constant. Neq; eñ agricola sine fide incidit terrę sulcum, neq; mercator paruo lingno suam ipsius animam insano maris pelago cõmittit, non nuptiæ fiunt, non aliud quicquã in uita sine fide. Fide intelligimus ex nihilo adesse omnia dei uirtute deducta esse: omnia & diuina & humana fide dirigimus. Fides autem, est inscrutabilis consensus. Omnis igitur actio & miraculifera operatio Christi, maxima, diuina, & summe admiranda, omnium tamen admirabilissimũ est preciosa ipsius crux. Per nullum enim aliud mors primi parentis destructa est, primi parentis peccatum solutum, infernus spoliatus, resurrectio donata, uirtus nobis contemnendi pręsentia mortemq́ꝫ ipsam elargita, ad antiquam beatitudinem regressio reparata, portę paradisi patefactę, natura nostra in dextris Dei sedens, filij Dei & hæredes facti, nisi per crucem Domini nostri Iesu Christi. Per ipsam enim hæc omnia mirifice sunt impleta. Nam quicũq; baptizati sumus in Christo (ut inquit Apostolus) in morte eius baptizati sumus; & quicunq; in Christo baptizati sumus, *Ex Iohanne Damasceno.*

Christum induimus. Christus autem est Dei uirtus & sapientia. Ecce mors Christi, id est crux, hypostatica Dei uirtute & sapientia circundedit nos. Virtus siquidem Dei, est uerbum crucis: aut quia potentia Dei, id est, contra mortē uictoria, per ipsam nobis manifestata est. Aut quia quemadmodum quatuor extrema crucis per medium centrum continentur & constringūtur, sic per Dei uirtutem altitudo & profunditas, longitudo & latitudo, id est, omnis uisibilis & inuisibilis creatura continetur. Hoc nobis signum datum est super frontem: quemadmodum Israëli circuncisio: per ipsam enim fideles ab infidelibus & distamus & discernimur. Ipsa est scutum & arma & trophæum aduersus diabolum. Ipsa signaculum, ut non tangat nos exterminator, ut inquit scriptura. Ipsa iacentium erectio, stantium firmamentum, baculus debilium, pastorum uirga, conuertentium manuductio, proficientium perfectio, *animæ* salus & corporis, omnium malorum auersio, omnium bonorum causa, peccati destructio, arbor resurrectionis, lignum uitæ æternæ. Ipsum nimirum preciosum lignum, & per quam uere uenerandum, in quo semet ipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, ut sanctificatum tactu sancti corporis & sanguinis decenter adorandum: clauiq́ & lancea, & indumenta, & sacra ipsius tabernacula, quæ sunt præsepe, spelunca, golgotha, crux, uiuificum sepulchrum, Sion ecclesiarum propugnaculum, & similia: ut Dei parens ait Dauid: Introibimus in tabernacula eius, adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius. Quod autem crucem dicat, ostendit quod sequitur: Resurge Domine in requiem tuam: Sequitur enim crucem resurrectio. Si enim amatorū desiderabilis domus, & lectus, & amictus, multo magis Domini & saluatoris nostri, per quę & saluati sumus. Adoramus etiam figuram preciosæ & uiuificæ crucis: tametsi ex alia materia facta est, non materiam uenerantes (absit enim) sed figuram, tanq́ Christi signum. Dixit enim discipulis suis contestans: Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, crucem dicens. Et idcirco mulieribus dixit resurrectionis angelus: Iesum quæritis Nazarenū, crucifixum. Et Apostolus: Nos aūt prædicamus Iesum Christū, & *ipsum* crucifixum. Multi enim Christi & saluatores, sed unus crucifixus. Non dixit lancea perfossum, sed crucifixum. Adorandum est igitur signum Christi: ubi enim fuerit signum eius, illic & ipse erit. Materia aūt ex qua figura crucis exprimitur, siue sit aurū, siue lapides præciosi, aut alia quæuis materia, post figurationem si contingat dissolui, non adoranda. Omnia igitur quæ Deo adiacuerunt adoramus, ipsi reuerentiā pietatisq́ cultum exhibentes. Hanc preciosam crucem pręfigurauit uitę lignū, quod in paradiso plantatū est à Deo. Nam posteaq́ per lignum mors, oportebat per lignum donari uitam & resurrectionem. Iacob adorans summitatē uirgæ, alternatis cancellatisq́ manibus filios Ioseph benedicens, signum crucis manifestissime descripsit. Virga Mosaica in similitudine

crucis

crucis mare percussit, & saluauit Israël, Pharaonem autem submersit. Manus cruciformiter extensæ, Amalech reppulerunt. Ligno amara aqua, dulcis facta est, & petra rupta, & profundens fluenta. Virga Aaron, sacri pontificatus insigne fuit. Serpens in ligno triumphatus qui mortuus est, ligno mortuũ uidentes inimicum saluante, credentes quod Christus in carne peccati peccatum non sciente, in cruce peccata affixit. Magnus Moses clamat: Videbitis uitam uestram pendentem in ligno ante oculos uestros. Et Esaias: Tota die expandi manus meas ad populum discredentem & contradicentem. Qui hanc igitur adorant, participes fiant Christi crucifixi, Amen.

DE POTENTIA CRVCIS.

Ex Prudétio

HOc signo, inuictus transmissis alpibus ultor
Seruitium soluit miserabile Constantinus.
Quum te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum
Vt scis ipsa patres, aut sponsus fœdera pactæ
Intercepta gemens, diroq́ꝫ satellite rapta,
Immersus tenebris, dura inter uincla luebat.
Aut si nupta thorum regis conscendere iussa,
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum patrumq́ꝫ ergastula sæui
Principis, abducta genitor si uirgine mussans
Tristius ingemuit, non ille impune dolorem.
Prodidit, aut confessa nimis suspiria traxit.
Vim libertatis nimiæ, patriumq́ꝫ dolorem.
Testis Christicolæ ducis aduentantis ad urbem
Moluimus, exceptum Tyberina in stagna tyrannum
Præcipitans, qua nam uictricia uiderit arma
Maiestate regi, quod signum dextera uindex
Prætulerit, quæ tali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo,
Qui tunc concreto processit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede uasta,
Complexusq́ꝫ pedes uictoris, ad inclyta flendo
Procubuit uexilla iacens. Tunc ille senatus
Militiæ ultricis titulum, Christiq́ꝫ uerendum

Nomen adorauit, quod collucebat in armis.
Ergo caue egregium caput orbis inania post hæc
Prodigia, esse deos solito tibi fingere cultu,
Atq; experta Dei uirtutem spernere ueri.
Deponas iam festa uelim puerilia, ritus
Ridiculos, tantoq; indigna sacraria regno.
Marmora tabenti respergine tincta lauate
O proceres, liceat statuas consistere puras
Artificum magnorum opera, hæc pulcherrima nostræ.
Ornamenta cluant patriæ, nec decolor usus
In uitium uersæ monimenta coinquinet artis.
Talibus edictis urbs informata refugit
Errores ueteres, & turbida ab ore uieto
Nubila discussit, iam nobilitate parata
Æternas tentare uias, Christumq; uocantem
Magnanimo ductore sequi, et spem mittere in æuum.
Tunc primum senio docilis, sua sæcula Roma
Erubuit, pudet exacti iam temporis, odit
Præteritos fœdis cum religionibus annos.
Mox ubi contiguos fossis muralibus agros
Sangnine iustorum innocuo maduisse recordans,
Inuidiosa uidet tumulorum milia circum
Tristis iudicij magne pœnitet, ac ditionis
Effrenis, nimiæq; sacris pro turpibus iræ,
Compensare cupit teterrima uulnera læsæ
Iustitiæ, sero obsequio, ueniaq; petenda,
Ne Tanto imperio meneat pietate repulsa
Crimen senitiæ monstrata piacula quærit,
Inq; fidem Christi pleno transfertur amore.
Laurea uictoris Marij minus utilis urbi,
Quũ traheret Numidam populo plaudente Iugurtham
Nec tantum Arpinas consul tibi Roma medelę
Contulit, extincto iusta inter uincla Cethego,
Quantum præcipuus nostro sub tempore princeps
Præscripsit, tribuitq; boni: multos Catilinas
Ille domo pepulit, non sæua incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed tartara nigra animabus,
Internoq; hominum statui tormenta parantes.
Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanumq; forum, & Capitolia celsa tenebant.
Qui coniuratas ipsa ad uitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente ueneno
Censue

Censuerant, tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumphator latitanti ex hoste togatus,
Clara trophæa refert sine sanguine, remq; Quirini
Adsuescit supero pollere in sæcula regno.
Deniq; nec metas statuit, nec tempora ponit,
Imperium sine fine docet, ne Romula uirtus
Iam sit anus, norit ne gloria parta senectam.

S. MATTHÆVS APOSTOLVS.

Matth.ix.Luc.v.

PRogrediens tunc inde ad uectigalia, uidit *Ex Iuuenco.*
Consessu in medio Matthæum, protinus illi
Discipulis hærere iubet: nihil ille rerecusans,
Imperio Christi paret, gaudetq; secutus.

De S. Matthæo habet hæc Eusebius noster: Sed et reliqui domini ac saluatoris nostri discipuli, non solũ ex illis duodecim, sed & si qui extra hunc numerũ, de schola tamen Domini & Saluatoris nostri, sermonem aliquẽ, diuinitus inspirati, memoriæ reliquerunt, breuem hunc & succinctum per omnia esse uoluerunt. Igitur ex ipsis discipulis Domini, Matthæus tantummodo & Iohannes ad scribendum appulisse animum traduntur, necessitate quadam in hoc ipsum prouocati. Matthæus enim primo Hebræis prædicabat: Verum cum pararet transire ad gentes, patria lingua scripturam composuit, & ea quæ prædicarat, comprehendens, dereliquit his ad memoriam, à quibus proficiscebatur, ut gentibus prædicaret. Post hunc Lucæ & Marci scriptura Euangelica, &c. lib.iij.cap.xxiiij. Idem de Euangelio Matthæi Hebraice scripto, lib.iij. cap.xxxix. item lib.v.cap.x. D. Hieronymus in uiris illustribus de S. Matthæo sic: Matthæus, qui & Leui, ex publicano Apostolus, primus in Iudæa propter eos qui ex circuncisione crediderant, Euangeliũ Christi Hebraicis literis uerbisq; composuit. Quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est. Porrò ipsum Hebraicũ habetur usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoq; à Nazaræis, qui in Berœa urbe Syriæ hoc uolumine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animaduertendum, quòd ubicunq; Euangelista siue ex persona sua, siue ex persona Domini saluatoris, ueteris scripturæ testimonijs utitur, non sequatur Septuaginta translatorum authoritatem, sed Hebraicam, è quibus illa duo sunt: Ex Ægypto uocaui filium meum. Et: Quoniam Nazaræus uocabitur.

De sepulchris Apostolorum.

TEmpore S. Bonifacij, è cuius libro manuscripto excerpsi ego hæc, infra positis in locis Apostolorum corpora requieuerunt: Petrus & Paulus Romæ: Iohannes Euangelista in Epheso: Andreas in ciuitate Patras: Philippus Hierapoli in Asia: Matthæus in Ponto: Iacobus Hie

rosolymis: Barptolomæus Dollici in Phrygia: Thomas in Indiæ ciuitate Iotabis, Iacobus Alphæi in ciuitate Ioppe: Simon Zelotes in Cappadocia Cæsariæ: Iudas Iacobi in Byreto Phœniciæ ciuitate. Marcus Alexandriæ: Lucas Antiochiæ: Timotheus Ephesi: Stephanus Hierosolymis: Barnabas & Sylas in ciuitate Constantia in Cypro, &c.

S. MAVRITIVS, LEGIO'QVE Thebana.

Georg. Vuicelij.



THebæ urbs Ægypti olim populosissima, Plinio Diospolis, hoc est, Iouis ciuitas dicta, Apostolica prędicatione primũ ad Christi Iesu cognitionẽ adductæ, celeberrimam ecclesiam habuerũt: è cuius ceu lapidibus uiuis Mauritius, Exuperius, Victor, aliiq; permulti, domino seruatori suo cœlesti gloriosum triumphum exhibuerunt, idq; in sancti Euangelij non intermoriturũ decus. Susceperat Herculius Maximianus Cæsar Rom. expeditionem ingentem aduersus Galliarum rebellionem. Nam Bagaudæ colla sua Rom. imperij iugo subtrahere nitebantur, quo ausu postea omnes fermè Asiani desciuerunt. Ad eam expeditionẽ euocantur & Orientales fortissimi quiq;. Tametsi uerisimile est, tyrannum Maximianum dolo quosdam ex Orientis prouincijs, uidelicet Christianos, ut occasione quauis oblata, turmatim interficerentur, qui domi inquiri necariue non perinde poterant. Accidit igitur, ut tota legio Thebæorũ militum selecta, in Italiam ex Syria mitteretur. Huic uerò legioni militari præfectus fuerat uir ille Mauritius, quo ductante Thebani Romam intrarant. Ibi cùm fuissent à Marcello sancto pontifice in uerbi fide consolidati, exercitum imperatoris in Galliam usq; per Alpes sequuntur: sed ea mente, quòd occidi malint, quàm Euangelij fidem prodere. Atq; tum Cæsariani forte castra constituerant non procul ab oppido, quod alij Octodorum, alij Ottodorum appellant. In eo loco, instinctu satanæ, tyrannus impijssimus cœpit dæmonib. suis facere sacrũ, adq; eam impietatem conuocare, imò iussu suo cogere uniuersos milites, tàm Occidentis, quàm Orientis: sęuere mandans, ut per deorum aras iurarent, partim uno animo uelle se oppugnare Bagaudas, partim Christianos, dijs inimicos persequi. Ea de abominatione certiores facti Thebani, sine fuco Christiani, supersederunt Octodorum accedere, hærentes tantisper in loco quodã, iuxta Rhodanũ, uocant Agaunum: Nam hic extingui, quàm tantum committere sacrilegium maluerunt. Protinus ubi resciisset tyrannus sanctæ legionis institutum, accensus iracundia, militaris sacramenti nomine hanc attrahere tentat. Legio sine mora respondet, se Christianam planè, eam ob causam minime licere sibi, ut uel deos alienos adoret, uel deum suum pernegat, qui ut uiuus, ita unus est: Et ex abundanti statuisse se, quòd modis omnibus religionem orientali more traditam, tueri uelint. Quam Apologiam catholice credentium

tiam Thebanorum cum percepisset Maximianus, ilicò misit satellitium suum, præcipiens, ut è legione Christo deditorum stratiotôn decimus quisq; gladio feriretur. Atq; hic nullo mortis terrore postulati ad supplicium, ceruices suas ferro dederunt: ita enim illis & spiritus Domini suggessit, & Euangelij doctrina iussit. Post effusum cruorem innoxium sumpto animo, Mauritius orationem habuit mirifice uiuidam, nihilq; præter Christum spirantem, qua uidelicet Christianorum militum animos ad supplicij tolerantiã inflammauit simul, ac à resistendo cohibuit: Gratulor, inquiẽs, uirtuti uestræ cõmilitones optimi, q; religionis amore uobis Cæsaris minæ nullam attulêre formidinem, quodq; iuxta præceptum domini, gladium in uagina conditũ esse sinitis. Hactenus exempla sacris libris cõtenta legebamus, nunc uerò coràm quos imitari oporteat, ipsi aspeximus. Non magnopere curandum est, quid imperator iubeat, qui mortalitatis sorte mihi æqualis est. Sacramenta olim dedisse nos memini, q; contemptu lucis istius, defendere rempub. uelimus. Tũc quidem promisi corporis mei uilitatẽ, & spopondi hanc imperatorib. fidem, nec id temporis ullus mihi regna tamẽ cœlestia repromisit. Quid igitur Christo repromittente faciendum, si istud militiæ sacramentum ꝓmittere ipsi potuimus? Quare sit in nobis uirilis tantum animus, fides inuiolata permaneat, &c. Mox apostrophen adnectens, sic fatur: Milites quidem tui sumus Cæsar, ac ad defensionem reipublicæ arma Romana suscepimus: nec unquam aut desertores aut proditores extitimus, nec ignauiæ subiuimus infamiam: Quin tuis etiam præceptis præsentibus morem geremus, nisi Christiani dæmoniorum aras religione uitaremus. Comperimus decreuisse te, ut aut sacrilegijs pollueres, aut afficeres supplicio. Ne inquire in nos: En palàm Christianos, quotquot conspicis. Habes hic quidem nostra corpora potestati tuæ obnoxia, uerum animæ nostræ Christũ authorẽ uitæ respicientes, te nihil timebunt, &c̃. Hoc Euangelij classicum protinus ad imperatorem Octodori demorantem satellites referunt: unde in furorem acta belua, denuo iussit addecimare insignem pietate legionem. Quo scelere patrato, consurgens uexillifer Exuperius, ad Christo iuratam legionem hæc inter cætera uerba fecit: Aliud uobis, ô fratres cõmilitones, eligendum est prælij genus. Neq; enim his gladijs poterimus ad cœleste regnum pertingere. Robore nobis opus est, & inuictis animis, ut ad ultimũ usq; flatum, fidem quã Deo promisimus, integrã custodiamus. Proijciant dexteræ uestræ arma ista cum signis militaribus, &c̃. Eat truculentus satelles, & hæc imperatori renunciet: Milites quidem tui sumus Imperator, sed (quod liberius confitemur,) serui Dei. Tibi debemus militiam, at illi innocentiam, &c̃. Tenemus arma, nec malo resistimus: quandoquidem occidi, q̃ occidere malumus: atq; innoxij interire, q̃ noxij uiuere, ꝑoptamus. Quicquid aduersum nos nunc statueris, subire certum est. Christiani sumus, Christianos

Verba historie, ex Fuldensi bibliotheca.

ſtianos perſequi non poſſumus. Inexpugnabiles legionis huius animos cognoſce Cæſar. Tela quidē proijcimus, & exarmatas dextras tuus Cęſar ſatelles, ſed catholica fide pectus armatum, inueniet, &c. Hoc tyranno ſimulatꝗ eſt renunciatum, præcipit legionem omnē tam peditatu, ꝙ equitatu ſuorum cingi, & cinctam in uniuerſum iugulari. Qua ſtrage facta, opertam tellurem fortiter occumbentium corporibus, & riuulos fluitare ſanguine iuſtorum uidiſſes. Nulla unquam rabies tyrannica, extra cōmiſſum pręlium, tantam humanorum corporum cladem dedit. Dicitur Victor quidā ſuperueniſſe, dum à cede cruentiſſima Cæſariani læti epularentur: & cum percepiſſet, Chriſtianos trucidatos, doluit ſe ſuperſtitem. Atꝗ patefacta Chriſtiani nominis cōfeſſione, factus eſt ipſe quoꝗ Chriſti uictima. Additur in quodam codice, Aduenticiū, Octauium, & Solutorem, de quibus martyribus S. Ambroſius ſermonem Mediolani habuit, eiuſdem item fuiſſe legionis. Paſſos aiunt circa annum Domini CC. LXXXVII. Præfatio doctoris Eccleſiaſtici de his in hunc modum: Caterua fidelium diuino luſtrata lumine, ab extremis terræ finibus ueniens tibi domine fideliter ſupplicauit. Et tam corporeis bellatorum mucronibus circumſepta legio, q̄ ſpiritualibus etiam armis uallata, ad martyrium uigili conſtantantia properauit. Hos peſtifer tyrannus ut eos metu perterreret, ad internitionem ſupplicij gladio decimauit: atꝗ poſtmodum conſtanter eos perdurantes in fide, uniuerſos pariter capite plecti præcepit. Sed hi tanto charitatis ardore feruebant, ut eiectis armis flexo poplite paſſim geniculantes ſpiculatorū tela hilari corde ſuſciperent. Inter quos beatus Mauritius tuæ fidei amore ſuccenſus, decertando martyrij eſt coronam adeptus. Hæc Ambroſius.

S. COSMAS ET DAMIANVS.

Ex Romano breuiario.


Oſmas & Damianus fratres in Egęa urbe Arabię nati, quanquam erant arte medicinę docti, magis tamen Chriſti uirtute ſanabant oēs infirmitates. Quod audiens Lyſias præſes, *Diocletiano et Maximiano* imperatoribus adduci eos ad ſe iubet. *Qui cum* ab eo interrogati, nomina, patriam & religionem incunctanter expoſuiſſent, manus pedesꝗ uincti, quoniam dijs ſacrificare recuſauerāt, immaniſſime torquentur. Sed cū uiderentur cruciatus negligere, iuſſu pręſidis, ut erant ligati, in mare detrudebantur. Diuino tamen munere ſolutis uinculis è pelago ſunt incolumes egreſſi. Præſes autem hoc magicis artibus aſcribens, iubet eos in carcerē trudi, ac poſtridie eductos in magnum rogū immitti. In quo cum illæſi nihilo ſecius permanſiſſent, poſt innumera ſupplicia capitis obtrūcatione martyrio ſunt coronati, & ibidem à Chriſtianis ſepulti, v. Calend. Octob. Proceſſu uerò tēporis Romam tranſlati, in eccleſia ipſorum nomini dedicata, reconduntur.

S. Lu-

S. LVDOVICVS GALLIARVM REX.



Vdouico suffectus est Ludouicus filius, annos duodecim natus, quem in Blanchæ matris tutela pater reliquerat. Eius erudiendi sollicita mater, curam sine intermissione adhabuit, ita ut uigili studio elaboraret, Christianis illum institutis, præclarisq; moribus educari. Depudatis ad id negocium religiosis hominibus, ordinis præcipue Prædicatorum atq; Minorum. Quorum disciplina ita didicit uitæ sanctimoniam amare, ut illo tempore nemo religiosior sit habitus. At Ludouicus in Syria agens, ne repentino suo discessu hostis pacta non seruaret, permittit in Franciam fratrem Pictauiæ comitem, qui administrando regno operam cum Blancha matre daret. Ipse interim ut erat religiosissimus, cum Sydonem urbem peteret, Christianorum cadauera, quæ per uiam sepulta putridaq; iacebant, suis manibus sepeliuit. Ioppen quoq;, & alias per Syriam dirutas & maritimas urbes muris turribusq; muniuit. Peregrinatus preterea in ciuitatem Nazareth ad Thabor montem, Ioppen regressus est. Vbi nũcio de matris morte accepto, postq; debita deo pro matris animę salute persoluisset, post sextũ huius expeditionis annũ Franciam repetere constituit, in quã Angli incursiones facere parabant. Eadem tempestate Heremitarum ordo, qui Augustinensiũ appellatur, initium dedit sanctitatis. Cum Parasium uenisset, Ludouicus conuentu generali habito rempublicam reformauit, statutis optimis legibus de iure à iudicibus dicendo, & de officijs non emendis: de irreligiosis atq; execrabilibus iuramentis: de scortis, quibus domos & lustra habere ad explendam libidinẽ, interdixit. Vetuit præsides atq; prætores, quos aut ballinos, aut prępositos appellãt, possessiones in territorio suæ ditionis dum præfecturam gerunt, comparare. Liberos suos matrimonio copulare incolis ꝓuinciæ cui præsidebant, prohibuit. Per id tempus præfectura apud Parisios uenalis habebat̃, soliq; ciues precio illam sibi uel liberis suis cõparabant. Vnde fiebat, ut inopes premerentur, opulenti omnia licenter agerent, fures nullis pœnis afficerentur. Hanc uenalitatem rex prohibuit, constituto annuo stipendio ei, qui præfectus esset. Atq; ita Stephanum Boilleum iustitia atq; æquitate spectatum hominẽ prępositum instituit: qui officium adeptus, intra paucos dies statum ciuitatis longe tranquilliorem reddidit. Et cum inopum atque egenorum curam sollicitissime gereret, ijs qui luminibus orbati essent, locum Parisij assignauit: sacello atque cellulam ubi habitarent, extructis, quem cæcorum locum appellauit. Eius quoq; impensa complures religiosi cœnobia Parisij ædificauerunt: Ipsius Ludouici opus est domus hospitalis secus Sequanæ littus, prope templum diuæ Mariæ Parisieñ. Et præterea apud compendiũ sancti Nicolai diuersorium egenorum. Est & Rothomagi apostoli Matthęi cœnobiũ: & apud lon

gum

Ex Roperto Ganguino.

gum campum monasteriũ monialium diui Francisci regulã ꝓfitentium. Attribuit quoque diuerticulum poenitentibus foeminis, quæ à libidine resipiscerent: quas Dei filias appellauit. Carthusiensibus etiam extra urbem ad sancti Michaëlis portam monasteriũ dedit. Deduxit præterea ex monte Carmelo uiros religiosos, quos à monte ipso Carmelitas dicimus. Quibus apud Parisios locum ecclesiamq́ attribuit. Huiusmodi operum studiosus rex alieni quoq; minime tenax erat. Mortui regis ossa carne nudata ad sanctum dionysium elata sunt & humo cõmendata. Dum autem à Parisijs funus effertur, fuêre designatis locis stationes ubi pyramides cum lapideis statuis & Christi cruce constructæ, quæ ad hãc usq; diem persistunt. Eius tam religiosi principis plurima opera miraculis comprobata leguntur & creduntur. Omni quadragesima & per solennem Christi aduentũ, & diebus quatuor ab suscepta eucharistia uxoris concubitu abstinuit. Peccatorum confessionem omni sexta feria sacerdoti faciebat. Erat illi flagellum quinq; cathenulis ferreis confectum quod in eburnea pixide ferebat: quo à sacertote post factam confesionem detectis scapulis percutiebatur. Cilicio frequenter usus est. Eo cum admonente confessore abstineret cingulo cilicino ad nudam carnem utebatur: & nihilominus solidos XL. pauperibus sacerdotis ministerio dietim dari iussit. In archiuis Caroli quinti reperta est cartula præceptorum, quæ hic diuus rex filio suo primogenito dum Thunicium obsidebat, dictauit & scripsit. Quam ex Caroli thesauro receptam Girardus de Montaguto regius scriba Carolo exhibuit anno salutis M.CCC. LXIIII. Quæ omnia quia salutaris disciplinæ plena sunt, ita latina feci.

Deum libera menta amato, quo sine nemo saluus est.

Nullo illum crimine offendito.

Tolerabilior tibi mors esto, quàm peccatum.

Si te præmet aduesitas, durato, tanquam commeritus, hinc tibi prouentus accrescet.

Si prospera blandientur, gratias illi exsoluito: non superbito. Dementis est, ob acceptum beneficium in datorem extolli.

Perito & sapienti sacerdoti, tuam frequenter conscientiam aperito, qui te intrepidus male operantem libere reprehendat, doceatq́ quid sequaris.

Diuinam rem atq; ecclesiasticam religiose auscultato: Nec confabulator huc atq; illuc circumspectans, sed uoce menteq́ Deum orato, illo maxime tempore cum hostiam consecrat tractatq́ sacerdos.

In egenos pius esto, & miserijs illorũ pro tuis facultatib. subuenito. Cum tibi animus dolet, anxiusq́ erit, id quod molestum est aut sacerdoti, aut fido tibi amico reuelato: quodcunq; illud est leuius feres.

Religiosis aut probis sæculi uiris sæpius communicato.

Perditis autem atq; perfidis abstineto.

Sanam doctrinam clàm palamúe libens audito.
In quacꝗ re bonum diligito, malo ne faueto.
Nulli fas esto te coram loqui, quod peccati præ se ferat exemplum.
Igitur detractoribus dum ades fores recludito.
In Deum & sancta blasphemos indemnatos non prætérito.
Pro acceptis bonis Deo gratias sedulus agito: ut meliora recipere dignus habearis.
Erga Christicolas pro æquo & bono rigidus rectusꝗ́ esto: nec in ullam partem inclinato.
Pauperum causis eatenus faueto, quoad uerum se prodat.
Si aduersum te quæstio agatur, minus tibi ꝗ litigatori, donec uerum compereris, indulgeto: eo pacto ijs qui tibi assistunt consules, liberiusꝗ́ & sanctius iudicium ferent.
Si quid alienum ministri tui, uel ipse occupas, idꝗ́ certo nosti, mox restituto.
Si dubia res est, inquisitoribus qui uerum protinus prouideant committito. In hoc em̃ maxime te uersari decet, ut ij qui magistratus gerunt, quiꝗ́ tibi subduntur, quietissime uiuant, & inprimis uiris religioni & diuinis rebus addicti. Ego enim à maioribus accepi, Philippum optimũ regem, unde nostrũ genus deducitur, id diligentissime obseruasse. Cum enim ex consiliarijs eius aliquot ad eum detulissent, ecclesiasticos homines ditionem & regia iura usupare, unde sua dignitas atꝗ amplitudo læderetur: Credo, inquit, id quod loquimini à uero non abhorrere: Sed Dei beneficiorũ memor, meis aliquid rebus detractum iri malo, quàm Dei & ecclesiam et seruos in contentionẽ adducere, propter quod scandalum oriatur. Igitur Dei famulos ꝗ maxime potes diligito, & paci consulito.
Parentibus reuerens esto, eorumꝗ́ præcepta ne spernito.
Sacerdotia, id est, ecclesiastica beneficia bonis & optime merentibus conferto. Cum hæc facturus eris, prouidos ante homines consulito.
Bellum nisi apprime consultus in Christianum ne gerito. Si gerendum erit, ecclesiam atꝗ insontes protegito.
Omni bello & contentioni finem imponere, diui Martini exemplo quoad potes, studeto.
Prouidos tibi ministros et magistratus instituto, eorumꝗ́ mores & opera scrutator, nec domesticorum facta omittito.
Peccatis te obijcito.
Execranda iuramenta prohibeto.
Nouis sectis & hæresibus capita, id est, initia præscindito.
Domasticæ impensę curã adhibeto, eamꝗ́ rationis lege moderator.
Deniꝗ fili te hortor atꝗ obsecro, si præ te terris abiero, animæ meę obsequijs & rebus diuinis subuenito: & quę post hac feceris bonorum omnium mihi partem concedito.

Illud ad extremum fili chariſſime Deum precor, det tibi quaſq; benedictiones, quibus probatiſſimus pater filio benedicere poteſt. Et qui trinus & unus colitur Deus te cuſtodiat, aduerſum mala omnia te protegat, ita ut à te iugiter honoretur, unaq; cum illo poſt huius uitæ exitum uiuere & illum laudare mereamur.

Hæc in archiuis Ludouici Gerandus de Montaguto regius ſcriba ſe reperiſſe, & Philippo ſucceſſori præbuiſſe conſtanter affirmat.

S. EVARISTVS I.

Ex Platina.

EVariſtus natione Græcus, patre Iudæo nomine Iuda ex Bethlehem ciuitate, ad Traiani tempora peruenit, cuius principis ob ſingularem iuſtitiam & humanitatem libenter mentionem facimus. Nam ubiq; terrarum ita ſe æqualem omnibus præbuit, ut uſq; ad Iuſtiniani tempora in creatione principum ſit acclamatum: Felicior ſit Auguſto, ac Traiano melior. Præterea uero tantæ comitatis & humanitatis fuit in uiſendis ægrotis, ſalutandis amicis, celebrandiſq; paſſim feſtis diebus, inuitantiumq; conuiuijs, ut ei tanta benignitas uitio daretur, unde dictum illud imperatore dignum prodijt: Talem priuatis imperatorem eſſe oportere, quales ſibi priuatos optat habere. Honores autem, diuitias, facultates, præmia benemerentibus æque diſtribuit. Nulli quicquam iniuriarum fecit augendi ærarij gratia. Immunitates ciuitatibus inopia laborantibus dedit. Fluminum traiectiones ac itinera periculoſa tuto & ſaluberrimo opere compoſuit. Portum Anconitanum ducto prææalto & lato muro ad coërcendos maris fluctus muniuit. Nihil in uita agens, nihil cogitans, quod ad cõmunem utilitatem non pertineret. Hac tanta gloria belli domiq; parta, apud Seleuciam Iſauriæ ciuitatem profluuio uentris perijt, anno imperij eius decimooctauo, menſe ſexto: cuius oſſa Romam poſtea delata ſunt, & in urbe ſepulta urna aurea in foro, quod ipſe ſtruxit ſub columna Cochlide, quã adhuc cernimus, cuiuſq; altitudo centũ & quadraginta pedum eſt. At Euariſtus (ut Damaſus ait) titulos in urbe Roma presbyteris diuiſit, & ſeptem diaconos in ordinem redegit, qui cuſtodirent epiſcopum prædicantem propter ſtylum ueritatis. Idem cõſtituit, ne plebis in epiſcopum accuſatio reciperetur. Ordinationes ter habuit menſe Decembri, ac presbyteros ſex, diaconos duos, epiſcopos per diuerſa loca numero quinq; creauit. Huius tempore Papias fuit Iohannis auditor, Hieropolitanus epiſcopus, qui non tantum hiſtoriæ ueterum diſcipulorum domini, quantum uoce Ariſtonis & ſenioris Iohannis adhuc uiuentis delectatus eſt. Vnde apparet ex ipſa nominũ dinumeratione, cum omnium ferè Apoſtolorum mentionẽ feciſſet, alium eſſe Iohannem, qui inter Apoſtolos locatur: alium ſeniorem Iohannnẽ, quem poſt Ariſtonem numerat, qui

certè

certè doctissimus est habitus: quemq; etiam multi secuti ob doctrinam sunt, ut Irenæus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus Pictauiensis, Lactantius Firmianus. Quadratus quoq; Apostolorum discipulus, ecclesiam Dei tum periclitantem fide & industria sua, quoad fieri potuit, sustentauit. Nam cum Hadrianus tum Athenis hyemem agens, symmistesq; Eleusinæ omnibus penè sacris initiatus, occasionem sæuiendi in Christianos dedisset, Quadratus ipse librum Hadriano porrexit de honestate religionis Christianæ compositũ, plenum fidei & rationis. Idem fecit Aristides Atheniensis philosophus sub pristino habitu Christi discipulus: uolumen nanq; nostri dogmatis rationem continens, eodem tempore, quo & Quadratus Hadriano principi obtulit. His aũt apologeticis libris factum est, ut Hadrianus iniustum fore existimans, Christianos indicta causa ubiq; occidi, Minutio Fundano Asiæ proconsuli scripserit, neminem occidendum, nisi de accusatore et crimine constaret. Euaristus aũt (ut quidam tradunt) martyrio coronatur ultimo Taiani principis anno. Sed melius censent, qui sub Hadriano nondum in Christianos placato, id ei contigisse scribunt: annis enim nouem sedit, mensibus decem, diebus duobus. Sepultus est autem Euaristus in Vaticano apud beati Petri corpus VI. calendas Nouembris.

S. MICHAEL ARCHANgelus Dei.


Erba prophetæ Danielis hæc sunt: In tempore autẽ illo consurget Michaël princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui, &c̃. cap. xij. Verba sacræ Apocalypseos cap. xij. Factum est prælium magnum in cœlo, Michaël & angeli eius prçliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & nõ ualuerunt, neq; locus inuentus est eorũ amplius in cœlo, & proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui uocatur diabolus & satanas, qui seducit uniuersum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Et audiui uocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & uirtus, & regnũm Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni, & propter uerbum testimonij eius, &c̃. His subiungam, quç Histo. Trip. de Michaëlo loco tradit: Insignis, inquit, locus ex illo tempore claruit peregrinis & urbicis, ubi olim quidem Vesta colebatur, postea uero ecclesia facta est, qui locus nunc Michaëlum nũcupatur, in dextera positus parte nauigantium à Ponto ad Constantinopolim, distans ab ea nauigio quidem stadijs ferè triginta & quinq;: per terram uero circumeuntibus omnem sinum, usq; ad septuaginta & amplius tenditur. Sortitus est igitur is locus appellationem nunc usq; seruatam, eo quòd illic

manifeste cernitur apparere Michaël diuinus archangelus: quod etiam ego intus eximie uerum esse confirmo. Ostendit igitur hoc ita esse etiam multis alijs uirtus diuina per ipsarũ rerum experimenta. Quidam enim in causas difficiles aut ineuitabilia pericula, alij uerò in languores aut ignotas passiones incidentes, supplicantes Deo, liberari promeruerunt. Sed quæ singulis & quomodo illic miracula contigerint, narrare longum est. Quæ uerò prouenerint Aquilino nobis noto, & in causis forensibus socio, partim ab eo audiens, partim ipse cognoscens necessario pandam. Cum eum ardentissima febris rubris choleris mota comprehendisset, æstuanti poculum dederunt medici, quod euomuit: moxq; cum uomitu diffusæ cholerę superficiem uultus eius simili sui colore tinxerunt. Quamobrẽ quicquid comederet & biberet, euomebat. Cumq; hoc diu pateretur, nec esca ad nutrimenta proficeret, hærebat ars medicorum: & dum morti uicinus esset, iussit suis, ut se ad locum hunc ducerent, credens aut illic se mori, aut languore priuari. Iacentiq; per noctem diuina uirtus apparens præcepit, ut quicquid comederet, in huiusmodi potione tingeret, quæ esset ex pipere & uino & melle confecta. Quo facto, ab ægritudine liberatus est: quippe cum medicis ratione medicinæ uideatur esse contrarium, calida pocula cholericis exhibere.

DE ANGELIS DEI,

per Eras. Rotero.


Ngeli quoq; multis nominibus sunt nobis amandi, uel quia domino communi familiariter inseruiunt, uel quia iussu summi principis ex animo bene uolũt electis, additi nobis custodes aduersus impios spiritus, quorum præsentia nos deberet à peccando deterrere. Contristamus enim illos, & à nobis profligamus, quoties contemptis Dei præceptis satanæ paremus instinctibus. Ille cum suis satellitibus nusquam nõ uigilat, ut perdat: hi semper uigilant, ut tueantur. Tot enim casibus exposita est humana uita, ut pauci infantes peruenirent ad adolescentiam, pauci adolescentes ad uirilem ætatem, pauci uiri ad senectutem, nisi nostri curam assiduam gererent angeli. Par est redamare, qui nobis bene uolunt: par est uenerari, qui naturæ sunt sublimioris, & in amore Dei constabiliti. Deferunt nostra uota ad Deum, referunt ad nos illius munificentiam, solatium adferunt in afflictionibus: Nam & Christum in agone confortasse leguntur. Inspirant sacta desideria, adiuuant in tentatione: bonis nostris exhilarantur, malis quodammodo indolescunt, omnes expectant consummationẽ corporis Christi. Adorandi tamen non sunt, licet in ueteris instrumenti uoluminibus legamus adoratos angelos, uelut Geneseos xviij. Sed intelligendum est, uel illos in angelis adorasse Deum, uel adorandi uerbum positum pro uenerandi, quemadmodum legimus & reges adoratos. Quãquam hoc ipsum

ipsum honoris angelus recusat in Apocalysi, agnoscens, ad quam digni tatē per uerbū carnem factum subuecta esset natura humana, seq; conseruum profitetur, quum in ueteri Testamento patiantur se uocari dominos. De natura angelorum non est necesse altius philosophari, q̃ in canonicis libris traditum est. Angelos esse constat, ac per hos deum administrare res hominum. Ordinū quorundam tituli proditi sunt, quorundam etiam propria nomina. Mentes sunt incorporeę, quæ si quando apparent, assumptitiam speciē exhibent oculis. Dicūtur uiri, non q̃ ullus sexus sit in angelis, sed q̃ ea specie sese ostendūt. Quoniam aūt humanæ mentis hebetudo ægre credit esse, quod non uidet, expedit illud teneris protinus animis instillare, esse spiritus inuisibiles, testes omnium actionum nostrarum, atq; adeò cogitationum quoq;, quibus grata est sobrietas, pudicitia, ueritas, simplicitas, & quicquid ad ueram pietatem pertinet, ut omnes excludas homines, angelum tamen habes spectatorem. Similiter agendū, ut de sanctis uita defunctis religiosam imbibant opinionem.

DE MALIS ANGELIS.



CVm ergo numerus hominum cœpisset increscere, prouidens Deus, ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ potestatem dederat, uel corrumperet, uel dispergeret homines, quod in exordio fecerat: misit angelos ad tutelam cultumq; generis humani. Quibus præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, substantiæ cœlestis amitterent dignitatem: scilicet id eos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut ueniam sperare non possent. Itaq; illos cū omnibus cōmorantes, dominator ille terræ fallacissimus, consuetudine ipsa paulatim ad uitia pellexit, & mulierum congressibus inquinauit. Tum in cœlum ob peccata, quibus se immerserant, non recepti, ceciderunt in terram: sic eos diabolus ex angelis dei suos fecit satellites, ac ministros. Qui aūt sunt ex his procreati, quia neq; angeli, neq; homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta sunt: unum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus malorum, quæ gerunt auctores, quorū idem diabolus est princeps. Vnde Trismegistus illum dęmonarchen uocat. Dæmonas autem grammatici dictos aiunt, quasi δαήμονας, id est, peritos ac rerū scios. Hos aūt putant deos esse: sciunt illi quidē futura multa, sed nō omnia, q̃ppe quibus penitus consilium dei scire non liceat: & ideo solent responsa in ambiguos exitus temperare. Ex Lactantio Firm.

 S. Hiero-

S. HIERONYMUS ECCLESIÆ Presbyter.

Erasmus Roter.



Atus est uir eximius Hieronymus, anno à Christo nato trecentesimo trigesimoprimo, sub Imperatore Constantino, in oppido Stridonis, quo iam tum à Gothis omnia populantibus, euersum fuisse, testis est ipse in Catalogo scriptorũ illustrium, olim Dalmatiæ Pannoniæq; confinium. Erat illi frater natu minor, nomine Paulinianus, nam sororis nomen tacuit. Matertera Castorina, cum qua dissidij nescio quid intercesserat, ob rem (ni fallor) familiarem: quam tamen humanissimis literis ad concordiam inuitat. Patri nomen fuisse Eusebio, declarat ipse, quod Græcis à pietate dictum est, non absq; præsagio, quod pulchre conueniat, ut ex pio nascatur ille sacri nominis heros. Nam id sonat ἱερώνυμος. Atq; ea demum est digna Christiani nominis gloria, quæ non ex stemmatis, aut imaginibus, non ex oppidis euersis, aut concussis copijs, sed ex uita pie sanctéq; acta nascitur. Matris nomen nusquam ędidit: non tacens tamen, se parente utroq; Christiano genitũ. Ab his domi diligenter institutus, unà cum Bonoso inter ipsos statim parentum amplexus, & nutricum blanditias Christum imbibit, ac mox Christianæ pietatis rudimentis imbutus, simulq; bonis literis, quarum ea tum ætas capax esse poterat, puer adhuc Romam missus, uelut ad primariam eo sæculo tum religionis, tum eruditionis magistram, liberalibus studijs erudiendus, &c. Quamuis uerò illis temporibus, & apud Gallos, Hispanos & Afros, florerent literarum studia, tamen in prouincijs pro gentis ingenio nonnihil degenerantes, Romę uelut in suo fonte puriores adhuc erant, & incorruptiores. Hic interim apparet Hieronymũ Christo renatum, in illius iurasse uerba, ut hoc certè nomine Roma iure sibi posset hunc uirum asserere: quandoquidem à Baptismo deniq; censemur Christiani. Id satis indicat in epistola quadã ad Damasum papam, testificans sese eius urbis fidem uelle sequi, in qua Christi uestem accepisset. Nec enim de presbyterio sentit, opinor, sed in baptismo uestis candida dabatur, symbolum innocentiæ, & lotis mandabatur, ut candorem uestiũ suarum illibatum seruarent. Igitur in prophanis literis ad plenum eruditus, ad grauiora studia iam adijciens animum, hac etiam parte laudatissimos uiros est imitatus, uelut Pythagoram, Platonem, Apollonium, ut lustrandis regionibus sapientiæ supellectilem redderet auctiorem. Pensitatis aũt omnibus, ac circumspectis, monachi placuit institutum: quod ne quis in hoc erret, id temporis longe diuersum erat ab hoc, quod hodie uidemus, &c. Verũ post Bonosi secessum, & ipse Hieronymus ordinatis domi rebus, conflato uiatico, cum primis autem locupletissima bibliotheca summo studio comparata, Syriam adijt, Heliodoro tum itineris comite, tum propositi consorte. Sed statim non uno loco sedit, imò aliunde aliò uertit sedem, quo

tandem

tandem circumſpectis omnibus, habitaculũ ſuis accõmodum uotis deligeret, &c. Tandẽ uelut in ſemotiſſimam eremũ abdidit ſeſe, quæ Syriam à Saracenis diſterminat: ſatius eſſe ducens, cum feris ac prædonib. barbaris habere commercium, ꝙ̃ cum eiuſmodi Chriſtianis. Hic annos quatuor ab hominum frequentia ſemotus, cum ſolo Chriſto, cumꝙ; libris habebat cõmercium, &c. Primum erat ſtudiũ, adoleſcentiæ lapſus lachrymarũ imbre diluere, et laborum aſperitate ueluti nitri acrimonia, contractas per ætatis incogitantiam ſordes detergere. Inedia, uigilijs, & incredibili totius uitæ auſteritate rebellantem carnem, & ſubinde repullulantem ætatis laſciuiam cohercebat, corpus ſpiritui ſeruire docens, ne quid obſtreperẽt affectus cœleſtẽ molienti uitam, ipſe ſibi rigidus exactor ſupplicij, & inſtantiſſimus penſarum efflagitator atꝙ; ἐργοδιώκτης, ut uocat alibi, &c. Tempus omne ſtudijs & precibus partiebatur: bonam etiam noctiũ partẽ his operis addens, minima portio dabatur ſomno, minor cibo, nulla ocyo. Studij laſſitudinẽ recreabat deprecatio, aut hymnus: mox uelut integer ad intermiſſam lectionem redibat. Relegebat uniuerſam bibliothecã ſuã, ueterum ſtudiorum memoriam ſibi renouãs, ſacras literas ad uerbũ ediſcebat. Meditabatur in prophetis, in eruendis oraculorum myſterijs uigilantiſſimus. Ex Euangelicis & Apoſtolicis literis, uelut ex puriſſimis fontib. Chriſti philoſophiam hauriebat. Lectioni miſcebat ſcribendi ſtudiũ, ceu iam tum uelitans ac præludens tractandis literis diuinis. In his ſanctiſſimis laboribus, in hoc uitæ rigore, cum annos aliquot duraret, tamen fatetur nullum uitæ genus ſibi fuiſſe iucundius, &c. Viſebatur nonnunquam ab amiculis, uicinos monachos inuiſebat aliquoties, & literarum uiciſſitudine fruebatur amicis abſentibus. Tandem cõcito gradu Bethlehem ſuam reuerſus eſt, ubi adorauit præſepe & incunabula ſaluatoris: habuit comites Romanas matronas Melaniam & Paulam. Marcella tametſi & ipſa Bethlehemitico rure relicto, Romam ſe recepit metu Barbarorum omnia paſſim uaſtantium ac populantium, tamen in amicitia fideliſſime perſtitit, Hieronymianas partes acerrime defendens. Gregorium Nazianzenum præceptorem ipſe ſuum appellat, & hoc interpretante, ſe ſacras didiciſſe literas teſtatur. Verum ubinam audierit hominẽ, aut quanto tempore, parum mihi compertum eſt. Nam is uitæ mutauit inſtitutum, & ſponte cedens epiſcopi locũ, ruri abditus, monachi uitam exegit. Apollinarium Antiochenæ apud Syros eccleſiæ epiſcopum frequenter audiuit Antiochiæ, & domeſticam cum illo conſuetudinem egit, adhortante Paula, et ſumptuum, ut conijcio, partem ſuppeditante. Alexandriæ item uſus eſt præceptore Didymo. Demum aſcito Barhanina Iudæo, quod in literis Hebraicis aut diminutum erat, aut exciderat, ſuppleuit & inſtaurauit. Cæterum non uno in loco declarat, ſe corpuſculo imbecilli fuiſſe, crebriſꝙ; morbis ac diutinis obnoxium, etiam anteꝙ̃ ueniret ſenectus. Nec dubi-

dubitandum, quin pleraque ualetudinis incommoda sibi conflarit austeritate uitæ perpetua, sed præcipua nocturno studio: super omnia uerò scribendorum uoluminũ indefesso labore, quas ob res frequenter coactus est uti notariorum opera, &, quemadmodum ipse loquitur, auribus tantum linguaque studere. Paulam discipulam & patronã suam præmisit in cœlum, cui quamdiu fuerit superstes, non satis liquet. Tandem uitæ cursu felicissime peracto, ad immortalitatis lauream est euocatus, anno ætatis suæ nonagesimoprimo: Anno uerò salutis humanæ quadringentesimo XXII. sub Honorio & Constantio iam in Imperij consortium assumpto. Ferunt ossa postea Romam translata fuisse. Siquidem & hodie monumentũ illius monstratur in Exquilijs apud ædem uirgini matri sacram, iuxta præsepe Christi.

MARCVS PAPA I.

Ex Platina.



Arcus natione Romanus, patre Prisco, Magni Constantini temporibus fuit, de quo uaria scribunt historici. Sunt enim qui affirmant, Constantinum ultimis imperij sui annis instigante sorore Arrium ab exilio reuocasse, quòd inuidia damnatum hominem mulier diceret, in eiusque dogma declinasse. Hos ego deceptos similitudine nominis puto, & patri illud ascribere, quod filij scelere factũ est. Neque enim simile ueri est, principem illum sapientissimũ, quod semper improbauerit, ea potissimum ætate, qua sapere datur, illud idem collaudasse. Scribunt præterea Constantinum ab Eusebio Nicomedię episcopo Arriani dogmatis imitatore baptizatum esse. Quod quidem falsum esse, & religio principis ostendit, & baptisteriũ huius rei causa Romæ ab eo magnificentissimis operis ædificatum. A' Syluestro enim una cum Crispo filio baptizatur, pulsis ab urbe tyrannis, fidemque edocetur. Aiunt qui aliter dictum sentiunt, Constantinum tantam rem distulisse, quoad ei ad Iordanem peruenire contingeret, in quo ad imitationẽ saluatoris baptizari cupiebat. Verum dum in Parthos proficiscitur Mesopotamiam incursionibus uastantes, uno & trigesimo imperij sui anno, ætatis uerò sexto & LX. apud Nicomediam uilla publica diem extremum obijsse, nec ad Iordanem baptismi causa peruenire potuisse, atque illic tum demum extremo uitæ tempore baptizatũ fuisse. Misceant isti, ut uolunt, rem hanc, & nos quod omnes fermè sentiũt, credamus, Constantinum, qui in signo crucis toties hostes uicerat, qui tot templa in honorem dei ædificauerat, qui sacris Concilijs interfuerat, qui totiens cum sanctis patribus in mysterijs orauerat, baptismatis charactere ubi sapere cœpit muniri etiam contra hostem humani generis uoluisse. Non latet me certè, quid Socrates & Sozomenes in tripartita sua uelint, quidque alij plerique, ueritatem sequor, optimi principis religioni & pietati conuenientẽ. Quòd uero in lepram inciderit (ut uulgo dicitur) baptismoque mundatus

mundatus sit, conficta prius de sanguine infantum nescio qua fabula, nullo modo credo, Socratem hac in re secutus, qui affirmat Constantinum ipsum ubi sexagesimumquintum ætatis annum attigisset, ęgritudine captum, ex urbe Constantinopoli ad aquas calidas egressum ualetudinis causa, nulla de lepra mentione habita. Præterea uerò hac de re à nullo scriptorum fit mentio, non dico ab his, qui ethnici sunt habiti, sed ne à nostris quidem. Non reticuisset hoc Orosius, non Eutropius, non *illi*, qui Constantini res gestas q̃diligentissime scripsêre. Ante uero tanti principis mortem stellam crinitam inusitate magnitudinis (quam Græci Cometem appellant) fulsisse aliquandiu constat. Marcus autem Romanus pontifex ad curam Christianæ religionis conuersus, instituit, ut episcopus Hostiensis, à quo Romanus consecratur, pallio uteretur. Voluit præterea diebus solennibus statim post Euangelium symbolum à clero & populo magna uoce decantari, & eo modo quo fuerat in Niceno Concilio declaratum. Duas item Ecclesias Romæ condidit: unam uia Ardeatina, in qua sepultus est: alteram in urbe Roma ad Palatinas: quas quidem Constantinus his muneribus exornauit & auxit: fundo rosarum cum omni agro campestri, patena argentea librarum XX. scypho argenteo X. librarũ, corona argentea librarum decem: fundo Antoniano, quia est uia Claudia, fundo ad Bacchanas uia Appia, fundo marmoreo uia Ardeatina. Huius autẽ & Constantini temporibus fuit Iuuencus Hispanus presbyter genere nobilis, qui tetrauangelia hexametris uersibus ferè ad uerbum transferens, quatuor libris composuit. Scripsit & quædam eo genere metri ad sacramentorũ ordinem pertinentia. Marcus autem posteaq̃ ex sacris ordinibus bis mense decembri habitis, presbyteros quinq; & uiginti, diaconos sex, episcopos octo & uiginti creasset, moritur, ac sepelitur in cœmiterio Balbinę uia Ardeatina, tertio Nonas Octobris. Sedit autem annis duobus, mensibus octo, diebus uiginti.

FRANCISCVS CONFESSOR CHRISTI.

FRanciscus natione Italus Assisij natus (quod oppidum est in Vmbria) uir fuit religiosissimus, Euangelicæ perfectionis sectator: floruitq; Innocentio papa tertio. Nam quum adolescens mercaturam exercuisset, non tamen abijt post aurum, nec sperauit in pecuniæ thesauris: sed ad Christum conuersus, quum audisset in ecclesia illud Euangelium: Qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus: cuncta quæ ad manum habuit, pauperibus erogauit, cætera patri suo idipsum postulanti, hæreditario iure coram episcopo tradidit. Deinde ut normam sequeretur, quam Christus dedit Apostolis, dum eos mitteret ad prædicandum, distributa pecunia calceamenta deposuit, & unica contentus tunica, ut quatenus liceret,

Christum imitaretur, duodecim sibi socios asciuit: atq; ad ęmulationem Euangelicæ perfectionis, ordinem monasticum, qui Minorum appellatur, instituit: Romamq; uenit circa annũ à Christo nato, M.CC.VIII. quem Papa uisione diniua præmonitus benigne recepit, regulamq; & institutum ab eo uiuendi ordinem confirmauit. Dimissis ergo quoquo uersus fratribus, qui uerbum Dei seminarent, ipse in Syriam nauigauit, à Soldanoq; fuit benigne receptus. Sublata tamen prædicandi facultate, coactus fuit in patriã redire. Cui bienniũ ante obitũ cum xl. dies ieiunasset in monte Aluernæ, in festo exaltationis crucis oranti apparuit Seraph crucifixus, qui in manibus & pedibus ipsius stigmata plagarum Christi mirabiliter impressit. Quibus insignitus summæ admirationi cunctis intuentibus uenerationiq; fuit. Tandem beatus Franciscus plenus bonis operibus & gratia, apud Assistum moritur, quarto Nonas octobris. Quē Gregorius nonus cognitis eius miraculis, Catalogo sanctorum adscripsit.

HYMNVS IO. PONTANI
ad B. Franciscum.

Nimboso quisquis speculans de monte sacerdos,
Francisci fœlix rura, nemusq; tenes,
Diuinumq; colis tam sancti carceris antrum,
Paruaq;, at ingenti tecta habitata uiro.
Hîc ubi nudus, inops, saxo uix tectus adeso,
Hiberno statuit sub Ioue ferre niues,
Humana expertus quantum patientia posset,
Duraq; paupertas, propositumq; tenax,
Atq; inter syluas, atq; inter lustra ferarum,
Efferret nomen maxime Christe tuum.
Quum uolucres cinxêre uirum, pia uerba sonantem,
Auritæ ante pedes & stupuêre feræ,
Huc aures aduerte, neq; hæc mea dicta sacerdos
Despice, ueridica quæ tibi mente feram.
Non auro splendente domus, gemmisq; superba,
Nec quæ puniceo lana colore rubet:
Non centum uersata iugis fœlicia campi
Iugera, nec Cresso palmite diues ager:
Aut gregis innumeri fœtus, aut merce Sabæa
Niliaco rediens littore plena ratis:
Nec tam quæsiti multo sudore triumphi,
Subditaq; imperijs oppida mille tuis,
Fœlicem efficient, quamuis numerosa parentem
Stirps obeat, plenas exhilaratq; domos,
Quàm læta, & sanę paupertas conscia mentis,

Pauper-

Paupertas forti regna decusq; uiro.
Qua uel Achimenios luxus, regnumq; Phrahartis,
Exuperat uestri gloria magna patris.
Cui sæui cessère ignes, uictusq; refugit,
Qui capit assiduo pectora nostra dolo.
Scilicet & fraudes, & noxia crimina uicit,
Eiecitq; animo turpe nefasq; suo.
Qui uarijs mandata dei uirtutibus implens
Inclyta militiæ signa decusq; ferat,
Labentemq; aciem Christi, pietate, fideq;,
Sistat, & hostiles ense refringat opes.
Salue igitur patriæq; parens, duxq; optime gentis,
Quæ sacra pro Christi nomine bella gerit.
Macte animo Francisce, grauem qui primus in hostem
Irruis, & Christi munera uictor obis.
Vulnera Iudaico, qui quondam illata furore
Excipis, & precium est hoc tibi dulce datum.
Hęc gestata tibi sunt laurea serta triumpho,
Hæc spolia, hæc gentes, hęc tibi currus erunt.
Desino, nam leuius Lybycæ numerentur arenæ,
Ocyus & medio quæ salit alga mari.

DOMINICVS CONFESSOR DOMINI.

Dominicus natione Hispanus, uir sanctitate & doctrina clarus, ordinis Prędicatorum autor, Calaroga Oxomensis diocœsis oppido natus est, patre Felice, matre uerò Ioanna. Quę facta grauida, in somnis uisa sibi est utero gestare catulũ cum facula ori inserta, qui egressus ex utero totum mundum incenderet. Qua uidelicet re portendebatur, puerum esse conceptum, qui splendore suæ doctrinæ totum mundũ illustraret, & prædicationibus ad rectè uiuendũ inflammaret, ut res ipsa declarauit. Hoc enim præstitit tum per se, tum etiam per ordinem Prædicatorum, quem ipse condidit, quum prius in ecclesia Oxomensi fuisset Canonicus regularis. Huius uiri sanctitas & doctrina plurimum enituit in extirpandis hæresibus pernitiosis, quę ad Tolosam pullularant, septennio cõsumpto in eo labore. Quibus rebus ductus Innocentius tertius papa, institutum ab eo ordinem autoritate Apostolica approbauit: & paulopost itidem Honorius tertius confirmauit. Dominicus igitur quum multa monasteria per orbem erigendi autor fuisset, miraculisq; claruisset, & multas regiones docendo & prędicando lustrasset, Anno Christi nati M. CC. XXIII. Bononiæ (quæ urbs est Italię celebris) Nonis Augusti è uita migrauit. Quē postea Gre-

gorius nonus retulit in numerum Sanctorum, ob ædita miracula, & uitam sanctissime gestam.

HYMNVS AD DIVVM DOMINICVM.

SOl oritur, uenit ecce dies, cape thura sacerdos,
Cultaq; diuino carmine templa sonent,
Araq; Tyrrheno niteat uestita paratu,
Fumet odorato myrrhaq;, thusq; foco.
Vos castas adhibete preces: nam castus & ipse
Dominicus: casto sint sacra casta uiro.
In quo num pietas, an iustæ conscia mentis
Simplicitas, dubium est, sit prior an'ne fides.
Cuius inhæserunt humeris labentia Petri
Culmina, & immoto corpore sistit opus.
Optimus assertor Christi: sed quo neq; maius
Hesperia, aut melius Corduba docta dedit.
Ac ueluti numero stellas comprendere non est,
Quantaq; in Oceani littore arena iacet:
Sic neq; Dominici laudes æquare canendo,
Concipere humano nec queat ore sonus.

S. CLARA.

Ex Romano breuiario.



CLara uirgo sanctissima, nobili loco nata Assisij (quod oppidum est in Vmbria) instituta, disciplinamq; beati Francisci sui ciuis sequuta, relictis mundanis opibus, collegium instituit pauperum & religiosarum fœminarum, cum quibus recessit in Ecclesiam beati Damiani. Vbi mirabili parsimonia et sanctitate uitam quadraginta duorum annorum peregit, multis etiam æditis miraculis: quorum illud silentio non præteribimus: q cum tempore Friderici imperatoris Saraceni, qui Italiam inuaserant, Assisium obsiderent, & ipsum uirginum monasterium oppugnarent, Clara licet ægrotans ad portam se iubet deportari in hostium conspectum cum capsula, qua sacramentum Eucharistiæ continebatur, ubi hanc cum lachrymis orationem effudit: Ne tradas domine bestijs animas confitentes tibi, & custodi famulas tuas, quas precioso sanguine redemisti. Cui uox de cœlo reddita est: Ego uos semper custodiam. Itaque Saraceni subitò terrore quodam perculsi, obsidionem soluunt: & qui muros ascenderant, cæcitate perculsi deciderũt. Paulò uero post morbo ingrauescente, decem & septem diebus sine ullo cibo peractis migrauit ad dominum, pridie Idus Augusti, tempore Innocentij quarti: qui ægrotantem inuisit, & Eucharistiam est impartitus. Quã Alexander quartus, anno Domini, M. CC. LV. retulit in numerum sanctarum uirginum.

S.Dio-

S. DIONYSIVS EPISCOP. ET Areopagita.



Obilitatem generis, diuitiarumq; copiam magni Dionysij, Atheniensium Concilium, cuius per electionem particeps erat, ostendit aperte. Nam ut diuinus nos Lucas in scribēdis Apostolorum actibus docuit, Areopagitarum fuerat unus. Cum enim Apostolus Paulus Athenas petijsset, atq; cum philosophis tum Epicureis, tum Stoicis uerba fecisset, Christumq; ipsis Dominum nostrum, mortuorum resurrectionem, & generale iudicium prædicasset, captus atque ad Areopagitas ductus, prædicatione sua nonnullos etiam ibi confestim lucratus, ad ueritatis lucem reduxit, qui & recedentem secuti sunt. In his Dionysium quoq; Areopagitam fuisse, mulieremq; Damarim nomine, aliosq; cum ipsis nonnullos tradidit. Ego autem non arbitror absq; causa præter cæteros, qui tunc diuina Pauli prædicatione crediderunt, Dionysium à scriptore, qui spiritu dei mouebatur, tantummodo ipsa etiam addita dignitate nominatum fuisse. Areopagita enim (inquit) Dionysius fuit. Sed credo ita factum, quia & sapientia præcipuus fuit, & uitæ apud Athenienses sanctissimæ. Non enim quoslibet, sed genere, diuitijs, uitæq; sanctimonia primos atq; præclaros ad Concilium illud deligebant. Et antiquitus quidem, ut Androcio in secundo rerum Atticarum libro refert, ex nouem primis magistratibus, nouem primi deligebantur. Postea uerò Areopagitarum numerus usq; ad quinquaginta uirûm concreuit: primarij tamen semper uiri (ut diximus) eligebantur, ut etiam Philochorus in tertio rerum Atticarū scribit. Erat autem pagus Martius extra urbem Athenas, ubi Areopagitarum Concilium, leges contemnentiū, causas cognoscebat, quas omnes Androcio in primo, & Philochorus in secundo & tertio rerum Atticarum enumerat. Ita & diuinus Paulus quasi nouos deos prędicans, à fatuatæ sapientiæ studiosis ad Martium trahitur pagum. Sed præcipuus inter eos, ueritatisq; amator diuus hic Dionysius, integro suo Pauli prædicationem iudicio confirmauit, atq; ilicò inani Areopagitarum grauitate relicta, lucem prædicationis Pauli dominum nostrum Iesum Christum secutus est. Nam etsi Romani temporibus illis imperio suo domuerant omnia, Athenienses tamen atq; Lacedemonios legibus, moribusq; suis liberè uiuere permiserunt: unde Martij pagi concilium dignitatem adhuc suā retinebat. Ita igitur ueritati iam adhærens Dionysius, primum à Paulo salutis dogmata percepit: deinde Maximo Hierotheo (ut ipse ait) secundo usus est præceptore, & demum (ut in septimo Apostolicarum institutionum libro scribitur) episcopus à Paulo Atheniensium, qui credebant, statuitur. Huius beati Dionysij, Dionysius alter antiquissimus Corinthiorum episcopus meminit: & Polycarpus in quadam eius ad Athenienses epistola. Sed rectam magnamq; sanctissimi huius uiri do-

Ex Ambrosio Chamalduensi.

ctrinam mirari omnes maxime debent, ut qui traditiones ecclesiæ inculpabiles, & exquisitã disciplinã nouerit, nihil coinquinatũ, nihil impurũ ex adulteratis philosophorũ dogmatibus immiscẽs. Et plerisq; ut miseris condolendum est, qui propter suam ignorantiam, acerbos se iudices atq; censores prębuerunt, qui acuta cæterorum inuenta, prout ignorantia sua dictat, acerbe carpentes, cum legant, quæ nõ intelligunt, scriptorem statim condemnant. Neq; eos pudet, ꝗ nec redarguere, nec emendare possunt, quæ male putant conscripta. Ad seipsos ergo iram suam conuertant, sibijpsis acerbi sint, qui per negligentiam altiora discere nequiuerunt, quiq; à doctioribus petere dedignati, in dubijs suis cõtabuerunt. Hæc dixi, quia nonnulli beatum hunc Dionysium, quasi hæretica multa conscripsisset, uituperant: qui mihi hæreticorum etiam peruersas opiniones ignorare uidentur. Nam si scirent, certe conferendo *hæc illis* uiderent tantum ab eis differre, quantum lumen à tenebris distat. Quid enim dicent de theologia istius uiri, qui trinitatem solam adorabilem prædicat? Quid dicent, ꝗ animam, corpusq; humanum (hoc est, totum hominem) ab uno trinitatis Iesu Christo unigenito dei uerbo absolute absumptum fatetur? Quid dicent de intellectualium, intelligibilium, sensibiliumq; ipsius doctrina? Aut in quo reprehendere poterũt, quæcunq; de generali hominum resurrectione, de gloria iustorum, & impiorum supplicijs docuit? Hæc enim, ut summatim dicatur, salutem continent nostram, quæ latius exponere, modo tempus non est: pręsertim cum oportune scholiorum cõmentarij illa indicaturi sint. Sed non enumerauit libros ipsius (aiunt) Eusebius Pamphili, neque Origenes eius meminit. Nos aũt multa fuisse ab Eusebio prætermissa (quæ forte ad eum non peruenerant) respondemus: imò uero ille ipse respondet, qui se fatetur innumerabiles credere libros ad se non peruenisse. Nam uel nonnullorum regionis suæ hominum libros legisse, nullo modo uidetur, ut Hymenęi & Narcissi Hierosolymitanæ presbyterorum ecclesiæ, nec Pantheni operum meminit, nec clementis Romani, duabus solum exceptis epistolis. Multos insuper ab eo prætermissos numerare possem, si opus esse putarem. Origenes aũt non omnium, sed uix quatuor solummodo meminit uirorum. Mihi uero diaconus quidam Romanus, nomine Petrus, omnes diui Dionysij libros in Romana sacrorũ bibliotheca librorum inueniri affirmauit, quorum plurimos ad beatũ Timotheum Pauli discipulum, & Ephesinum episcopum scripsit. Is eñ ab Ionicę philosophiæ studiosis (qui tunc apud Ephesinos florebant) uehementer agitabatur: atq; ideo beati Dionysij omnis externæ philosophiæ doctissimi, patrocinium petebat. Ab Areopagita uerò Dionysio hos libros conscriptos fuisse, illud etiam testatur, ꝗ multorum meminit, & nonnullorum dicta proponit, qui temporibus illis floruerũt: quorum & Actuum liber, & Epistolæ Pauli meminerunt. Sed præcipue

pue omnium synceritas dogmatum istud ostendit. Et quamuis hi libri longioribus egeant commentarijs, ut multitudo, altitudoq́ue rerum planior fieri possit, breuius tamen per scholia marginalia, deo confisi, quæ uisa sunt scripsimus.

DE S. DIONYSIO.

Gaude prole, Græcia.
Glorietur Gallia:
Patre Dionysio.
Exultet uberius
Felici Parisius
Illustris martyrio.
Speciali gaudio
Felix gaudet concio
Martyrum præsentia
Quorum patrocinio
Tota gaudet regio,
Regni stat potentia.
Iuxta patrem positi
Bellatores inclyti,
Digni sunt memoria.
Sed illum præcipue
Recolit assidue
Regalis ecclesia.
Hic à summo præsule
Directus ad Galliam,
Non gentis incredulæ
Veretur insaniam.
Gallorum apostolus
Venerat Luteciam,
Quam tenebat subdolus
Hostis, uelut propriam.
Hîc errorum cumulus,
Et omnis spurcitia.
Hîc infelix populus
Gaudens idolatria.
Adorabat idolum
Fallacis Mercurij.
Sed uicit diabolum
Fides Dionysij.
Hic constructo Dei templo,
Verbo docet & exemplo,
Coruscat miraculis.
Turba credit, error cedit.
Fides crescit, & clarescit
Nomen tanti præsulis.
His auditis fit insanus
Immitis Domitianus:
Mittitq́ue Sisinnium,
Qui pastorem animarum
Fide, uita, signis clarum,
Trahat ad supplicium.
Infliguntur seni pœnæ:
Flagra, carcer, & catenæ.
Catastam, lectum, ferreum,
Et æstum uincit igneum.
Prece domat feras truces,
Sedat rogum, perfert cruces.
Post clauos & patibulum,
Translatus ad ergastulum.
Seniore celebrante
Missam, turba circumstante
Adest Christus, comitante
Cœlesti militia.
Specu clausum carcerali
Consolatur, & uitali
Pane cibat, immortali
Coronandum gloria,
Prodit martyr conflicturus,
Sub securi stat securus.
Ferit lictor, sicq́ue uictor
Consummatur gladio.
Sed cadauer mox erexit,
Truncus truncum caput uexit:
Quo ferentem hoc direxit
Angelorum legio.
Tam præclara passio,
Repleat nos gaudio.

Hymnus

HYMNVS IN LAVDEM DECEM ET OCTO martyrum Cæsaraugustanorum: ex Prudentio.

BIs nouem noster populus sub uno
Martyrum seruat cineres sepulchro,
Cæsaraugustam uocitamus urbem,
Res cui tanta est.

Plena magnorum domus angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.

Quum deus dextrã quatiens coruscam
Nube subnixus ueniet rubente,
Gentibus iustam positurus æquo
Pondere libram.

Orbe de magno caput excitata
Obuiam Christo properante ibit,
Ciuitas omnis pretiosa portans
Dona canistris.

Afra Carthago tua promet ossa
Ore facundo Cypriane doctor
Corduba Aciscium dabit, & zoëllũ,
Tresq́ coronas,

Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum
Tarraco, intexit cui fructuosus
Sutile uinclum.

Nomen hoc gẽmę strophio illigatũ est,
Emicant iuxta lapides gemelli,
Ardet & splendor parilis duorum
Igne corusco.

Parua Felicis decus exhibebit
Artubus sanctis locuples Gerunda,
Nostra præstabit Calagurris ambos
Quos ueneramur.

Barchinon claro Cucufate freta
Surget, & Paulo speciosa Narbo
Teq́ præpollens Arelas habebit
Sancte Genesi.

Lusitanorum caput oppidorum
Vrbs, adoratæ cineres puellæ
Obuiam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam.

Sanguinem iusti cui pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumq́ donũ
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.

Ingeret Tingis sua Cassianum
Festa, Massylum monumenta regum
Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad iuga Christi.

Singulis paucæ tribus aut duobus
Forsan & quinis aliquæ placebunt,
Testibus Christi prius hostiarum
Pignore functæ.

Tu decem sanctos reuehes & octo
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flauis oleis reuincta
Pacis honore.

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas domino parasti,
Sola prædiues pietate multa
Luce frueris.

Vix parens orbis populosa Pœni,
Ipsa uix Romá in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est.

Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus inuidorum
Dæmonũ, & nigras pepulit tenebras
Vrbe piata.

Nullus umbrarum latet intus horror,
Pulsa nam pestis populum refugit,
Christus in totis habitat plateis
Christus ubiq́ est.

Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris chorus unde surgens
Tendit in cœlum niueus togatæ
Nobilitatis.

Inde Vincenti tua palma nata est,
Clerus hinc tantũ peperit triumphũ,
Hinc sacerdotum domus infulata
Valeriorum.

Sæuus

Sæuus antiquis quoties procellis
Turbo, uexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari uacuus cruoris,
Martyrū semper numerus sub omni
Grandine creuit.
Nonne Vincenti peregre necandus
Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt ciues, uelut ipsa membra
Cespes includat suus, & paterno
Seruet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamuis procul hinc in urbe
Passus ignota, dederit sepulchro
Gloriam uictor, prope littus altæ
Forte Sagunti.
Noster & nostra puer in palæstra
Arte uirtutis, fideiq; oliuo
Vnctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Nouerat templo celebres in isto
Octies partas, deciesq; palmas
Laureis doctus patrijs, eadem
Laude cucurrit.
Hic & Encrati recubant tuarum
Ossa uirtutum, quibus efferati
Spiritum mundi uiolenta uirgo
Dedecorasti.
Martyrum nulli remanente uita
Contigit terris habitare nostris,
Sola tu morti propriæ superstes
Viuis in orbe.
Viuis, ac pœnæ seriem retexis,
Carnis & cesæ spolium retentans,
Tetra quam sulcos habeant amaros
Vulnera narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.
Iam minus mortis pretium peractæ est,
Quæ uenenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
Fine supremo.
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu uenis dolor hæsit ardens,
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Inuidus quamuis obitum supremum
Persecutoris gladius negarit,
Plena te martyr tamen ut peremptam
Pœna coronat.
Vidimus partem iecoris reuulsam,
Vngulis longe iacuisse pressis
Mors habet pellens aliquid tuorum
Te quoq; uiua.
Hunc nouum nostrę titulum fruendum
Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
Iuge uiuentis domus ut dicata
Martyris esset.
Ergo ter senis sacra canditatis
Diues optato simul & Luperco
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede Successum, cane Martialem,
Mors & Vrbani tibi concinatur,
Iuliam cantus resonet, simulq;
Quintilianum.
Publium pandat chorus, et reuoluat
Quale Frontonis fuerit trophæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.
Quantus Euenti tua bella sanguis
Tinxerit, quantus tua Primitiue,
Quum tuos uiuax recolat triumphos
Laus Apodemi.
Quatuor posthinc superest uirorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos Saturninos memorat uocatos
Prisca uetustas.

Carminis leges amor aureorum
Nominum paruifacit, & loquendi
Cura de sanctis ociosa non est
Nec rudis unquam.
Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet cœli liber, explicandus
Tempore iusto.
Octo tunc sanctos recolet decemq;
Angelus, coram patre, filioq;,
Vrbis unius regimen tenentes
Iure sepulchri.
Quin ad antiquum numerum trahentur
Viua post pœnę specimen puella,
Morsq; Vinceti, cui sanguis hinc est
Fons & honoris.
Additis Gaio, nec enim silendi;
Teq; Crementi, quibus incruentum
Ferre prouenit decus, ex secundo
Laudis agone.
Ambo confessi dominum, steterunt
Acriter contra fremitum latronum,
Ambo gustarunt leniter saporem
Martyriorum.
Hæc sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris ueniam precatur
Turba, quam seruat procerũ creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absoluam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
Ciuitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas, & artus
Tota sequeris.

S. LVCAS EVANGELISTA.

DE S. Luca hæc fermè nobis reliquit Eusebiana historia. Ipse autem Lucas, genere quidem Antiochenus, arte medicus, comes uerò Pauli, & cæterorum Apostolorum socius & necessarius fuit. Is ergo secundum hanc medicinam, quam ex Apostolorum uel societate uel traditione susceperat, duos nobis Medicinales libros, quibus non corpora, sed animæ curentur, explicuit: Euangelium scilicet, in quo etiam sic præfatur: Sicut tradiderunt nobis, inquit, hi qui ab initio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt uerbi Dei, quoq; & ab initio secutus sum: Et Actus Apostolorum, quos non iam auditu perceperat, sed oculis inspexerat. Tradunt aũt quòd Euangelium suum ex Pauli ore descripserit, & ipsum sit quod Apostolus suum Euangelium soleat nominare, cum dicit: Secundum Euangelium meum: Sicut & Marcus, quæ ex ore fuerant prædicata, conscripsit. Lib. iij. cap. iiij. Idem de eodem lib. iij. Cap. xxiiij. Lucas autem in initio Euangelij sui causam cur scriberet, indicauit: uidelicet, quoniam multi alij temere præsumpserant enarrare, quæ sibi magis erant ad liquidum comperta. Volens ergo abstrahere nos à cæterorum narrationibus, fidem facit per se conscriptę ueritati, certus quòd eam uel Paulo exponente, uel alijs Apostolis, qui ab initio ipsi uiderant, ac sibi tradiderant, consecutus sit. Et hanc nobis per proprium Euangelium tradat. Hæc à nobis etiam de Luca breuiter dicta sint.

Prosa

PROSA RYTHMICA DE QUAtuor Euangelistis.

Adam de S. Victore.

IVcundare plebs fidelis,
Cuius pater est in coelis:
Recolens Ezechielis
Prophetæ præconia.
Est Ioannes testis ipsi,
Dicens in Apocalypsi:
Vere uidi, uere scripsi
Vera testmonia.
Circa thronum maiestatis
Cum spiritibus beatis,
Quatuor diuersitatis
Astant animalia.
Formam primum aquilinam,
Et secundum leoninam,
Sed humanam & bouinam
Duo gerunt alia.
Formæ formant figurarum
Formas Euangelistarum,
Quorum imber doctrinarum
Stillat in ecclesia.
Hi sunt Marcus & Matthæus,
Lucas, & quem Zebedæus
Pater tibi misit Deus,
Dum laxaret retia.
Formam uiri dant Matthæo,
Quia scripsit sic de Deo,
Sicut descendit ab eo,
Quem plasmauit, homine.
Lucas bos est in figura,
Vt præmonstrat in scriptura.
Hostiarum tangens iura
Legis sub uelamine.
Marcus leo per desertum
Clamans, rugit in apertum:
Iter fiat Deo certum,
Mundum cor à crimine.
Sed Ioannes ala bina
Charitatis, aquilina
Forma, fertur in diuina
Puriori lumine.
Ecce forma bestialis,
Quam scriptura prophetalis
Notat: sed materialis
Hæc est impositio.
Currunt rotis, uolant alis,
Visus, sensus spiritalis.
Rota gressus est æqualis,
Ala, contemplatio.
Quatuor describunt isti
Quadriformes actus Christi,
Et figurant ut audisti,
Quisque sua formula.
Natus homo declaratur:
Vitulus sacrificatur:
Leo mortem deprædatur:
Sed ascendit aquila.
Paradisus his rigatur,
Viret, floret, foecundatur:
His abundat, his lætatur
Quatuor fluminibus.
Fons est Christus: hi sunt riui.
Fons est altus: hi procliui.
Vt saporem fontis uiui
Ministrent fidelibus.
Quorum trahat nos doctrina
Vitiorum à sentina,
Ne sic morte repentina
Damnemur cum impijs.
Horum fonte delibatis
Sitis crescat charitatis,
Vt supernæ claritatis
Perfruamur gaudijs. Amen.

S. VRSVLA VIRGO.



Vifna puella ex Vandalia cum militari agmine aderat magnæ illi expeditioni, cum Haraldus Daniæ rex, uiribus undiquaq; collectis duceret in Ringonem Suetiæ regem, magnis illis apparatibus per septennium plenũ ante factis. Non degenerabat Wisna, consimili penè ætate, à uirtute Bohemicarũ suæ nationis ac linguæ puellarum, militaribus rebus excita, cum ualida suarum manu Danici regis agmina exornauit: nec sola sui sexus, in latissimis agminibus dux præerat. Nam erant & è Dania & Norwegia similis animi et uirtutis puellæ suorum agminum duces. In acierum autem ordine tantum fœmineo robori rex dederat, ut Aquiliferam faceret Wisnam, q; præcipuam in eius uirtute fiduciam ponere uideretur, &c. Hæc eó consilio libens retuli, ut nemo miretur, eodem penè sæculo, aut non multum distante, Christianam puellam diuam Vrsulam uirgineum agmẽ, Christo sponso militaturum contrahere, cumq; eo mare transire sit ausa ex Britannia per Rhenum descendere, & ex Basilea pedestri itinere Romam petere. Cumq; inde remearet, per Rhenũ in patriam reditura, in ipso descensu ad mœnia Agrippinæ Coloniæ obsidentes Hunnos reperit. A' quibus tantum agmen Christianarum uirginum, in Christi contumeliam trucidatum est, prouidente castitatis amatore, uirginum sponso Christo domino, ut mallet impius hostis mactare, q̃ contaminare tantum agmen sacratarum uirginum. Quanquam uirorum agmen, quod illi non defuisse putandum est, uim illam prohibuisset, sed decretum erat omnibus, idq; à Christo approbatum, ut in gloriam eius sanguinem profundentes, stolas suas primum rubrifacerent in suo, deinde albarẽt in agni cruore, &c. Hæc ille.

EX PETRO CHALYBE.

MArtyris uitã canimus beatã
Vrsulæ uersu tenui, supernũ
Da deus numen famulo canenti,
Subsidiumq;.
Illa regali ueniens ab ortu
Scoticæ gentis, patriam relinquit,
Et sui sponsi thalamos superbos
Vrsula spernit.
Colligit multas, q̃bus unus ardor,
Virgines, Christũ meditare sanctũ
Corpore & casto sociam uolentes
Ducere uitam.
Extruunt naues famuli capaces
Vndecim, trãstris onerãtq; passim
Vt locus turbam capiat reflexus
Ilicò tantam.
Surgit in paucis igitur diebus
Tantũ opus, certè domino uolẽte
Colligunt escas, fluitant carinæ
Gurgite Rheni.
Dumq; sic uastũ pelagus perrant
Virgines sanctæ, reuoluta Phœbe
Sparserat nõdũ radios per annos
Splendida binos.
Interim crescit numerus piorum,
Vrsulæ uirtus quoniam beatæ
Exteros

Exteros tangens docuit sub uno
Viuere Christo.
Vrsula et tandē ueniens ad urbem
Quæ caput mūdi uocitata, surgit,
Mœnibus celsis, reuerenter intrat
Præsulis ædes.
Excipit uultu Ciriacus omnes
Splendido, norat quoniā puellas
Cœlitus missas, remouet sacratam
Vertice mitram.
Ecce per uastas iterum procellas
Æquoris nantes, Vbiorū ad urbē
Nauibus pergūt, modicūq; cessant
Poscere uentos.
Iulius tandem malesanus, excors,
Nō potis sanctā bene ferre turbā,
Irruit, ductus precibus tyranni
Maximiani.
Non secus fracto lupus ut ouili
Turpiter mactat teneras bidētes,
Dū fames urget malesuada forsan
Vel furor ingens.
Viribus quisquis proprijs satelles
Imperat curuā rapiens macheram,
Vel leues neruis stridulis sagittas
Eiaculando.
At deus celso ueniens Olympo,
Qui suos nūquam famulos reliqt,
Astitit tandē precibus precantūm
Numine dextro.
Sicq; per latum iacuere campum
Virgines cesę, cruor atq; terram
Sparserat sanctus, gladijs sed oēs
Fortius instant.
Vrsulæ tandē penetrans arundo
Aperit pectus: cadit & repente
Cæteris maior Cyriacus, omnes
Æthera scandunt.
Vna sed uirgo nimium timescens,
Dū furit tantus populus per arua
Abditas quærit latebras carinæ
Cordula tectæ.
Surgit, & tandē gladios peroptat
Cordula sæuos, quoniam sodales
Quas prius liqt, latitans in umbra
Visere tentat.
Vt furor cessit modicū, benignus
Exiens artus laceros in unum
colligit passim, populusq; ad urbē
Ilicò portat.
Ergo mortales animis fauete,
Qui bono sacram colitis puellam
Pectore, ut uitam tueatur omni
Tempore uestram.

S. HILARION.

Hilarion abbas in uico Tabatha prope Gazam Palęstinæ urbem ortus ex parentibus gentilibus Christianus ipse, ut rosa de spinis effloruit. Qui Alexandriam missus, atq; breui grammaticam edoctus, & Christianus effectus, ecclesiam assidue frequentabat, quo tempore cum Antonij nomen esset per totam Ægyptum celeberrimum, uidendi eum studio incensus, ad heremum cōtendit. Et cum illo duobus mensibus uersatus, ipsius uitę rationem, ac morum grauitatem diligenter considerauit. Reuersusq; ad patriam, totum patrimoniū sibi à defunctis parentibus relictum, pauperibus largitus est. Et adhuc adolescens quindecim annorum ad heremū reuertitur. Vbi cellula structa paulo ampliore, q̄ ut caperet eius corpusculū, sacco indutus, ad xxj. ætatis suæ annū, teste Hieronymo, qui uitam eius literis mandauit, tanta *Ex Romano breuiario.*

abstinentia corpus afflixit, ut quindenis moncaricis uno quoq; die post solis occasum uesceretur, & super humum iuncis dũtaxat stratam, ad ultimum uitæ diem somno reficeretur. Hic demũ orationi & Psalmodiæ semper intentus, post incredibilem carnis macerationem, & continua ieiunia, lxxx. natus annũ, sanctitate & miraculis clarus, migrauit ad dominum, xij. Calend. Nouemb.

SIXTVS III. EPISCOP. ROM.

Ex Platina.



Ixtus tertius, natione Romanus, patre Sixto, Valentiani tempora attigit, qui occidentalis imperij gubernator pacem cum Genserico Vuandalorũ rege inijt, ac certis finibus Africam sibi ac Genserico diuisam, Vuandalis incolẽdam dedit. Subornatus deinde Gensericus ab Arrianis, eorum impietatem extollens, uarijs terroribus episcopos nostros persequitur. Interim uerò dum Valentinianus Constantinopolim proficiscitur, & Theodosij filiam in uxorem ducit, Vuandali Genserico duce Carthaginem iterum capiunt, ac diripiunt, anno quingentesimo & LXXXIIII. posteaq; Romanorum esse coeperat. Dum hæc aũt in Aphrica gererentur, Attila cum Belda fratre Hunnorũ reges non contenti occupasse Pannonias, Macedoniã, Mysiam, Achaiam, & utrasq; Thracias ferro ac flãma deuastat, Beldamq; fratrẽ obtruncat, quo solus regno potiretur. Inde uerò animos sumens ad occupandum occidentale imperium, copias undiq; celeriter colligit, atque iter statim carpit. Quod ubi Aëtius intellexisset, legatos de pace statim Tholassam ad Theodoricum regem mittit, cum quo foedera ita sunt inita, ut communi impensa, & paribus copijs bellum contra Attilam gereretur, Romanorum ac Theodorici auxiliares copiæ fuere, Alani, Burgundiones, Franci, Saxones, atq; omnes ferè occidentales populi. Tandem uerò superueniente Attila in campis Catelaunicis, magno ardore animorum prælium utrinq; cõmittitur. Pugnatum erat aliquandiu, atq; acriter, cum uox superueniens incerto autore certamini finem imposuit. Ad centum & octoginta milia hominum in eo prælio utrinq; cecidisse constat, neutro inclinante acie, aut cedente. Ferunt tamẽ Theodoricum Thurismundi regis patrem eo prælio cecidisse. At Sixtus Pontificatum iniens, à Basso quodam reus in iudicium accersitur. Hic aũt congregata septem & quinquaginta episcoporum synodo, ita causam dixit, ut ab omnibus uno consensu absolueretur. Damnatur Bassus calunniator iniquus, annuente Valentiniano, & Placidia eius matre: in exiliumq; mittitur, ita tamen, ut ultimo die uiaticum ei ob pietatem ecclesiæ non negaretur. Eius aũt prædia non fisco, sed ecclesiæ ascribuntur. Aiunt Bassum post exilium nõ multum uixisse: tertio enim mense diem extremũ obijt: cuius corpus Sixtus episcopus linteaminibus inuolutũ, & aromatibus conspersum, proprijs manibus ad sanctum Petrum sepeliuit in loculis paren-

parentum. Ædificauit autē Sixtus basilicam beatæ Mariæ uirginis, quæ ab antiquis Liberij cognominabatur, iuxta macellum Libiæ. Accepit deinde nomen ad Præsepe: postremo uerò sancta Maria maior uocata est. Sixtum aūt huius templi autorem fuisse, titulus ipse in frontispicio primi fornicis declarat his uerbis: Xyxtus episcopus plebi Dei. Per x enim in principio & y scribitur Græca ortthographia: licet nostra ætas consuetudini seruiens, Sixtum scribat per s & iota. Huic quoq; templo idem pontifex hæc dona obtulit, altare argenteum purissimum, CCC. librarum, patenas argenteas tres, C. & XX. librarū, scyphos argenteos quinq;, calices decem, coronas argenteas octo & uiginti, candelabra argentea tria, thymiamatarium librarum quindecim, fundum Scauri in agro Caietano, fundum sceleris, ceruum argenteum fundentem aquam in fontem Baptisterij. Ornauit & ambonem Ecclesiæ porphyreticis lapidibus, quem nos suggestum appellamus, ubi Euangelium & Epistola canitur. Præterea uerò rogatu Sixti Valentinianus templa quædam Sanctorum mirifice excoluit. Nam & supra confessionem beati Petri auream saluatoris imaginem gemmis aureis distinctam collocauit, & fastigium argenteum basilicæ Constantinianæ à barbaris sublatum restituit. Ornauit & confessionem beati Petri ex argento. Aiunt præterea huius temporibus Petrum episcopum natione Illyricum ædificasse templum diuæ Sabinæ in monte Auentino, non longe à monasterio sancti Bonifacij, in quo diuus Alexius iacet. Quod ego factum Cælestini primi tempore crediderim, ut etiam carmina heroica indicant, quæ adhuc leguntur his ferè uerbis:

Culmen Apostolicum cum Cælestinus haberet,
Primus & in toto fulgeret episcopus orbe,
Hæc, quæ miraris, fundauit presbyter urbis,
Illyrica de gente Petrus, uir nomine tanto
Dignus, ab exortu Christi nutritus in aula.
Pauperibus locuples, sibi pauper, qui bona uitæ
Præsentis fugiens, meruit sperare futura.

Sunt etiam, qui scribant, huius temporibus fuisse Eusebium Cremonensem, & Philippum Hieronymi discipulos, qui pleraq; eleganti oratione scripsere. Laudatur & Eucherius Lugdunensis episcopus doctrina & dicendi copia. Non improbatur postremo Hilarius Arelatensis episcopus, uir sanctitate & doctrina ea tempestate insignis. Sixtus autem cum omnia quæ habuerat, aut in ædificijs & ornamentis Ecclesiarum, aut pauperibus erogasset, creatis presbyteris octo & uiginti, diaconis duodecim, episcopis duobus & quinquaginta: moritur, ac sepelitur in crypta uiæ Tiburtinæ apud corpus beati Laurentij. Sedit autem annis octo, diebus XIX.

SIMON ET IVDAS APOSTOLI.

Ex Romano breuiario.

Imon qui & Simeon Zelotes, zelo Domini feruens, accepit Ægypti principatum, et post Iacobum Iustum cathedram tenuit Hierosolymorũ: cui ecclesię cum multis annis præfuisset, Atticus cõsularis Traiani tempore, cognito quod esset generis Dauid, & Christianus, multis eum supplicijs afficit. Quibus mira patientia toleratis ad crucem damnatur: iussus ut quem uita coleret, eius exitum morte quoque imitaretur. Itaque cruci affixus est, cum cxx. annos natus esset, cunctis admirantibus, in corpore tam senili, tam robustum animum ad ferenda supplicia perstitisse.

Iudas Iacobi frater in Mesopotamia, ac interioribus Ponti euangelizans, feras & indomitas gentes, sancto dogmate mitigauit, & *fidei* diuinitate subiugauit. Cuius extat parua una Epistola, quæ inter catholicas nominatur.

De Simeone Cleophæ filio, qui secundus Episcopus Hierosolymis fuit, & per martyrium carnis uinculis resolutus: hæc tradit historia Eccl. lib. iij. cap. xxxij. Ex his igitur ipsis accusarunt quidam Simeonem Cleophæ filium, tanquam qui esset ex genere Dauid, & Christianus. Et ita Martyr effectus est, cũ esset annorũ cxx. sub Traiano Cęsare apud Atticum consularẽ. Addidit etiam hoc, quod accusatores eius, cum in illis temporibus perquirerẽt, si qui ex genere Dauid & ex regia tribu descenderẽt, comprehensi sint inter ipsos. Quod aũt Simeon unus fuerit ex ipsis auditoribus Domini, uel longęuitas eius indicio est, uel Euangeliorũ fides, ubi etiam mater eius Maria, Cleophæ uxor refertur. Sed & alios quosdam idem scriptor refert, præter eos de quibus supra diximus, nepotes Iudæ unius ex fratribus Domini, per idem tempus superstites inuentos, & Domitiani temporibus martyres factos, hoc modo scribens: Veniunt igitur hi, & præsunt omni ecclesiæ, tanquam martyres & propinqui Domini, & reddita pace ecclesiæ, permanserunt usque ad tempora Traiani Cæsaris, usquequo consobrinus Domini Simeon, de *quo supra* diximus, filius Cleophæ, calumniã pateretur ab hæreticis, *Christianus* Consulari delatus. Cumque multo tẽpore supplicijs fuisset affectus, martyrio consummatus est, omnibus qui aderant, & ipso iudice mirantibus, ut centum uiginti annorum senex crucis supplicium pertulisset. Post hæc idem scriptor addidit etiam hoc: quod usque ad illa tempora uirgo munda & immaculata permansit ecclesia, corruptoribus ueritatis & diuini uerbi temeratoribus, aut nusquam omnino extantibus, aut etiam si qui forte fuerant, in occultis & abditis hiatibus terræ delitescentibus. Vt uero & Apostolorum chorus, & omnis illa ætas, quæ à Domino susceperat uiuę uocis auditum, de hac luce discessit, tum uelut in uacuam domum, falsæ doctrinæ impius se error immersit, & tanquã ubi nullus

iam diuini

iam diuini census defensor existeret, nudato (ut aiunt) capite corripientes arma mendacij, oppugnare Apostolicam ueritatem nituntur. Sed istud bellum intrinsecus gerebatur. Persecutionũ uero extrinsecus pondus urgebat ecclesiam, & tam immensæ cateruæ martyrum quotidie iugulabantur, ut Plinius Secundus, qui tunc prouinciam administrabat, multitudine interemptorum permotus referret ad imperatorem, quòd innumera hominum millia quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium Romanis legibus gestum, nisi hoc solum, ꝙ ante lucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo. Adulteria uero, uel cætera huiusmodi crimina apud eos & illicita haberi, & penitus arceri: cætera uero secundum leges eos agere communes.

De S. Iuda sic Eusebius lib. iij. cap. xx. Adhuc autem uiuebant quidam de carnali genere Domini nostri, nepotes Iudę, eius qui secundum carnem frater Domini dicebatur, quos quidam detulerunt, tanquam ex Dauid stirpe uenientes. Hos reuocatus quidam nomine, qui in hoc missus fuerat, perducit ad Domitianum Cæsarem, & ipse enim formidabat de aduentu Christi, sicut & initio Herodes. Interrogati ergo à Domitiano, si essent ex familia Dauid, confessi sunt. Tunc quæsiuit ab eis, quantis possessionibus, uel quantis essent facultatibus præditi. At illi responderunt, quòd utrisq; nõ amplius esset in bonis nouem milibus denarijs, ex quibus singulis pars media pro portione deberetur. Nec hæc sibi in pecunia subsistere, sed in æstimatione terræ, quæ eis esset in quadraginta minus uno iugeribus constituta, quam suis manibus excolentes, uel ipsi alerent, uel tributa dependerent. Simul & testes ruralis et diurni operis, manus labore rigidas & callis obduratas præferebant. Interrogati uero de Christo, quale sit regnum eius, uel quis ipse, aut unde, aut quando uenturus. Responderunt quòd non huius mundi regnum, neq; huius terræ ei designetur imperium: sed quia cœleste ei regnũ per angelorum ministeria in consummatione sæculi præparetur: quando scilicet aduentans in gloria, de uiuis & mortuis iudicabit, & restituet unicuiq; pro factis ac meritis suis. Ad hæc Domitianus, cum neq; in eis quicq; criminis inueniret, & utilitatem eorum ꝗ maxime contemneret, abire eos libere iubet. Sed & persecutionem, quam aduersum ecclesias agitari iusserat, datis rursum compescit edictis. Illi uero dimissi ab eo, uel martyrij merito, uel propinquitatis prærogatiua pacis, iam tempore duces ecclesiæ effecti, usq; ad Traiani tempora permanserunt.

NEMESIVS ET LVCILLA.


Valeriano & Gallieno imperatoribus, Nemesius tribunus militum, & Lucilla eius filia Romæ à sancto Stephano papa ad fidem Christi conuersi, & baptizati sunt. Nemesius uerò paulo post ab eodem diaconus ordinatus, mira pietate Christum eiusq; fi- *Ex Romano breuiario.*

dem colebat. Is cum aliquando Maximus & Valerianus consules uia Appia, qua ipse transibat, in templo Martis sacrificarent sacrificiũ abominatus, deum orare cœpit, ut uanitatem superstitionis illorum aliquo signo declararet: statimq; Maximus à dæmonio correptus, exclamare cœpit, se uehementer à Nemesio torqueri. Egressi uero ministri, cum eũ orantem offendissent, uarijs contumelijs affectum in templum pertraxere, ad cuius præsentiam statim Maximus expirauit. Tunc Valerianus qui rem magicis artibus paratam putabat, ira percitus, Nemesium innumeris supplicijs tortum, cum Lucilla filia in carcerem trudit. Post tertiũ uerò diem educti, Lucilla primum uia Appia, ante templum Martis, ubi Maximus interierat, spectante patre decollatur. Deinde Nemesius inter uiam Appiam & Latinam itidem capite plexus, martyrio coronatur, viij. Calend. August. Quorum corpora idem sanctus Stephanus papa uia Latina non longe àb urbe sepeliuit.

OMNIVM SANCTORVM memoria.

ET uidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum dei uiui, & clamauit uoce magna quatuor angelis, quibus datũ est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus, quoadusq; signemus seruos dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerũ signatorũ centum quadraginta quatuor milia signati, ex omni tribu filiorũ Israël. Ex tribu Iuda, duodecim milia signati: Ex tribu Rubẽ, duodecim milia signati: Ex tribu Gad duodecim milia signati: Ex tribu Aser duodecim milia signati. Ex tribu Nephtalim, duodecim milia signati: Ex tribu Manasse, duodecim milia signati: Ex tribu Simeon, duodecim milia signati: Ex tribu Leui, duodecim milia signati: Ex tribu Isachar, duodecim milia signati: Ex tribu Zabulon, duodecim milia signati: Ex tribu Ioseph, duodecim milia signati: Ex tribu Beniamin duodecim milia signati. Post hæc uidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis, & populis, stantes ante thronũ, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant uoce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoreuerunt Deum, dicentes: Amen, Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarũ actio, honor, & uirtus, & fortitudo deo nostro in secula seculorũ, Amẽ. Et respondit unus de senioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde uenerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui uenerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni; ideo sunt ante thronum dei.

dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad uitę fontes aquarum, & absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

SERMO S. AVREL. AVGVSTINI, de omnibus sanctis dei.



Odie, dilectissimi, omnium Sanctorum sub una solennitatis lætitia celebramus festiuitatē: quorū societate cœlum exultat: quorum patrocinijs terra lętatur: quorum triumphis ecclesia sancta coronatur: quorum confessio quanto in passione fortior, tanto est clarior in honore: quia dum creuit pugna, creuit & pugnantiū gloria, & martyrij triumphus multiplici passionum genere adornatur, per quæ grauiora tormenta gratiora fuere & præmia. Dumque Catholica mater Ecclesia per totum orbē longe lateque diffusa, in ipso capite suo Christo Iesu edocta contumelias crucis & mortem didicit non temere, magis magisque roborata est, non resistendo, sed perferendo: Vniuersos autem, quos agmine inclyto carcer pœnalis inclusit, pari & simili calore uirtutis ad gerendū certamen gloria triumphalis inspirauit. O uere mater Ecclesia, quam sic honor diuinæ dignationis illuminat: quam uincentium gloriosus martyrum sanguis exornat: quam inuiolatæ confessionis candida induit uirginitas: floribus eius nec rosæ, nec lilia desunt. Certent nūc charissimi singuli ad utrosque honores amplissimas accipere dignitatū coronas, uel de uirginitate candidas, uel de passione purpureas: In cœlestibus castris pax & acies habent flores suos, quibus milites Christi coronantur. Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc prouidit, ut laborum quidem tempus & agonis non extenderet, nec longū faceret, aut æternum, sed breue, &, ut ita dicam, momentaneū, ut in hac breui & exigua uita agones essent & labores: in illa uero, quæ æterna est corona, & præmia meritorum, ut labores quidē cito finirentur, meritorum uero præmia sine fine durarent, ut post huius mundi tenebras uisuri essent candidissimam lucem, & accepturi maiorem passionū cunctarum beatitudinem, testante hoc Apostolo, ubi ait: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quam læto sinu de prælio reuertentes ciuitas cœlestis excipit, de hoste prostrato thophæa ferentibus occurrit: cū triumphantibus uiris & fœminæ ueniunt, quæ cum sæculo sexum quoque uicerunt: & geminata gloria militiæ uirgines cū pueris teneros annos uirtutibus transeuntes, sed & cætera fidelium turba aulæ perpetuæ regiam intrabit, qui sinceritatē fidei inconcussis præceptorum cœlestium disciplinis unita pace obseruauerunt. Ergo agite nunc fratres, aggrediamur iter uitæ, reuertamur ad ciuitatem cœlestem, in qua scripti sumus, & ciues

decreti. Non sumus hospites, sed ciues sanctorum, & domestici dei: etiã illius hæredes, cohæredes autem Christi. Huius nobis urbis ianuas aperiet fortitudo, & fiducia latum præbebit ingressum. Consideremus ergo inclytam illius urbis fœlicitatem, in quantum considerare possibile est. Vt enim uere est, cõprehendere nullus sermo sufficiet: Dicitur de ea in quodam loco sic, quod aufugiet ibi dolor, & tristitia, & gemitus. Quid hac uita beatius, ubi non est paupertatis metus, nõ ægritudinis imbecillitas? Nemo læditur, irascitur nemo, nemo inuidet. Cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsatio, aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennę procul. Mors ibi neque corporis, neque animæ erit, sed immortalitatis munere uita iucunda. Nulla erit tunc usque discordia, sed cuncta consona, cuncta conuenientia: quia omnium sanctorum una concordia, pax cuncta & lætitia continet: tranquilla sunt omnia & quieta. Iugis splendor non iste, qui nũc est, sed tanto clarior, quanto fœlicior: quia ciuitas illa, ut legitur, non egebit lumine solis, sed dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius ęst agnus: Vbi Sancti fulgebunt ut stellę in perpetuas æternitates: & sicut splendor firmamenti, qui ad iustitiam erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisque asperitas ulla: sed talis erit quædam rerum temperies, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: nisi illorum, qui ea perfrui digni inueniuntur: quorũ nomina scripta sunt in libro uitæ: qui & lauerunt stolas suas in sanguine agni, & sunt ante thronum dei, seruiuntque ei die ac nocte. Non est senectus ibi, nec senectutis miseria: dum omnes occurrunt in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Verũ super hæc omnia est, consociari angelorum & archangelorum cœtibus, thronis etiam & dominationibus, principatibus & potestatibus, omniumque cœlestium, supernarumque uirtutum contubernijs perfrui, & intueri agmina sanctorum, splendidius syderibus micantia, patriarcharum fide fulgentia, prophetarum spe lętantia, Apostolorum in duodecim tribubus Israhel orbem iudicantia, martyrum purpureis uictoriæ coronis lucentia, uirginũ quoque choros candentia serta gestantes inspicere. De rege aũt, qui horum medius residet, dicere nulla uox sufficit: effugit enim omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa uirtus, illa gloria, illa magnificentia, illa maiestas. Vltra enim omnem sanctorum est gloriam, ipsius inestimabilem aspicere conspectum, & splendore maiestatis eius irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormẽta perferre: si ipsam gehennam paruo tempore ut Christum uidere digni possemus in gloria uenientem, & sanctorum eius numero sociari, nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantæque glorię participes haberemur? Quę erit illa, fratres charissimi, iustorũ

iustorum gloria, quàm grandis sanctorum lætitia, cum unaquæq; facies fulgebit ut sol: cum ordinibus distinctis populum suum in regno patris sui cœperit recensere, & meritis atq; operibus singulorum prẽmia promissa restituere: Pro terrenis cœlestia, pro tẽporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare: adducere sanctos in uisionem paternæ gloriȩ, & facere in cœlestibus considere, ut sit deus omnia in omnibus: æternitatemq; amatoribus suis & immortalitatem largiri, atq; eos, quos sanguinis sui uiuificatione reparauit, denuo ad paradisum reducere, regna cœlorum fide & ueritate suæ pollicitationis aperire. Hæc hæreant firmiter sensibus nostris: hæc intelligantur plena fide: hæc toto corde diligantur: hæc indesinentium operum magnanimitate acquirantur. Reposita est in potestate facientis, quia regnum cœlorũ uim patitur. Res ista, ô homo, id est, regnum cœleste, aliud non quærit precium, q̃ teipsum. Tantum ualet, quantũ es tu. Te da, & habebis illud. Quid turbaris de precio? Christus semetipsum tradidit, ut acquireret te in regnũ deo patri: ita & tu teipsum da, ut sis regnũ eius, ac non regnet peccatum in mortali tuo corpore, sed spiritus in acquisitionem uitæ. Ad hanc igitur operum salutariũ, dilectissimi, palmam libenter ac ꝓmpte certemus, omnes in agone iustitiæ deo & Christo spectante curramus: & qui sæculo & mundo maiores esse cœpimus, à cursu nostro nulla sæculi cupiditate retardemur. Si expeditos, si celeres in hoc operis agone currentes dies ultimus inuenerit, nusquam dominus meritis nostris ad præmium deerit remunerator. Qui coronam in persecutione purpuream pro passione donauit, ipse in pace uiuentibus pro iustitiȩ meritis dabit candidã. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tamen fidei & iustitiæ meritis honorati, inter patriarchas primi esse meruerunt. Ad quorum congregatur conuiuium, quisquis fidelis & iustus & laudabilis inuenitur. Memores esse debemus, uoluntatem non nostram, sed Dei facere debere. Quia qui fecerit eius uoluntatem, ipse manebit in æternum, quo modo & ille manebit in æternũ. Quapropter charissimi, mente integra, firma fide, uirtute robusta, charitate ꝑfecta parati ad omnẽ uolũtatẽ dei simus, cõseruantes fortiter dominica mandata. In simplicitate seruate innocentiã, in charitate concordiã, modestiam in humilitate, diligentiã in administratione, uigilantiã in adiuuandis laborantibus, misericordiã in fouendis pauperibus, in defessa ueritate cõstantiã, in disciplinæ seueritate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorũ factorum in nobis desit. Hæc sunt uestigia, quæ nobis sancti quiq; reuertentes in patriam reliquerunt: ut illorum semitis inhærentes sequeremur ad gaudia: patriam quoq; nostram paradisum cum illis computemus. Parentes patriarchas iam habere cœpimus, cur non properamus et currimus, ut patriam nostram uidere, & parẽtes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copio-

 sa turba

sta turba desiderat, iam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad eorum complexum & conspectum uenire, quanta illis & nobis in cōmune lætitia est? Qualis illic cœlestium uoluptas conseruorum societatem expectantium? Quapropter summa & perpetua fœlicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus: illic prophetarū exultantium numerus insignis: ibi martyrum populus innumerabilis ob certaminū uictoriam coronatur: illic clarissima uirginum turba lætatur. Sed & illorum remuneratio censetur, qui præcepta dominica seruantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos electos Dei auida cupiditate properemus, ut cum his cito esse, & cito nos ad Christum peruenire cōtingat, ad eum quem huius itineris ducem habeamus, salutis autorem, lucis principem, lætitiæ largitorem: qui uiuit & regnat cum Deo patre omnipotēte & spiritusancto in sæcula sęculorū, Amen.

DE PASSIONIBVS SANCTORVM Dei Martyrum, ex Lactantio Firmiano.

His igitur hominib. qui deorum suorum moribus congruunt, quia grauis est & acerba iustitia, eandem impietatem suam qua in cęteris rebus utuntur, aduersum iustos uiolenter exercent. Nec immerito à prophetis bestiæ nominantur. Præclare itaq; M. T. Etenim si nemo est, inquit, qui mori malit, quàm cōuerti in aliquam figuram bestiæ, quamuis mentem hominis habiturus: quanto est miserius, in hominis figura animo esse efferato? Mihi quidē tanto uidetur, quanto est præstabilior animus corpore? Aspernantur itaque corpora beluarum, quibus sunt ipsi sæuiores, sibiq; adeo placent, quòd homines sint nati, quorum nihil nisi liniamēta & summam figuram gerunt. Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania tam immanes, tam sanguinarias bestias unq; aluit? Quoniam ferarū omnium rabies usq; ad uentris satietatem furit, fameq; sedata protinus conquiescit. Illa est uera *bestia*, cuius una iussione funditur alter ubique cruor: crudelis ub*ique luctus*; ubiq; pauor, & plurima mortis imago. Nemo huius tantæ beluæ immanitatem potest pro merito describere, qui uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sæuit: & non tantum actus hominū dissipat, sed ossa ipsa cōminuit, & in cineres fundit, ne quis ex tet sepulturæ locus: quasi uero id affectent, qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulchra ueniatur, ac non, ut ipsi ad Deum præueniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem uiuis, terrā mortuis denegasse? Dico igitur nihil esse miserius his hominibus, quos ministros furoris alieni, quos satellites impię iussionis necessitas aut inuenit, aut fecit. Non enim honor ille aut prouectio dignitatis fuit, sed hominis damnatio ad carnificinam, Dei uero ad pœnam sempiternam. Quę autem per totum orbem

orbem singuli gesserint enarrare impossibile est. Quis enim uoluminũ numerus capiet tam infinita tam uaria genera crudelitatis? Accepta em̃ potestate pro suis moribus quisq; sæuit: alij præ nimia tumiditate plus ausi sunt quàm iubebantur: alij suo proprio aduersum iustos odio: quidam naturali mentis feritate: nonnulli ut placerent, & hoc officio uiam sibi ad altiora munirent: alij ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui uniuersum populum cum ipso pariter conuenticulo concremauit: Sed hic quanto sæuior, tanto clementior inuenitur. Illud uero pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur: ille sæuior, ille grauior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaq; dici non potest, huiusmodi iudices quanta & q̃ grauia tormentorum genera excogitauerint, ut ad effectum propositi sui peruenirent. Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari possint, nullum se innocentiũ peremisse: nam & ipse audiui aliquos gloriantes, quia administratio sua in hac parte fuerit incruenta, sed et inuidiæ causa, ne aut ipsi uincantur, aut illi uirtutis suæ gloriam consequantur. Itaq; in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud quàm uictoriam excogitãt. Sciunt enim certamen illud esse & pugnam. Vidi ego in Bithynia præsidem gaudio mirabiliter elatum tanq̃ barbarorũ gentem aliquam subegisset, q unus qui per biennium magna uirtute restiterat, postremo cædere uisus est. Contendunt igitur ut uincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud euitant q̃ ut ne toti moriantur: Quasi uero mors tantum nos beatos faciat, ac etiam non tormenta quanto fuerint grauiora, tanto maiorem uirtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci stultitia iubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renouentur, & paretur nouus sanguis ad pœnam. Quid tam pium tam beneficum tam humanum fieri potest? non curassent tam sollicite quos amarent. Hæc est eorum disciplina, ad hæc opera cultores suos erudiunt, hæc sacra desiderant. Quinetiam sceleratissimi homicidæ contra pios impia iura condiderunt: nam & constitutiones sacrilegæ, & disputationes iurisperitorum leguntur iniustæ. Domitius de officio proconsulis libro septimo rescripta principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis affici oporteret eos qui se cultores Dei confiterentur. Quid his facias, qui ius uocant carnificinas ueterum tyrannorum aduersus innocentes tabide sęuientium? Et cum sint iniustitię crudelitatisq; doctores, iustos esse se tamen ac prudentes uideri uolunt, cæci, & hebetes, ac rerum & ueritatis ignari. Adeo'ne uobis ô perditæ mentes inuisa iustitia est, ut eam summis sceleribus adæquatis? Adeo'ne apud uos perit innocentia, ut ne morte quidem simplici dignam iudicetis, sed supra omnia facinora habeatur, nullum facinus admittere, pectusq; purum ab omni sceleris contagione præstare? Et quoniam cõmuniter cum deorum cultoribus loquimur, liceat per hos benefacere uobiscum. Hęc est enim lex nostra,
hoc opus

hoc opus, hæc religio: Si uobis sapientes uidemur, imitamini: si stulti, contemnite, aut etiam ridete si libet: nobis enim stultitia nostra prodest. Quid latratis? quid affligitis? non inuidemus sapientiæ uestræ. Hanc stultitiam maluimus, hanc complectimur. Hoc nobis credimus expedire, ut uos diligamus, & in uos ipsos qui odistis, omnia conferamus.

EX APOLOGETICO SEP. TERTVLLIANI.

DE nobis nihil tale, cum æque extorquere oporteret, cum falso iactatur, quot quisque iam infanticidia degustasset, quot incesta concelebrasset, quid coci, qui canes affuissent? O quanta illius præsidis gloria, si eruisset aliquem, qui centum iam infantes comedisset. Atqui inuenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cum prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consulit tunc Traianum imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quàm cœtus antelucanus ad canendum Christo & Deo, & ad confœderandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes. Tũc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos uero puniri oportere. O sententiã necessitate confusam: Negat inquirendos ut innocẽtes, & mandat puniri, ut nocentes. Parcit, & sæuit: dissimulat, & animaduertit. Quid temetipsum censura circũuenis? Si damus, cur nõ & inquiris? Si nõ inquiris, cur nõ & absoluis? Latronibus uestigãdis per uniuersas prouincias militaris statio sortitur: in reos maiestatis, & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios inquisitio usque extendit. Solum Christũ inquiri nõ licet: offerri licet, quasi aliud esset actura inquisitio, quàm oblatio. Damnatis ergo oblatum, quẽ nemo uoluit requisitũ, qui puto iam non meruit ideo pœnam, quia nocens est, sed quia nõ requirendus, inuentus. Itaque nec in illo ex forma malorum iudicandorum agitis erga nos, quod cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum: cum si malum esset, nos quidem negaremus, non uero confiteri tormentis compelleretis. Neque enim ideo non putaretis requirenda quæstionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis cõfessione, qui hodie de confesso homicida, scientes homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis admissi: Quo peruersius, cum præsumatis de sceleribus nostris ex nominis confessione, cogitis tormentis de confessione decedere, ut negantes nomen pariter utique negemus & scelera, de quibus ex confessione nominis præsumpseratis. Sed, opinor, non uultis nos perire, quos pessimos creditis. Sic enim soletis dicere homicidæ: nega, laniari iubere sacrilegum, si confiteri perseuerauerit. Si non ita agitis circa nos nocentes, ergo nos innocentissimos iudicatis, cum quasi innocentissimos non uultis in ea confessione perseuerare, quam necessitate, non

te, non iustitia damnandam à uobis sciatis. Vociferatur homo: Christianus sum: quod est, dicit: tu uis audire, quod nõ est: ueritatis extorquendæ præsides de nobis solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, quod quæris, an sim, quid me torques in peruersum? Confiteor, & torques: quid faceres, si negarem? Planè alijs negantibus, non facile fidẽ accommodatis: nobis, si negauerimus, statim creditis. Suspecta fit nobis ista peruersitas, ne qua uis lateat in occulto, quæ nos aduersus formam, aduersus naturam iudicandi, cõtra ipsas quoq; leges ministret. Nisi enĩ fallor, leges malos erui iubent, non abscondi: confessos damnari præscribunt, non absolui. Hoc senatusconsultum, hoc principum mandata definiunt, hoc imperium, cuius ministri estis: ciuilis, non tyrannica dominatio uestra est. Apud tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur, apud uos solos quæstioni temperatur. Vestram illis seruire legem usq; ad confessionem necessarium: & si confessione præueniantur, uacabunt. Sententia opus est: debito pœnæ nocens expungendus est, non eximendus. Denique illum nemo gestit absoluere: nobis non licet hoc uelle. Ideo nec cogitur quisq; negare, Christianum hominem omnium scelerum reum, deorum, imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimas: & cogis negare, ut absoluas, quem non poteris absoluere, nisi negauerit. Præuaricaris in leges: uis ergo, neget se nocentẽ, ut eum facias innocentẽ, equidem inuitum non de præterito reum: Vnde ista peruersitas? ut etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse, q̃ per uim neganti: uel ne compulsus negare, nõ ex fide negarit: & absolutus, ibidem post tribunal de uestra rideat æmulatione iterum Christianus. Cum igitur in omnibus in nos aliter disquiratis, q̃ in cæteros nocentes, id unum contendendo, ut de eo nomine excludamur (excludimur enim, si facimus, quæ faciunt non Christiani) intelligere potestis, non scelus aliquod in causa esse, sed nomen, quod quædam ratio æmulæ operationis insequitur. Hoc primum agentes homines, ut nolint scire pro certo, quod se nescire pro certo sciunt. Ideo & credunt de nobis, quæ non probantur: et nolunt inquiri, ne probentur non esse, quæ malunt credidisse: ut non illius æmulæ rationis inimicum, præsumptis non probatis criminibus de sua sola cõfessione damnetur. Ideo torquemur confitentes, & punimur perseuerantes, & absoluimur negantes, quia nominis prælium est. Deniq; quid de tabella recitatis illum Christianum? cur non & homicidã? Sed homicida Christianus, cur non & incestus? uel quodcunq; aliud non esse creditis? In nobis solis pudet aut piget ipsis nominibus scelerũ pronunciare? Christianus si nullius criminis reus est, nomen ualde infestum, si solius nominis crimen est.

NOMINA SANCTORVM MARTYRVM Christi, ex Historia Ecclesiastica.

Achillas. De hoc fol. cc.lxxxiij
Æmylianus mart. fol. cccc.lij
Agathonica martyr. fol. lxxxvj.
Alexander Hierosolymitan. martyr. fol. c. xxxv
Ananias martyr. ccc. xlij
Aristarchus martyr. xl
Aristion. lxx
Artemius martyr. cccc. lxvj
Attalus martyr. c.ij
Abedecalla senex Christi testis. ccc. xlij.
Adauctus martyr. c.xcj
Æthalis martyr. ccc.xliij
Alcibiades. c. ix
Ammon, Zenon, Ptolomæus martyres. c.lv
Anthimus mart. c.lxxxvj. & cxciij
Arsinus martyr. c.liiij
Asterius martyr. c.lxv
Aurelius Cyrinus. c. xx
Basilides carnifex, mox martyr. c.xxxiiij
BenIamin martyr. vjc. x
Basilius Ancyranus. cccc. lj
Blandina. c.ij
Bichor martyr. ccc. xliiij
Busyris martyr. cccc.lj
Cœna Thyestea. c.j
Carpus martyr. lxxxvj
Catechumena quædam martyr. c.xxxiiij
Cheremon episcop. exul. c.lv
Cyrillus Hierosolymitanus martyr. cccc. lij
Dioscurus puer martyr. c.liiij
Diaconus quidam nomine Sanctus. c.ij
Dionysia martyr. c.liiij
Dorotheus martyr. c. lxxxvj
Epimachus martyr. c.liiij
Eunus martyr. c. liiij
Eupsychius mart. cccc. lj
Eusebij duo martyres. 545. 498
Episcopi triginta occisi. ccc.lxv
Item octoginta, in quibus Osius. ccc.lxxxix
Faustus c.lxiiij
Germanycus marty. lxxxij
Gorgonius martyr. dlxxxvj
Heron, Isidorus, &c. c.liiij
Heros martyr. c.xxxiij
Heraclas, Plutarchus, &c. cxxxj
Heraclydes. c. xxxiij
Leonides Origenis parter martyr. cxxix
Lucianus presbyter. c. xcij
Macarius Lybi. martyr. c.liiij
Marcella martyr. c. xxxiiij
Macedonius martyr. cccc.l
Mareas martyr. ccc.xliij
Marinus martyr. c.lxiiij
Metranus martyr. c.lij
Mercuria martyr. c.liiij
Milesius martyr. ccc. xliij
Nemesius Ægypt. c.liiij
Pamphilus martyr. c.xciij
Paphnutius. cc.lxxvj. ccc.xj
Papyrius mart. lxxxvj. c.xxiij
Peleus & Nilus. c. xciiij
Petrus Alexandrinus. dxxxj. cciij
Phileas martyr. cxc
Photinus mart. c.iij
Potamiena mart. c. xxxiiij
Publia martyr. cccc.lxvj
Pionius martyr. lxxxvj
Ponticus puer. c. vj
Priscus martyr. c. lxiiij

Serapion

Serapion martyr. c. liij
Schyrion. c.lv
Sophronia matrona. c. xcviij
Mauia martyr. cccc. xlv
Syluanus episc. & mart. c.xciiij
Tatianus martyr. cccc. l
Theodorus martyr. c.xciiij
Theodulus martyr. cccc.l
Tyrannio martyr. c.xciiij
Thraseas mart. c.xx
Tharbua martyr. ccc. xliij

Neq; tamen omnes recensui. Multitudo eorum, qui pro Christi nomine passi mortem sunt, ingens est. Quis enim enumeret tot Ægyptios martyres, tot Antiochenos, tot Alexandrinos, tot Tyrios, tot Persas, tot Ponticos, tot Thebanos, tot Phrygios, tot Hieropolitanos, tot Edissenos, tot Gazæos, tot Cappadoces, ut de Romanis taceã? Quantam putas recte Christianorum turbam è medio sustulit persecutio sub Domitiano, persecutio sub Licinio, persecutio sub Diocletiano, persecutio sub Decio, persecutio sub Maximino, persecutio sub Valeriano, &c? De qua tyrannide Eusebius noster multa passim. Paulus Orosius lib.xij. cap.xviij. confert decem plagis Ægyptiorum decem persecutiones Ecclesiæ, &c.

OMNIVM ANIMARVM FIDELIVM memoria, S. Augustini Sermo.

Recogitemus fratres charissimi cuncta mala, quæ fecimus, ut ominis æterni iudicis perterriti, ad ultimum saltem studeamus bona facere. Vnde dominus in Euangelio dicit: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit uoluntatem patris mei, qui est in cœlis, ipse intrabit in regnum cœlorum. Hoc etiam fratres charissimi cogitare debemus: quia in illa die reddet deus unicuiq; secundum opera sua, bonis bona, malis mala. Bonos mittet in uitam æternam, malos in ignem æternum. Væ illi homini, qui cum diabolo mansionẽ habebit. Pensemus, q istud regnum finem habet, regnum dei finem non habet. Ista uita laboriosa, caduca & fragilis, plena scandalis, inuidiosa, quid aliud quærit, nisi manducare, bibere, inebriari, luxuriari, detractiones facere? Certè ubi uolumus permanere, illuc debemus festinare. Fratres nos peregrini sumus in hoc mũdo: conuertamur ad dominum, qui fecit nos. Fratres audistis, q dominus uindicare ueniet, & peccatores mittet in ignem æternum, sicut in Psalmo dicit: Exurgat deus, & dissipentur inimici eius. Quid autem suis dicturus sit in die illa, audiamus: Venite benedicti patris mei. Et iusti regnabunt sine fine cum Christo, sicut dicit: Et iusti epulentur, & exultent in conspectu dei. Et domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo mixtum est zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Primum colligite zizaniam, & alligate per fasciculos, ad comburendum. Messis hæc est genus humanum in consumatione sæculi ad iudiciũ con-

gregandum: zizania peccatores: inimicus homo diabolus, qui superse- minauit peccata: messores sunt angeli, qui eligunt iustos à peccatoribus. Ligate fasciculos: hoc est, rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulte- ris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fu- res cum furibus, derisores cum derisoribus, similes cũ similibus. Hi sunt fasciculi ad comburendũ. Triticum aũt congregate in horreum meum, id est, mittite iustos in paradisum. Fratres expauescere & timere debe- mus de tam breui sacietate, de tam longa fame, de tam longis tenebris, de tam breui luce. Dum tempus habemus conuertamur ad dominum, qui fecit nos, ut nõ mereamur introire in illas tenebras, sed in lucẽ: quia omnis homo, qui opera dei facit, eius est filius. Si opera dei facimus, filij dei sumus. Quod modo peccamus, cito emendare debemus: & non ad- dere peccata peccatis. Vnde Psalmista: Appone iniquitatem super ini- quitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. Confessionem quæ- ramus puro corde, & pœnitentiam donatã à sacerdotibus perficiamus. Nolite iram recondere in cordibus uestris: quia quando iram porta- mus, nec oblatio, nec oratio à deo recipitur. Date eleemosynam: recipi- te peregrinos in domibus uestris: pedes eorum lauate, et lectos ipsorum præparate: Dolentes consolamini: nolite despicere peregrinos, quia ipsi peregrini estis. Non circumuenias fratrem tuum in negocio, quia Deus iudex est. Pauperes & uiduas, et orphanos nolite opprimere. Nolite de rapinis pauperum eleemosynas facere. Tristatur qui perdit: gaudet qui acquirit: Lucratur pecuniam, & perdit animam: Attendit quid acqui- rit: & non attendit, quid perdit. Fratres cum domini adiutorio, dum tempus habemus, laboremus, quatenus à malis simus pœnitentes, aut per ieiuniũ, aut per eleemosynas, aut per uigilias, aut per orationes, aut per charitatẽ, ut mereamur peruenire ad regna cœlestia, ubi est satietas sine fame: ubi est lux sine tenebris, iuuentus sine senectute, requies sine la- bore, gaudium sine fine. Ipse qui nos creauit, nos adiuuet, ut ad cœlestia regna mereamur peruenire, per Christum dominum nostrum, Amen.

HYMNVS AVRELII PRVDENTII
in exequias defunctorum.

DEus ignee fons animarum,
Duo qui socians elementa
Viuum simul ac moribundum
Hominem pater effigiasti.
Tua sunt, tua recta utraq;,
Tibi copula iungitur horum,
Tibi dum uegetata cohærent,
Spiritus simul & caro uiuit.

Rescissa sed ista seorsum,
Proprios reuocantur in ortus,
Petit alter æthera feruens,
Humus excipit arida corpus,
Rescissa sed ista seorsum
Soluunt hominem, perimuntq;,
Humus excipit arida corpus,
Animæ rapit aura liquorem.

Qui

Qui cuncta creata necesse est
Tabefacta senescere tandem,
Compactaq́ dissociari,
Et dissona texta retexi.
Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inuiolabile monstrans,
Quo perdita membra resurgant.
Vt dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit.
Si terrea forte uoluntas
Luteum sapit,& graue captat,
Animus quoq́,pondere uictus,
Sequitur sua membra deorsum.
At si generis memor ignis
Contagia nigra recuset,
Vehit hospita uiscera secum,
Pariterq́ reportat ad astra.
Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente uidemus,
Spacium breue restat,ut alti
Repetat collegia sensus.
Venient cito sæcula,cum iam
Socius calor ossa reuisat,
Animataq́ sanguine uiuo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadauera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur,hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaq́ myrrha Sabæo
Corpus medicamine seruat.
Quid nam sibi saxa cauata?
Quid pulchra uolunt monumēta?
Res quod nisi creditur illis
Non mortua,sed data somno?
Hoc prouida Christicolarum
Pietas studet,utpote credens
Fore protinus omnia uiua,
Quæ nunc gelidus sopor urget.
Qui iacta cadauera passim
Miserans tegit aggere terræ
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.
Quia lex eadem monet omnes
Gemitum dare sorte sub una,
Cognataq́ funera nobis
Aliena in morte dolere.
Sancti sator ille Tobiæ,
Sacer ac uenerabilis heros,
Dapibus iam rite paratis
Ius prætulit exequiarum.
Iam stantibus ille ministris,
Cyathos et fercula liquit,
Studioq́ accinctus humandi,
Fletu dedit ossa sepulchro.
Veniunt mox præmia cœlo,
Preciumq́ rependitur ingens,
Nam lumina nescia solis
Deus inlita felle serenat.
Iam tunc docuit pater orbis,
Quàm sit rationis egena,
Mordax,& amara medela,
Cum lux animum noua uexat.
Docuit quoq́ non prius ullū
Cœlestia cernere regna,
Quàm nocte & uulnere tristi
Tolerauerit aspera mundi.
Mors ipsa beatior ind'est,
Quod per cruciamina lethi
Via panditur ardua iustis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis,
Nec post obitum recalescens
Campago fatiscere nouit

Hæc quæ modo pallida tabo
Color albidus inficit ora,
Tunc flore uenustior omni,
Sanguis cute tinget amœna.
Nam nulla deinde senectus
Frontis decus inuida carpet,
Macies neq; sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoq; pestifer artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
Lucet inter uincula mille.
Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro, iam'q; perennis
Cernet sine fine gementem
Quos mouerat ipse dolores.
Quid turba superstes inepta
Clangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita iura
Luctu dolor arguit amens?
Iam mœsta quiesce querela,
Lachrymas suspendite matres,
Nullus sua pignora plangat,
Mors hæc reparatio uitæ est.
Sic semina sicca uirescunt
Iam mortua, iam'q; sepulta,
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.
Nunc suscipe terra fouendum,
Gremio'q; hunc concipe molli,
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa & fragmina credo.
Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ,
Feruens habitauit in istis
Sapientia principe Christo.
Tu depositum tege corpus,
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor & autor,
Propriíq; ænigmata uultus.
Veniant modo tempora iusta,
Cum spem Deus impleat omnem,
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.
Non si cariosa uetustas
Dissoluerit ossa fauillis,
Fuerit'q; ciniculus arens,
Minimi mensura pugilli.
Nec si uaga flumina, & auræ
Vacuum per inane uolantes,
Tulerint cum puluere neruos,
Hominem periisse licebit.
Sed dum resolubile corpus
Reuocas Deus, atq; reformas,
Qua nam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, ut est Eleazar
Quem floribus undiq; septum
Diues procul aspicit ardens.
Seqmur tua dicta redemptor,
Quibus atra morte triumphans,
Tua per uestigia mandas
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam paradisi,
Licet & nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.
Illud precor optime ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul, & errans.
Nos tecta fouebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,
Titulum'q;, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

S.Heme

S. HEMETERIVS ET CHELEDONius Martyres.


Cripta sunt coelo duorũ
Martyrum uocabula,
Aureis quę Christus illic
Annotauit literis.
Sanguinis notis eadem
Scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem
Terra Hibera stemmate.
Hic locus dignus tenendis
Ossibus uisus Deo,
Qui beatorum pudicus
Esset hospes corporum.
Hic colentes hausit undas
Cæde tinctus duplici,
Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes
Voce, uotis, munere.
Exteri nec non & orbis
Huc colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi
Quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando
Frustra congessit preces,
Lætus hinc tersis reuertit
Supplicator fletibus,
Omne quod iustum poposcit
Impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis
Cura suffragantium est.
Non sinant, inane ut ullus
Voce murmur fuderit,
Audiunt, statimq; ad aurem
Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso
Dona terris influunt,
Supplicum causas petitis
Quæ medelis inrigant.
Nil suis bonus negauit
Christus unquam testibus,
Testibus quos nec catenæ
Dira nec mors terruit.
Vnicum Deum fateri
Sanguinis dispendio,
Sanguinis sed tale damnum
Lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorũ est,
Hoc probis dignum uiris,
Membra morbis exedenda
Texta uenis languidis.
Hostico donare ferro,
Morte & hostem uincere,
Pulchra res ictum sub ense
Prosequutoris pati.
Nobilis per uulnus amplum
Porta iustis panditur,
Lota mens in fonte rubro
Sede cordis exilit.
Nec rudem crudi laboris
Ante uiam duxerant
Milites, quos ad perenne
Cingulum Christus uocat.
Sueta uirtus bello & armis
Militat sacrarijs,
Cæsaris uexilla linquunt,
Eligunt signum crucis,
Procq; uentosis draconum
Quod gerebant palijs,
Præferunt insigne lignum,
Quod draconem subdidit.
Vile censent expeditis
Ferre dextris spicula,
Machinis murum ferire,
Castra fossis cingere.
Impias manus cruentis
Inquinare stragibus
Forte tunc atrox secundos
Israëlis posteros

Ductor aulæ mundialis
Ire ad aram iusserat,
Idolis litare nigris,
Esse Christi refugas.
Liberam succincta ferro
Pestis urgebat fidem.
Illa uirgas, & secures
Et bisulcas ungulas
Vltro fortis expetebat,
Christi amore interrita,
Carcer inligata duris
Colla baccis impedit.
Barbaras forum per omne
Tortor exercet manus,
Veritas crimen putatur,
Vox fidelis plectitur.
Tunc & ense cæsa uirtus
Triste percussit solum,
Et rogis ingesta mœstis,
Ore flammas sorbuit.
Dulce tunc iustis cremari,
Dulce ferrum perpeti,
Hic duorum chara fratrum
Conualescunt pectora
Fida, quos per omne tempus
Iunxerat sodalitas,
Stant parati ferre quicquid
Sors tulisset ultima.
Seu foret præbenda ceruix
Ad bipennem publicam,
Verberum post uim crepantum
Post catastas igneas,
Siue pardis offerendum
Pectus, aut leonibus,
Nos'ne Christo procreati
Mammonæ dicabimur?
Et Dei formam gerentes
Seruiemus sæculo?
Absit, ut cœlestis ignis
Se tenebris misceat.
Sit satis, quod capta primo
Vita sub chirographo,
Debitum persoluit omne,
Functa rebus Cæsaris.
Tempus est Deo rependi
Quicquid est proprium Dei.
Ite signorum magistri,
Et uos tribuni absistite.
Aureos auferte torques
Sauciorum præmia
Clara nos hinc angelorum
Iam uocant stipendia.
Christus illic candidatis
Præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto,
Damnat infames Deos.
Vosq; qui ridenda uobis
Monstra diuos fingitis,
Hæc loquentes obruuntur
Mille pœnis martyres.
Nexibus manus utrasq;
Flexus inuoluit rigor,
Et chalybs attrita colla
Grauibus ambit ciclis.
O uetustatis silentis
Obsoleta obliuio,
Inuidentur ista nobis,
Fama & ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim
Nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis
Erudita sæcula
Ordinem, tempus, modumq;
Passionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Posterorum spergerent.
Hoc tamen solum uetusta
Subtrahunt silentia,
Iugibus longum catenis
An capillum pauerint
Quo uiros dolore tortor,
Qua'ue pœna ornauerit,
Illa laus occulta non est,
Nec senescit tempore.

Missa quod sursum per auras
Euolarunt munera,
Quae uiam patere coeli
Praemicando ostenderent.
Illius fidem figurans,
Nube fertur anulus,
Hic sui dat pignus oris,
Vt ferunt, orarium.
Quae superno rapta flatu
Lucis intrant intimum,
Per poli liquentis axem
Fulgor auri absconditur.
Ac diu uisum sequacem
Textilis candor fugit.
Subuehuntur usque in astra,
Nec uidentur amplius.
Vidit hoc conuentus adstans,
Ipse uidit carnifex,
Et manum repressit haerens
Ac stupore oppalluit.
Sed tamen peregit ictum,
Ne periret gloria.
Iam'ne credis bruta quondam
Vasconum gentilitas,
Quàm sacrum crudelis error
Immolarit sanguinem?
Credis in Deum relatos
Hostiarum spiritus?
Cerne quàm palàm feroces
Hìc domantur daemones,
Qui lupino capta ritu
Deuorant praecordia.
Strangulant mentes & ipsas,
Seque miscent sensibus,
Tunc suo iam plenus hoste
Sistitur furens homo.
Spumeas efflans saliuas,
Cruda torquens lumina,
Expiandus quaestione
Non suorum criminum.
Audias, nec tortor adstat,
Eiulatus flebiles.
Scinditur per flagra corpus,
Nec flagellum cernitur.
Crescit & suspensus ipse
Vinculis latentibus,
His modis spurcum latronem
Martyrum uirtus quatit.
Hęc coërcet, torquet, urit,
Haec catenas incutit,
Praedo uexatus relictis
Se medullis exuit.
Linquit inlaesam rapinam,
Faucibus siccis fugit,
Vngue ab imo usque ad capillum
Salua reddit omnia.
Confitens ardere sese,
Nam gehennae est incola,
Quid loquar, purgata longis
Alba morbis corpora?
Algidus cum decoloros
Horror artus concutit,
Hic tumor uultum relinquit,
Hic color uerus redit.
Hoc bonum Saluator ipse,
Quo fruamur, praestitit,
Martyrum cum membra nostro
Consecrauit oppido.
Sospitant quae nunc colonos
Quos Hiberus alluit.
State nunc hymnistae matres
Pro receptis paruulis.
Coniugum salute laeta
Vox maritarum strepet,
Sit dies haec festa nobis,
Sit sacratum gaudium.

HYMNVS BEATISSIMORVM MARtyrum Fructuosi, Episcopi ecclesię Tarraconensis, & Augurij & Eulogij diaconi.

Ex Prudētio

FElix Tarraco Fructuose uestris
Attollit caput ignibus coruscū
Leuitis geminis procul relucens.
Hispanos deus aspicit benignus
Arcē quandoquidē potens Hiberā
Trino martyre trinitas coronat.
Ardens Augurius capessit ęthrā
Nec non Eulogius simul supernū
Christi lucidus ad sedile tendit.
Dux & præuius, & magister illis
Ad tantum decus, ex Episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat.
Accitus quia præsidis repente
Iussu, uenerat ad forum sacerdos
Leuitis comitantibus duobus.
Inde ad carceream uiros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat,
Gaudet currere Fructuosus ultro.
Ac ne quis socios minor feriret,
Præceptor uehemēs eundo firmat,
Incenditq; fidem calore Christi.
Mecum state uiri, uocat cruentus
Ad pœnā coluber Dei ministros,
Ne mors terreat, est parata palma
Carcer chr̄icolis gradꝰ coronę est
Carcer prouehit ad superna cœli,
Carcer conciliat Deum beatis.
His dictis, adeunt specū reorum,
Exercent ibi mysticum lauacrum
Et purgamina quę stupēt tenebræ.
Sex hic continuis latent diebus,
Tandē stāt trucis ad tribunal hostis
Fratres ter geminos tremūt catastę.
Iudex Emilianus imminebat,
Atrox, turbidus, insolens, ꝓfanus,
Aras dæmonicas coli iubebat.
Tu qui doctor, ait, seris nouellū
Commenti genus, ut leues puellæ
Lucos destituant, Iouē relinquant.
Damnes si sapias anile dogma,
Iussum est Cæsaris ore Gallieni
Quod princeps colit, hoc colamus
Hęc fanti placidus refert sacerdos
Æternum colo principem, dierum
Factorem, dominumq; Gallieni.
Et Christū patre prosatū perennī
Cuius sum famulus, gregisq; pastor
Subridens ait ille, iam fuisti.
Nec differt furor, aut refrenat irā,
Sæuis destinat ignibus cremandos,
Exultāt, prohibentq; flere uulgum,
Quosdā de populo uidet sacerdos
Libandū sibi poculum offerentes,
Ieiunamus, ait, recuso potum.
Nondū nona diem resignat hora
Nunquā conuiolabo ius dicatum,
Nec mors ipsa meū sacrum resoluet
Sic Christus sitiēs crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare uolens, sitim peregit.
Intrant interea locum rotunda
Conclusum cauea, mandens ferarū
Multo sanguine quē furor frequētat
Quū specula perstrepunt cruenta
Ac uilis gladiator ense euro
Percussus cadit, & fremit uoluptas.
Hic flāmante pyra, niger minister
Ardens supplicium parare iussus,
Cōstruxit facibus rogum supremis.
Qui dū corpora cōcremāda soluit
Feruentes animas amore lucis
Fracto carceris expediuit antro.
Certant officijs pij sodales,
Plantis calciamenta dissolutis,
Pronus detrahere studebat unus.
Sed sanctus uetat, ora Fructuosus
Inclinata pręmit, facessite, inquit,
Ne nostrā grauet obsequela mortē.
At quin ipse meos pedes resoluā,
Ne uestigia præpedita uinclis
Tardis gressibus inruant in ignem.
Cur lamēta rigāt genas madētes?
Cur uestri memor ut siem rogatis?
Cūctis ꝓ populis rogabo Christū.

Vix

Vix hæc ædiderat, relaxat ipse
Indumenta pedum, uelut Moyses
Quōdā fecerat ad rubū ꝓpinquās.

Nō calcare sacram crematione,
Aut adstare Deo prius licebat,
Quam uestigia pura figerentur.

Stabat calce mera, resultat ecce
Cœlo spiritus, & ferit loquelam
Quę cunctos tremefecit audiētes.

Nō est credite pœna quā uidetis,
Quæ puncto tenui citata transit,
Nec uitam rapit illa, sed reformat.

Felices animæ, quibus per ignem
Celsa scandere contigit Tonantis:
Quas olim fugiet perennis ignis.

Hęc inter, rapidis focos crepātes
Intrant passibus, & minantur ipsis
Flammarū trepidantibus caminis.

Nexus deniq;, q manus retrorsus
In tergum reuocauerant reuinctas,
Intacta cute decidunt adusti.

Nō ausa est cohibere pęna palmas
In morē crucis ad patrē leuandas,
Soluit brachia, quę deum ꝓcentur.

Friscorū specimen trium putares,
Quos olim Babylonicū per ignē
Cantātes stupuit tremēs tyrannus.

Illis sed pia flāma dum pepercit,
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decꝰ inchoāte Christo.

Hos quū defugeret uaporꝰ ardor
Orant, ut celer ignis aduolaret,
Et finem daret anxijs periclis.

Exorata suos obire tandem
Maiestas famulos iubet caducis
Missis corporibus, sibiq; reddi.

Vidit præsidis ex domo satelles
Cœlū martyribus patere apertum,
Insignesq; uiros per astra ferri.

Quin & filiolæ monens herili
Ostendit sceleris notam paterni,
Cœlo uiuere, quos forum peremit.

Hęc tum uirginitas palam uidere
Per sudum meruit, patente cœlo,
Vt crimen domini domus timeret.

Tum de corporib. sacris fauillæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisq; uindicabat.

Fratrū tantus amor domū referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.

Sed ne reliquias resuscitandas,
Et mox cum domino simul futuras,
Discretis loca diuidant sepulchris,

Cernuntur niueis stolis amicti,
Mandant restitui, cauoq; claudi
Mixtim marmore, puluerē sacrādū.

O triplex honor, ô triforme culmē
Quo nostræ caput excitatur urbis,
Cunctis urbibus eminens Hiberis.

Exultare tribus libet patronis,
Quorū præsidio fouentur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.

Circūstet chorus ex utroq; sexu,
Heros, uirgo, puer, senex, anicla,
Vestrum psallite rite Fructuosum,

Laudās Auguriū resultet hymnꝰ,
Mistis Eulogium modis coęquans,
Reddamus parib. pares Camœnas.

Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandū littoris extet inde murmur,
Et carmen freta feriata pangant.

Olim tempus erit ruēte mundo,
Quum te Tarraco Fructuosus acri
Soluet supplicio tegens ab igni.

Fors dignabit & meis medelam
Tormētis dare, prosperāte Christo,
Dulces Hendecasyllabos reuoluēs.

CASSIANVS MARTYR.

Ex Prudẽtio



SYlla forum statuit Cornelius, hoc Itali urbem
Vocant ab ipso conditoris nomine.
Hic mihi quũ peterem te rerũ maxima Roma,
Spes est oborta prosperum Christum fore.
Stratus humi tumulo aduoluebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore.
Dum lachrymans mecũ reputo mea uulnera, & omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina,
Erexi ad cœlum faciem, stetit obuia contra
Fucis colorum picta imago martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile uisu,
Confossa paruis membra figebant stilis.
Vnde pugillares soliti percurrere ceras.
Scholare murmur adnotantes scripserant.
Æedituus consultus ait: quod prospicis hospes
Non est inanis, aut anilis fabula,
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram uetusti temporis monstrat fidem.
Pręfuerat studijs puerilibus, & grege multo
Septus, magister literarum sederat.
Verba notis breuibus comprendere cuncta peritus,
Raptimq; punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera nonnunquam præcepta, & tristia uisa,
Impube uulgus mouerant, ira & metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiæ est.
Ecce fidem quatiens tempestas sæua, premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu è medio moderator alumni
Gregis, quòd aris supplicare spreuerat.
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu,
Respondent, agmen tenerum, ac puerile gubernat,
Fictis notare uerba signis imbuens.
Ducite conclamat captiuum ducite, & ultro
Donetur ipsis uerberator paruulis,
Vt libet illudant, lacerent impune, manusq;
Tingant magistri feriatas sanguine.

Ludum

Ludum discipulis uolupe est ut præbeat ipse
Doctor seuerus, quos minis coërcuit.
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
Adest acutis agmen armatum stilis.
Quantum quisq; odij tacita conceperat ira,
Effudit ardens felle tandem libero.
Conijciunt alij lapides, inq; ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetq; ab ictu curua tumens pagina.
Inde alij stimulos, & acumina ferrea uibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur.
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innouatur area.
Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur,
Pars uiscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixere cruentæ,
Totidemq; guttæ uulnerum stillant simul.
Maior tortor erat, qui summa pupugerat infans,
Quàm qui profunda perforarat uiscera.
Ille leuis, quoniam percussor morte negata
Sæuire solis scit dolorum spiculis.
Hic quanto interius uitalia condita pulsat,
Plus dat medelæ dum necem prope applicat.
Este precor fortes, & uincite uiribus annos,
Quod desit æuo, suppleat crudelitas.
Sed male conatus tener, infirmusq; laborat,
Tormenta crescunt dum fatiscit carnifex.
Quid gemis, exclamat quidam, tute ipse magister
Istud dedisti ferrum, & armasti manus.
Reddimus ecce tibi iam millia multa notarum,
Quæ stando, flendo, te docente excepimus.
Non potes irasci quod scribimus, ipse iubebas
Nunquam quietum dextera ut ferret stilum:
Non petimus toties te præceptore negatas
Auare doctor, iam scholarum ferias.
Pangere puncta libet, sulcisq; intexere sulcos,
Flexas catenis impedire uirgulas.
Emendes licet inspectos longo ordine uersus,
Mendosa forte si quid errauit manus.
Exerce imperium, ius est tibi plectere culpam,
Si quis tuorum te notauit segnius.

Talia ludebant pueri per membra magistri,
Nec longa fessum pœna soluebat uirum.
Tandem luctantis miseratus ab æthere Christus,
Iubet resolui pectoris ligamina
Difficilesq́ moras animæ, ac retinacula uitæ
Relaxat artus, & latebras expedit.
Sanguis ab interno uenarum fonte patentes,
Vias sequutus, deserit pręcordia.
Totq́ foraminibus penetrati corporis exit,
Fibrarum anhelans ille uitalis calor.
Hęc sunt, quæ liquidus expressa coloribus hospes
Miraris, ista est Cassiani gloria.
Suggere si quod habes iustum, uel amabile uotum,
Spes si qua tibi est, si quid intus æstuas.
Audit crede preces martyr prosperrimus omnes,
Ratasq́ reddit, quas uidet probabiles.
Pareo, complector tumulum, lachrymas quoq́ fundo,
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris,
Tunc quod petebam, quod timebam murmuro.
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
Et spem futuri forte nutantem boni.
Audior, urbem adeo, dextris successibus utor:
Domum reuertor, Cassianum prædico.

OSVALDVS REX, VIR ELEEMOSYNARIVS.

IMperatori Tyberio Christiano haud dissimilis rex Osualdus extitit. Paulus Diaconus de Tyberio sic scribit: Hic cum multa de thesauris, quos Iustinianus cógregarat, pauperibus erogaret, Sophia Augusta frequentius increpabat eum, ꝙ rempublicā redegisset ad paupertatem, dicens: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodige dispergis. Aiebat autem ille: Confido in domino, quia non deerit pecunia fisco nostro, tantum ut pauperes eleemosynam accipiant, aut captiui redimātur: Hoc est magnus thesaurus, &c̄. Hæc Paulus Diaconus. Porrò Sophia ista uxor fuerat pręcessoris imperatoris Iustiniani amentis, mulier longe nequissima, pio Tyberio insidians.

S. Wal

S. WALTBVRGA VIRGO ANGLICA.

TEmpore, quo prædicatores Euangelij Ecclesiastici Augustinus quidam & Mellitus à Romano pontifice Gregorio in Britanniam, seu Angliam, uocante deo, missi, populum eius terræ, operante spiritu, à paganismo ad Christianismum per disseminatum uerbũ conuerterunt, accidit, ut ex conuersis quidam præcipui, Christi fide ac dilectione pleni, temporalem patriam relinquerent, & peregrinationes longinquas atq; diutinas susciperent, quo maiorem æderent uerbi fructum. Inter horũ numero fuit Bonifacius, Vuillibrordus, Vuigbertus, Leboinus, duo Euualdi: præterea Vuillibaldus, Wunebaldus, & istorum duorum soror Waltburga. Venerũt uerò homines isti dei in Germaniam, & contigit diuina dispositione, ut Vuillibaldus Eichstadij crearetur episcopus, ac Vunebaldus unà cum sorore Wualtburga in loco Heidenheim dicto monasterium construeret, ubi monasticam uitam egerunt, seruientes deo, quem per Christum filium cognorant in omni pietate & honestate. Prior uitam morte cõmutauit, Wunebaldus, pòst in eodem monasterio è sæculo transiuit ad adamatum sponsum, seruatorẽ suum Christum, Waltburga, bonis operibus abundans. Dein florente Otgario archiepiscopo translatum fuit eius diuæ corpus Eichstadiũ, ubi temporibus Eckenbaldi Eichstetensis episcopi, & Arnulphi regis, anno nimirum humanę salutis 893. multa miracula diuinitus apud S. Waltburgę sarcophagũ facta esse legimus. Optamus quotquot Christum ac eius apparitionem diligimus, ut hanc sanctimonialem nostræ imitarentur. O casta sanctaq; monasteria, tam à mundo semota, q̃ coelo uicina.

Georg. Vuicelij.

QVINQVE FRATRES PROPTER EVANgelium à paganis occisi.

ANno dominicæ incarnationis M.CC.XIX. misit sanctus ille uir Franciscus non sine instinctu dei ex sodalitio suo sex fratres in regnum Marrochiorum, ad euangelizandum incredulis populis. Nomina fratrũ sunt, Vitalis, Beraldus, Otto, Accursius, Petrus & Adiutus. Horũ antesignanus Vitalis erat. Verum cum peragrarent Aragoniam, Vitalis morbo graui correptus, diem suum obijt, reliquis quinq; coepto itinere pergentibus, inq; Portugalliam uenientibus, ubi apud reginã suæ pietatis specimen ędiderũt. Post hæc attigerũt Sarracenorũ ciuitatem Sibiliam, mutato monastico cultu: sic enim expediebat, iuxta cõsilium reginæ. Ibi uerò cum mesquitam, seu templum Sarracenicum pararent ingredi, prohibiti sunt à Sarracenis, ceu prophani: neq; enim de Christianis nobis pagani secus iudicant. At illi, ut erant uiri fide fortes, sumptis animis, ad palatium regis accedebant, hæcq; dicta da-

cta dabant: Rex missi nos à rege regũ sumus euangelizare gratiam, pacem & misericordiam dej patris in Christo Iesu unigenito. Hæc ac similia ubi audisset rex, uersus in furorem est, & iniecta manu iussit, prædicatores Christi in uincula duci. Ferre enim non potuit mentionem fidei & baptismi, nec uituperationẽ Mahometici Alcorani, atq; uniuersæ istius damnatissimæ legis. Cæterũ carcere liberati, quando ita deo libuit, Marrochium uenerunt: qua in prouincia uerbum dei libere seminarũt. Nec omnino destituti fuerunt Christianorum principum, maxime Hispanorum, ope ac subleuamine. Sarraceni non admittentes Euangeliũ, huius professores uarijs pœnis affecerunt. Tandem rex Marrochiorum Miramamolus dictus, siue, ut alij, Miramolinus, succesus ira, tres simul gladios stringens propria manu & ferali crudelitate Christi cõfessores decollauit. Idq; factum est tempore Honorij III. septem fermè annis ante obitum diui Francisci: qui cum audisset martyrium istud, exultans spiritu dixit: Nũc uere dicere possum, me quinq; habere fratres. Ab eo tempore se Franciscus contulit in Syriam, assumptis alquot fratribus, et illic Soltano Christi fidem constantissime prædicauit.

VITA THOMÆ AQVINATIS DEscripta ab Antho. Pizamano Veneto.

Diuus Thomas Landulpho patre Aquini comite Campaniæ urbis celeberrimę, ac multorum oppidorum principe natus, Theodoram matrem & genere & sanctissimis uitæ moribus insignem sortitus est, quæ etsi Ludeuico Siciliæ Petroq; Arragoniæ regibus ex duabus sororibus ortis dignissima esset, uiuendi tamen ratione dignior extitit, ut quæ assiduis ieiunijs & uigilijs exeso corpore, genub. quoq; ob crebras ad deum preces durissimo callo obductis fuisse feratur. Sorores uerò habuit, &c. Reliqua ipse lege in opusculis ipsius Thomæ, seorsim excusis.

S. QVINTINVS MARTYR Romanus.

Georg. Vuicelij.

Vir ille senatoria familia Romę prognatus, generis nobilitatẽ fidei claritate obscurauit. Nam ingẽti Christi ardore patriam deserens, in Gallias peruenit, egitq; cum beato Luciano Ambianis aliquãdiu: & Christi nomen passim manifestauit tàm uerbo, q̃ miraculo. Eo tempore autem non ferens religionem nostram tyrannus Diocletianus, sæuire in pios uiros cœpit, ardescente etiam paganorum omnium inuidia. Verum nihilo minus succreuit religio, quantumlibet & quibuscunq; modis afflicta. Igitur præfectus Ritionarus cõmissionẽ sui regis exequens, sanctos complures Basileam usq; insectatur, atq; inquisitos in Rheni fluenta demergit. Fœlix sanctorum corporum tumulus Rhe-

lus Rhenus, sicut & Rhodanus in Gallia. Post multas cædes oblatus est satrapæ Quintinus, qui id tēporis Ambianis Christo Iesu plurimas animas lucrifecit. Hic uaria Tragœdia luditur. Primum carcere recluditur ouis innoxia, deinde uir dei sistitur ad tribunal examinādus. Postremo non uno supplicij genere torquetur, ad ultimum usq; spiritum. Iucundū uero lectu, quanto sermonis planè diuino artificio refutarit Marosophi huius blateramenta. In confessione Ecclesiasticę fidei perstitit dura silex. Atrociter minanti tandem respondit: Et ego tibi per dominum meum confirmo, nolle me quod iubes facere, nec quod minaris, metuere. Solebat item ad deum has eiaculari preces: Domine eripe me de manu peccatoris, &c. Habebat hoc quoq; dictum in ore: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Immane, quantis & quot cruciatibus uirum Euangelicum laniarit tyrannus. Neq; tamen potuit efficere, quo minus præco diuinus medio in foro Christianæ fidei symbolum ad populum prædicarit, non sine magna fruge Christiani regni. Vltimo capite detruncatus, cum pijssimas preces dixisset, obdormiuit in Christo. Mox mortuum quidem corpus crudelissima bestia in fluuium Somenam proijci curauit: sed uetare nō potuit, quin illud post multos annos integrum inde erueret Eusebia Romana fœmina, non sine Dei instinctu. Factum id uerò est apud Augustam Viromandorum in Gallijs, ibiq; humauit sanctum corpus, tot mortibus excruciatum: uictrice tamen anima, quæ non moritur.

VITA S. MARTINI EPISCOPI Turonensis.



Artinus Sabbariæ Pannoniorū oppido oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini alitus est, parentibus secundū seculi dignitatem nō infimis, gentilibus tamen. Pater eius miles primū, pòst tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scalares alas sub rege Constantio, deinde sub Iuliano Cæsare militauit: non tamen spontè, quia à primis ferè annis diuinam potius seruitutē sacra illustris pueri inspirauit infantia. Nam cum esset annorum decem, inuitis parentibus, ad ecclesiam confugit, seq; catechuminum fieri postulauit. Mox mirum in modum totus in dei opere conuersus, cum esset annorū duodecim in eremū concupiuit, fecissetq; uotis satis, si ætatis infirmitas nō obstitisset. Animo tamen aut circa monasteria, aut circa ecclesias semper intentus meditabatur in ætate puerili, quod postea deuotus impleuit. Sed cum edictum esset à regibus, ut ueteranorum filij ad militiam scriberentur, ꝓdente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cum esset annorū xv. raptus & catenatus sacramentis militaribus implicatus est, uno tamen seruo comite contentus, cui tamen uersa uice, dominus seruiebat, adeo, Ex Seuero Sulpitio.

ut plerunque ei & calciamenta ipse detraheret, & ipse detergeret, cibum una caperent, hic sæpius ministraret. Trienniū ferè ante baptisma in armis fuit, integer tamen ab ijs uitijs, quibus illud hominum genus implicari solet. Multa illi circa cōmilitones benignitas, mira charitas, patientia uero atque humilitas ultra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare non est necesse, qua ita usus est, ut iam illo tempore nō miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes cōmilitones suos deuinxerat, ut eum miro affectu mirarentur. Necdum tamen regeneratus in Christo agebat quendam bonis operibus baptismatis candidatū, assistere scilicet laborātibus, opem ferre miseris, alere egentes, uestire nudos. Nihil sibi ex militiæ stipendijs, præter quotidianum uictum reseruabat, iam tum Euangelij non surdus auditor, de crastino non cogitabat.

Quodam itaque tempore, cum iam nihil, præter arma, & simplicem militiæ uestem haberet, media hyeme, quæ solito asperior inhorruerat, adeo, ut plerosque uis algoris extingueret, obuiū habet in porta Ambianensium ciuitatis pauperem nudum: qui cum prætereuntes, ut sui misererentur, oraret, omnesque miserum præterirent, intellexit uir deo plenus, sibi illum, alijs misericordiam non præstantibus, reseruari. Quid tamen ageret? Nihil, prçter chlamydem, quā indutus erat, habebat: ita ēm reliqua in opus simile cōsumpserat. Arrepto itaque ferro, quo erat accinctus, mediam diuidit, partemque eius pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Interea de circūstantibus ridere nonnulli, quia deformis esse, & truncatus habitu uideretur. Multi quidem, quibus erat mens sanior, altius gemere, quod nihil simile fecissent, cum utique plus habentes uestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cum se sopori dedisset, uidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte uestitum. Intueri diligentissime dominum, uestemque quam dederat, iubetur agnoscere. Mox ad angelorum circūstantium multitudinē audiuit Iesum clara uoce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me ueste contexit. Vere memor dominus dictorum suorum, quæ ante prçdixerat, quandiu fecistis hæc uni ex minimis istis, mihi fecistis. Se in paupere professus est fuisse uestitum, & ad confirmandum tam boni operis testimonium in eodem se habitu, quē pauper acceperat, est dignatus ostendere.

Quo uiso, uir beatissimus non in gloriam est elatus humanam, sed bonitatē dei in suo opere cognoscens, cum esset annorū duo de uiginti, ad baptisma conuolauit. Nec statim militiæ renunciauit, tribuni sui precibus euictus, cui contubernium familiare præstabat. Etenim transacto tribunatus sui tempore renunciaturum se sæculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione suspensus, per biennium ferè posteaque est baptisma consecutus, solo scilicet nomine militauit. Interea irruentibus in-

tra

tra Gallias Barbaris, Iulianus Cæsar coacto in unũ exercitu apud Vagionum ciuitatem donatiuum cœpit erogare militibus: & ut est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum uentum est. Tum uero oportunum tempus existimans, quo peteret remissionem: neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum non militaturus acciperet. Hactenus, inquit ad Cæsarem, militaui tibi, nunc patere, ut militem deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum uero aduersus hanc uocem tyrannus infremuit, dicens eum metu pugnæ, quæ postero die erat futura, non religionis gratia detrectare militiã. At Martinus intrepidus, imò illato sibi terrore constantior: Si hoc, inquit, ignauiæ ascribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis astabo, et in nomine domini Iesu signo crucis, nõ clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur, facturus fidem dictis, ut inermis Barbaris obijceretur. Postero die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia, seq; dedentes. Vnde quis dubitet, hanc uerè beati uiri fuisse uictoriam, cui præstitũ sit, ne inermis ad prælium mitteretur? Et quamuis pius dominus seruare militem suum inter hostium gladios & tela potuisset, tamen ne uel aliorum morte sancti uiolaretur obtutus, exemit pugnæ necessitatem. Neq; enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare uictoriam, q̃ ut subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur.

Exinde relicta militia, sanctum Hilarium Pictauæ episcopum ciuitatis, cuius tũc in dei rebus spectata & cognita fides habebatur, expetiuit, & aliquãdiu apud eum cõmoratus est. Tentauit aũt idem Hilarius imposito diaconij officio, sibi eum arctius implicare, & ministerio uincire diuino. Sed cum sæpissime restitisset, indignum se esse uociferans, intellexit uir dei altioris ingenij, hoc eum modo posse constringi, si id ei officij imponeret, in quo quidã locus iniuriæ uideretur. Itaq; exorcistam eum esse præcepit, quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem uideretur, non repudiauit.

Nec multo post admonitus per soporẽ, ut patriam, parentesq;, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa sollicitudine uisitaret, ex uoluntate sancti Hilarij profectus est, multisq; ab eo obstrictus precibus et lachrymis, ut rediret, mœstus (ut ferunt) peregrinationem illam aggressus est, contestatus fratres, multa se aduersa passurum, quod postea probauit euentus. Ac primum inter Alpes deuia secutus incidit in latrones. Cumq; unus securim eleuatã in caput eius librasset, ictum ferientis dextera sustinuit alter. Vinctis tamẽ post tergum manibus, uni seruandus & custodiendus traditur. Qui cum eum ad remotiora duxisset, percontari ab eo cœpit, quis nam esset. Respondit, Christianum se esse. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tunc uerò constantissime profitebatur, nunq̃ se tam fuisse securum: quia scire, misericordiam domini maxime in

tentationibus affuturā, se magis illi dolere, qui Christi misericordia, ut pote latrocinia exercens, esset indignus. Ingressusq; Euangelicam disputationem, uerbum dei latroni prædicabat. Quid longius morer? Latro credidit, prosecutusq; Martinum uiæ reddidit, orans, ut pro se dominū precaretur. Idemq; postea religiosam ducere uitā uisus est, adeo, ut hæc quæ supra retulimus, ab eo audita dicantur. Igitur Martinus inde progressus, cum Mediolanum præterisset, diabolus in itinere humana specie assumpta, se ei obuiū tulit, quo tenderet requirens. Cumq; id à Martino responsi accepisset, se quò dominus uocaret: ait ad eum: Quocūq; ieris, uel quæcunq; tentaueris, diabolus tibi aduersabitur. Tunc ei prophetica uoce respondit: Dominus mihi adiutor est, nō timebo, quid faciat mihi homo. Statimq; è cōspectu eius inimicus euanuit. Itaq; ut animo ac mente conceperat, matrē gentilitatis absoluit errore, patre in malis perseuerante: plures tamen suo saluauit exemplo.

Deinde cum hæresis Arriana per totum orbem, & maxime intra Illyricum pullulasset, cum aduersus perfidiam sacerdotū solus penè acerrime repugnaret, multisq; supplicijs esset affectus: nam et publice uirgis cæsus est, & ad extremum de ciuitate exire compulsus: Italiam repetijt. Cum intra Gallias quoq; discessu sancti Hilarij, quem ad exilium hæreticorum uis coëgerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit.

Ibi quoq; eum Auxentius auctor et princeps Arrianorum grauissime insectatus est, & multis affectum iniurijs, de ciuitate exturbauit. Cedendū itaq; tempori arbitratus, ad insulam Galinariam nomine secessit, comite quodam presbytero magnarum uirtutum uiro. Hic aliquandiu radicibus uixit herbarum, quo tempore elleborum uenenatum (ut ferunt) gramen in cibum sumpsit. Sed cum uim ueneni in se crassantis uicina iam morte sensisset, imminens periculum oratione repulit, statimq; omnis dolor fugatus est.

Nec multo post, cum sancto Hilario comperisset regis præsentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentauit occurrere, profectusq; est ad urbem. Cum autem iam Hilarius præterisset ita eum uestigijs prosecutus est. Cūq; ab eo gratissime fuisset susceptus, haud longè sibi ab oppido monasterium collocauit. Quo tempore quidam ei se catechumenus iunxit, cupiens uiri sanctissimi institui disciplinis. Paucis quippe interpositis diebus, languore correptus, ui febriū laborabat. At tum Martinus forte discesserat: & cum per triduum defuisset, regressus exanime corpus inuenit. Ita subita mors fuerat, ut absq; baptismate humanis rebus excederet. Corpus in medio positū, tristi mœrentium fratrum frequentabatur officio, cum Martinus flens & eiulans accurrit. Tum uero tota spiritumsanctum mente concipiens, egredi cellulam, in qua corpus iacebat, cæteros iubet, ac foribus obseratis super exanimata

defuncti

defuncti fratris membra prosternitur. Et cum aliquandiu orationi incubuisset, sensissetq́; per spiritum, domini adesse uirtutē, erectus paululum, & in defuncti ora defixus, orationis suæ ac misericordiæ Domini intrepidus expectabat euentum. Vixq́; duarum ferè horarum spacium intercesserat, uidit defunctum paulatim membris omnibus commoueri, & laxatis in usum uidendi palpitare luminibus. Tum uerò magna ad dominum uoce conuersus, gratias agens cellulam clamore cōpleuerat. Quo audito, qui pro foribus astiterant, statim irruunt. Mirum spectaculū, ꝙ uidebant uiuere, quē mortuū reliquissent. Ita redditus uitæ, statim baptisma cōsecutus, plures postea uixit annos, primusq́; apud nos Martini uirtutum, uel materia, uel testimonium fuit. Idem tamen referre solitus erat, se corpore exutum ante tribunal iudicis ductum, deputatumq́; obscuris locis, & uulgaribus turbis tristem excepisse sententiam. Tunc per duos angelos iudici fuisse suggestū, hunc esse, pro quo Martinus oraret. Ita per eosdem angelos se iussum reduci, & Martino redditum, uitæq́; pristinæ restitutum. Ab hoc primo tempore beati uiri nomen enituit, ut qui sanctus iam ab hominibus habebatur, potens etiam & uerè apostolicus haberetur.

Nec multo pòst, dum agrum Lupicini cuiusdam honorati secundū sæculū uiri præteriret, clamore, & luctu turbæ plangentis excipitur. Ad quam cum sollicitus astitisset, et quis esset hic fletus inquireret, indicatur unum è familia seruulum laqueo sibi uitam extorsisse. Quo cognito cellulam, in qua corpus iacebat, ingreditur, exclusisq́; omnibus turbis, superstratus corpori aliquantisper orauit. Mox uiuiscente uultu, inardescentibus oculis in ora illius defunctus erigitur, lentoq́; conamine enisus assurgere, apprehensa beati uiri dextera in pedes constitit, atque ita cum eo usque ad uestibulum domus turba omni inspectante processit.

Sub idem ferè tempus ad Episcopatum Turonicæ petebatur ecclesiæ. Sed cum erui à monasterio suo non facile posset, Ruritius quidam unus ex ciuibus, uxoris languore simulato, ad genua illius prouolutus, ut egrederetur obtinuit. Ita dispositis iam in itinere ciuiū turbis, sub quadam custodia ad ciuitatem usq; deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non solum ex illo oppido, sed etiam ex uicinis urbibus ad suffragia ferenda conuenerant. Vna omnium uoluntas, eadem uota, eadem sententia, Martinum Episcopatu esse dignissimum, fœlicem fore tali Ecclesiam sacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Episcopis, qui ad constituendum antistitem fuerant euocati, impie repugnabant, dicentes scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu, hominem uultu despicabilem, ueste sordidum, crine deformem. Ita à populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa dementia est: quia illustrem uirum dum uituperare cupiūt, prædicabant. Nec uerò aliud ijs facere licuit, ꝙ ꝗd populus domino uolente cogebat. Inter episcopos tamē, qui affue-

rant, præcipue Defensor quidã nomine dicitur restitisse. Vnde animaduersum est, grauiter illum lectione prophetica tunc notatũ. Nam cum fortuitu lector, cui legendi eo die officiũ erat, interclusus à populo desuisset, turbatis ministris, dum expectatur, qui non aderat, unus è circũstantibus sumpto Psalterio, quem primũ uersum inuenit, arripuit. Psalmus aũt hic erat: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & defensorem. Quo lecto, clamor populi tollitur, pars aduersa confunditur, atq; ita habitum est, diuino nutu Psalmum hunc lectum fuisse, ut testimonium operis sui Defensor audiret, quia ex ore infantium & lactentium in Martino domini laude perfecta, & ostensus pariter, & destructus est inimicus.

Iam uero sumpto episcopatu, qualem se, quantumq; præstiterit, nõ est nostrę facultatis euoluere. Idem em̃ constantissime perseuerabat, qui prius fuerat, eadẽ in corde eius humilitas, eadẽ in uestitu eius uilitas erat atq; ita plenus auctoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi uirtutemq; desereret.

Aliquãdiu ergo adhęrenti ad ecclesiã cellula usus est: deinde cũ inquietudinẽ frequentantiũ ferre nõ posset, duobus ferè extra ciuitatẽ milibus monasteriũ sibi statuit: qui locus tam secretus & remotus erat, ut eremi solitudinẽ non desideraret: ex uno enim latere pcisa montis excelsa rupe ambiebat, reliquam planitiẽ Liger fluuius reducto paululũ sinu clauserat, una tantũ, eademq; arcta admodũ uia adiri poterat. Ipse ex lignis cõtextam cellulã habebat. Multi quidẽ è fratribus in eundẽ modũ, pleriq; saxo superiecti montis cauato receptacula sibi fecerant. Discipuli uero octoginta erant, qui ad exemplũ beati magistri instituebant. Nemo ibi quicq; pprium habebat: omnia in mediũ cõferebantur: Non emere, aut uendere (ut plerisq; monachis moris est) cuiq; licebat. Ars ibi exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamẽ operi minor ætas deputabatur. Maiores orationi uacabant. Rarus cuiq̃ extra cellulã suã egressus, nisi cũ ad locũ orationis cõueniebant. Cibũ unà omnes post horã ieiunij accipiebant. Vinũ nemo nouerat, nisi quẽ infirmitas coẽgisset. Pleriq; camelorũ setis uestiebãtur. Mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirũ, necesse est, q̃ multi inter eos nobiles habebantur, qui longe aliter educati, ad hanc se humilitatẽ et patientiam coẽgerant, pluresq; ex ijs postea episcopos uidimus. Quæ enim esset ciuitas, aut ecclesia, quæ non sibi de Martini monasterio cuperet sacerdotem?

Sed ut reliquas uirtutes eius, quas in Episcopatu egit, aggrediar: Erat haud longe ab oppido proximus monasterij locus, quem falsa hominum opinio, uelut consepultis ibi martyribus consecrauerat. Nam & altare ibi à superioribus Episcopis cõstitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab ijs, qui maiores natu erant presbyteris uel Clericis flagitabat, nomen sibi Martyris & tempora passionis

passionis ostendi. Grandi se scrupulo permoueri, quod nihil certi constans sibi maiorum memoria tradidisset. Cum aliquandiu ergo à loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem suam uulgo accomodans, ne superstitio conualesceret, quodam die paucis secum adhibitis fratribus ad locum pergit. Deinde super sepulchrum ipsum astans, orauit ad dominum, ut quis esset, uel cuius meriti sepultus ostenderet. Tum conuersus ad leuam, uidet prope assistere umbram sordidam, trucem: imperat, nomen meritumque ut loqueretur. Nomen edicit, confitetur de crimine, latronem se fuisse ob scelera percussum, uulgi errore celebratum, sibi nihil cum martyribus esse commune, cum illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum uocem loquentis, qui aderant, audiebant, personam tamen non uidebant. Tum Martinus, quid uidisset, exposuit, iussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, summoueri, atque ita populum superstitionis illius absoluit errore.

Accidit autem in sequenti tempore, dum iter ageret, ut gentilis cuiusdam corpus, quod ad sepulchrum cum superstitioso funere deferebatur, obuium haberet, conspicatusque eminus uenientē turbam, quid nam id esset ignarus, paululum stetit. Nam cum ferè quingentorum passuum interuallum esset, ut difficile fuerit dignoscere, quid uideret, tamen quia manum cerneret, & agente uento linteamina corpori superiecta uolitarent, profanos sacrificiorum ritus agi credidit, quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulachra dæmonum candido tecta uelamine, misera per agros suos circunferre dementia. Eleuato ergo in aduersum signo crucis, imperat turbæ, nō moueri loco, onusque deponere. Hîc uerò mirum in modū uideres miseros primū uelut saxa riguisse, deinde cum primo mouere se summo conamine niterentur, ultra accedere non ualentes ridiculam in uertiginem rotabantur, donec uicti corporis onus deponūt attoniti, & semet inuicem aspectantes, quid nam sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed cum beatus uir comperisset, exequiarum illam esse frequentiam, non sacrorum, eleuata rursum manu, dat eis abeundi, & tollendi corporis potestatem. Ita eos & cum uoluit, stare compulit, & cum libuit, abire permisit.

Item dum in uico quodam templum antiquissimum diruisset, & arborem pinum, quæ Fano erat proxima, esset aggressus excidere, tum uerò antistes loci illius, cæteraque gentilium turba cœpit obsistere. Et cum ijdem illi dum templum euertitur, imperante domino quieuissent, succidi arborem non patiebantur. Ille quidem eos sedulo commonebat, nihil esse religionis in stipide: Deum potius, cui seruiret ipse, sequerentur: arborem illam excidi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tum unus ex ijs, qui erat audacior cæteris, Si habes, inquit, aliquā de Deo tuo, quē dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidimus hanc arborē, tu ruentem excipe, & si tecum est tuus (ut dicis) dominus, euades. Tum ille intrepide con-

de confisus in domino, facturum se pollicetur. Hic uero ad istiusmodi conditionem omnis illa gentilium turba consentit, facilemq́ arboris suę habuêre iacturam, si inimicum sacrorum suorum casu illius obruissent. Itaq; cum in unam partem pinus illa esset accliuis, ut non esset dubium, quam in partem succisa corrueret, eo loco uinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quo arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio lætitiaq́ cœperunt. Aderat eminus turba mirantiũ, iamq́ paulatim nutare pinus cœpit, & ruinam suam casura minitari. Pallebant eminus monachi, & periculo iam propiore conterriti spem omnem, fidemq́ perdiderãt, solam Martini mortem expectãtes. At ille confisus in Domino, intrepidus opperiens, cum iam fragorem sui pinus concidens edidisset, iam cadenti, iam super se ruenti, eleuata obuiam manu signum salutis opponit. Tum uerò turbinis modo retro actam putares, diuersam in partem ruit, adeo ut rusticos qui tuto in loco steterant, penè prostrauerit. Tum uerò in cœlum clamore sublato gentiles stupere miraculo, monachi flere præ gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus prædicari, satisq́ constitit, eo die salutem illi uenisse regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impositione manus desiderata, Dominum Iesum relicto impietatis errore, crediderit. Et uere ante Martinum pauci admodum, imò penè nulli in ijs regionib. Christi nomen receperant. Quod adeo uirtutibus illius, exemploq́ conualuit, ut iam ibi nullus locus sit, qui non aut ecclesijs frequentissimus, aut monasterijs sit repletus. Nam ubi fana destruxerat, statim ibi aut ecclesias, aut monasteria construebat.

Nec minorem sub idem ferè tempus eodem in opere uirtutem edidit. Nam cum in uico quodam fano antiquissimo et celeberrimo ignem immisisset, in proximam imo adhærentem domum agente uento flammarum globi ferebantur: Quod ubi Martinus aduertit, rapido cursu tectum domus scandit, obuium se aduenientibus flammis inferẽs. Tum uero mirum in modum cerneres contra uim uenti ignem retorqueri, ut compugnantium inter se elementorum quidam conflictus uideretur.

Ita uirtute Martini ibi tantum ignis est operatus, ubi iussus est. In uico autem, cui Leprosum nomen est, cum idem templum opulentissimum superstitione religionis uoluisset euertere, restitit ei multitudo gentilium, adeo, ut non absque iniuria sit repulsus. Itaq; secessit ad proxima loca, ibiq́ per triduũ cilicio tectus & cinere, ieiunans semper atq; orans precabatur Dominum, ut quia templum illud euertere humana manu non potuisset, uirtus illud diuina dirueret. Tum subito ei duo angeli hastati, scutatiq́ instar militiæ cœlestis se obtulerunt, dicentes missos se à Domino, ut rusticam multitudinem fugarent, præsidiumq́ Martino ferrent, ne quis, dum templum dirueretur, obsisteret. Rediret ergo, &

opus

opus cœptum deuotus impleret. Ita reuersus ad uicum, spectantibus gentilium turbis, & quiescentibus, dum profanam ædem usq; ad fundamenta dirueret, aras omnes atq; simulachra redegit in puluerem. Quo uiso rustici cum se intelligerent diuino nutu obstupefactos, atq; perterritos, ne episcopo repugnarent, omnes ferè in Iesum Christum dominũ crediderunt, clamantes palàm, & confitentes, deum Martini esse colendum, idola negligenda, quæ sibi adesse non possent.

Quid etiam in pago Eduorum gessit, referam, ubi dum templũ itidem euerteret, furens gentilium rusticorum in eum irruit multitudo. Cumq; unus audacior cæteris stricto eum gladio peteret, reiecto pallio nudam ceruicem percussuro præbuit. Nec cunctatus ferire gentilis. Sed cum dexteram altius extulisset, resupinus ruit, cõsternatusq; diuino metu, ueniam precabatur.

Nec dissimile huic fuit illud, cum eum idola destruentem, cultro quidam ferire uoluisset, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum non comparuit. Plerunq; autem contradicentibus sibi rusticis, ne eorum fana destrueret, ita prædicatione sancta gentilium animos mitigabat, ut luce eis ueritatis ostensa, ipsi sua templa subuerterent.

Curationũ uero tam potens in eo gratia erat, ut nullus ferè ad eum ægrotus accesserit, qui non continuo receperit sanitatem. Quod uel ex consequenti liquebit exemplo. Treueris puella quædam dira paralysis ægritudine tenebatur, ita ut iam per multum tempus nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur, omni ex parte præmortua, uix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris expectationem assistebant propinqui, cum subito nunciatur, ad ciuitatem illam uenisse Martinum. Quod ubi puellæ pater comperit, cucurrit exanimis pro filia rogaturus. Et forte Martinus iam ecclesiam fuerat ingressus. Ibi inspectante populo, multisq; alijs episcopis præsentibus, eiulans senex genua eius amplectitur, dicens: Filia mea moritur misero genere languoris, & quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu uiuit, iam carne præmortua: Rogo, ut eam adeas, atque benedicas: confido enim, quod per te reddenda sit sanitati. Qua ille uoce confusus obstupuit, & refugit, dicens, hoc suæ non esse uirtutis, senem errare iudicio, non esse se dignum, per quem dominus signum uirtutis ostenderet. Perstare cœpit uehementius flens pater, & orare, ut exanimem uisitaret. Postremo à circũstantibus episcopis ire compulsus, descendit ad domum puellæ. Ingens turba pro foribus expectabat, quidnam Dei seruus esset facturus. Ac primum, quæ erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma, solo prostratus orauit: deinde ægram intuens, dari sibi oleum postulat. Quod cum benedixisset, in os puellæ uim sancti liquoris infudit, statimq; uox reddita est. Tum paulatim singula contactu eius cœperunt membra uiuiscere, donec firmatis gressibus, populo teste surrexit.

Eodemq́ tempore Tetradij cuiusdam proconsularis uiri seruus dæmonio correptus dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergo Martinus, ut ei manum imponeret, deduci eum ad se iubet. Sed nequam spiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat, potuit, ita in aduenientes rabidis dentibus sæuiebat. Tum Tetradius ad genua beati uiri aduoluitur, orans, ut ad domũ, in qua dæmoniacus habebatur, ipse descenderet. Tũ uero Martinus negat se profani & gentilis hominis domum adire non posse: nam Tetradius eodem tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet ergo se, si de puero dæmon fuisset exactus, Christianum fore. Ita Martinus imposita manu puero, immundum ab eo spiritum eiecit. Quo uiso Tetradius dominum nostrum Iesum Christum credidit, statimq́ catechumenus factus, nec multo post baptizatus est, semperq́ Martinum salutis suæ auctorem miro coluit affectu.

Per idem tempus in eodem oppido ingressus patrisfamilias cuiusdã domũ, in limine ipso restitit, dicens, horribile in atrio domus dæmoniũ se uidere. Cui cum, ut discederet, imperaret, quendam è familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit. Sæuire dentibus miser cœpit, et obuios quoscunq́ laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam uersus. Martinus se furenti obiecit, ac primũ stare ei imperat. Sed cum dentibus fremeret, hiantiq́ ore morsum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit. Si habes, inquit, aliquid potestatis, hos deuora. Tum uerò ac si candens ferrum faucibus accepisset, longe reductis dentibus digitos beati uiri uitabat attingere. Et cum fugere de obsesso corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relinquens uestigia, fluxu uentris egestus est.

Interea cum de metu atq́ impetu Barbarorum subita ciuitatem fama turbasset, dæmoniacum ad se exhiberi iubet, imperat, an uerus esset hic nuncius, fateretur. Tunc confessus est sexdecim dæmones fuisse, qui rumorem hunc per populum disseminassent, ut hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur, barbaros nihil minus quàm irruptionem cogitare. Ita cum hæc immundus spiritus media in ecclesia fateretur, metu & turbatione præsenti ciuitas liberata est.

Apud Parisium uerò, dum portam illius ciuitatis magnis secum turbis euntibus introiret, leprosum miserabili facie, horrentibus cunctis, osculatus est, atque benedixit: statimq́ omni malo emundatus, postero die ad ecclesiam ueniens nitenti cute, gratias pro sanitate, quam receperat, agebat.

Sed nec hoc prætereundũ est, q̃ fimbriæ uestimentis eius, ciliciòq́ detractæ crebras super infirmantibus egêre uirtutes. Nam cum aut digitis illigatæ, aut collo inditæ sunt, persæpe ab ægrotantibus morbos effugauerunt.

Arborius aũt uir præfectorius, sancti admodum & fidelis ingenij, cum

cum filia eius grauissimis quartanæ febribus ureretur, epistolam Martini, quæ casu ad eum delata fuerat, pectori puellæ in ipso accessu ardoris inseruit, statimq́ fugata febris est. Quę res apud Arborium tantum ualuit, ut statim puellam deo uoueret, & perpetuę uirginitati dicaret, profectusq́ ad Martinum, puellam ei præsens ob uirtutũ eius testimoniũ, quæ per absentem licet curata esset, obtulit, neq; ab alio eam, quàm à Martino habitu uirginitatis imposito passus est consecrari.

Paulinus uerò uir magni postmodum futurus exempli, cum oculũ grauiter dolere cœpisset, & iam pupillam eius crassior nubes super ducta texisset, oculum ei Martinus penniculo contigit, pristinamq́ ei sanitatem, sublato omni dolore, restituit.

Ipse aũt cum casu quodam esset de cœnaculo deuolutus, & per confragrosos scalæ gradus decidens, multis uulneribus esset affectus, cum exanimis iaceret in cellula, & immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei angelus uisus est eluere uulnera, & salubri unguento contusi corporis membra contingere, Atque ita postero die restitutus est sanitati, ut nihil unquam pertulisse incommodi putaretur. Sed quia longum est, ire per singula, sufficiant hæc, uel pauca de plurimis; satisq́ sit, nos & in excellentibus non subtrahere ueritatem, & in multis uitare fastidium.

Atque ut minora tantis inseram, quamuis, ut est nostrorum ætas temporum, quibus iam deprauata omnia, atq; corrupta sunt, penè prę cipuum sit, adulationi regię sacerdotalem non cessisse constantiam, cum ad imperatorem Maximum ferocis ingenij uirum, & bellorum ciuilium uictoria elatum, plures ex diuersis partibus Episcopi conuenissent, & fœda circa principem omnium adulatio notaretur, seq; degeneri inconstantia regiæ clientelæ sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino apostolica auctoritas permanebat. Nam & si pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperauit, potius quàm rogauit. Et à conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit, dicens, se mensę eius participem esse non posse, qui imperatores, unum regno, alterum uita expulisset. Postremo cum Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus diuino nutu regni necessitatẽ armis defendisse, & non alienam ab eo Dei uoluntatem uideri, penes quem tam incredibili euentu uictoria fuisset, nullumq́ ex aduersarijs nisi in acie occubuisse. Tandem uictus uel ratione, uel precibus, ad conuiuium uenit, mirum in modum gaudente rege, quòd id impetrasset. Conuiuæ autem aderant, ueluti ad diem festum euocati, summi, atque illustres uiri, præfectus idemq́ consul Euodius uir, quo nihil unquam illo iustius fuit, comites duo, summa præditi potestate, frater regis & patruus. Medius inter hos Martini presbyter accubuerat. Ipse autem sellula iuxta regem posita consederat. Ad medium ferè conuiuium (ut moris est) pateram

regi minister obtulit. Ille sancto admodum episcopo dari potius iubet, expectans, atque ambiens, ut ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos, qui à rege erant proximi, presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnesque, qui tunc aderant, ita mirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret, celeberrimumque per totum palatium fuit, fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum iudicum conuiuijs Episcoporum nemo fecisset. Eidem quoque Maximo longe ante prædixit futurum, ut si ad Italiam pergeret, quo ire cupiebat, bellum Valentiniano Imperatori inferens, sciret se primo quidem impetu futurum esse uictorem, sed paruo post tempore esse periturum: Quod quidem ita uidimus. Nam primo aduentu eius Valentinianus in fugam uersus est. Deinde post annum ferè resumptis uiribus, captum intra Aquileiæ muros Maximum interfecit.

Constat autem, etiam angelos ab eo plerunque uisos, ita ut conserto inuicem apud eum sermone loquerentur. Diabolum uero tam conspicabilem, & subiectum oculis habebat, ut siue se in propria substantia contineret, siue in diuersas figuras, specialesque nequitias transtulisset, qualibet ab eo sub imagine uideretur. Quod cum diabolus sciret se effugere non posse, conuitijs eum frequenter urgebat, quia fallere non posset insidijs.

Quodam aūt tempore cornu bouis cruentum in manu tenens, cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit, cruentamque ostentans dexteram, & admisso recenti scelere congaudens, Vbi est, inquit, Martine uirtus tua? Vnum de tuis modo interfeci. Tunc ille conuocatis fratribus, refert, quid diabolus indicasset. Sollicitos esse præcepit per cellulas singulorum, quisnam hoc casu fuisset affectus. Neminem quidem deesse de monachis, sed unum rusticum mercede conductum, ut uehiculo ligna deferret, isse ad syluam, nunciant. Iubet igitur aliquos ire ei obuiam. Ita haud longe à monasterio iam penè exanimis inuenitur. Extremum tamen spiritū trahens, indicat fratribus casum mortis & uulneris, iunctis scilicet bubus, dum dissoluta arctius lora cōstringit, bouem sibi excusso capite inter inguina cornu iniecisse. Nec multo post uitam finiuit. Videtis, quo iudicio domini diabolo data fuerit hæc potestas. Verū in Martino illud mirabile erat, quod non solū hoc, quod supra retulimus, sed multa istiusmodi, si quoties accidissent, longe ante præuidebat, & sibi nunciata fratribus indicabat.

Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctū uirum conaretur illudere, uisibilem se ei formis diuersissimis ingerebat. Nam interdū in Iouis personam, plerunque Mercurij, persæpe etiam se

Veneris

Veneris ac Mineruæ transfiguratū uultibus offerebat. Aduersus quem semper interritus, signo se crucis, & orationis auxilio protegebat. Audiebantur plerunq; conuitia, quibus illum turba dæmonum proteruis uocibus increpabat. Sed omnia falsa & uana cognoscens, non mouebatur obiectis. Testabantur etiam aliqui ex fratribus, audisse se dæmonem proteruis Martinum uocibus increpantem, cur intra monasterium aliquos ex fratribus, qui olim baptismum diuersis erroribus perdidissent, conuersos postea recepisset, exponentem singulorū crimina, Martinum diabolo repugnantem respondisse constanter, antiqua delicta melioris uitæ conuersione purgari, & per misericordiam domini absoluendos esse peccatis, qui peccare desinerent. Contradicente diabolo, non pertinere ad ueniam criminosos, & semel lapsis nullam à domino præstari posse clementiam. Tunc in hanc uocē fertur exclamasse Martinus: Si tu ipse ô miserabilis ab hominum infestatione desisteres, & te factorum tuorū uel hoc tempore cum dies iudicij in proximo est, pœniteret, ego tibi uere confisus in domino, Christi misericordiam pollicerer. O quam sancta de Domini pietate præsumptio, in qua & si auctoritatem præstare non potuit, ostendit affectum. Et quia de diabolo eiusq; artibus sermo exortus est, nō ab re uidetur, licet extrinsecus, referre, quod gestum est: quia & quædam in eo Martini uirtutum portio est, & res digna miraculo, recte memoriæ mandabitur in exemplum cauendi, si quid deinceps uspiam tale contigerit.

Clarus quidam nomine, adolescens nobilissimus, mox presbyter nunc felici beatus excessit, cum relictis omnibus se ad Martinum contulisset, breui tempore ad summum fidei, uirtutumq; omnium culmen enituit. Itaque cum haud longe sibi ab episcopi monasterio tabernaculum constituisset, multiq; fratres commorarētur apud eum, iuuenis quidam ad eum Anatolius nomine, sub professione monachi omnem humilitatem, atq; innocentiam mentitus accessit, habitauitq; aliquandiu in commune cum cæteris. Deinde procedente tempore angelos apud se loqui solere dicebat. Cum fidem nullus adhiberet, signis quibusdam plerosq; ad credendum cohortabatur. Postremo eousq; processit, ut inter se, ac Deum angelos discurrere prædicaret, iamq; se unum ex prophetis haberi uolebat. Clarus tamen nequaq̄ ad credendum cogi poterat. Ille autem ei iram domini, & præsentes plagas, cur sancto non crederet, comminatus, postremo in hāc uocem fertur erupisse: Ecce hac nocte uestem mihi candidam dominus de cœlo dabit, qua indutus in medio uestrum diuersabor, idq; uobis signum erit, me in dei esse uirtute, quod dei ueste donatus sim. Tunc uero grandis omnium ad hanc professionem expectatio fuit. Itaq; ad mediam ferè noctem fremitu insultantium commoueri omne monasterium loco uisum est. Cellulam autem, qua idem adolescens continebatur, crebris cerneres micare luminibus, fremitusq; in ea

discurrentium, & murmur quoddam multarum uocum audiebatur. Deinde facto silentio, egressum unũ de fratribus Sabatium nomine ad se uocat, tunicamq́; ei, qua erat indutus, ostendit. Obstupefactus ille conuocat cęteros. Ipse etiam Clarus accurrit, adhibitoq́; lumine uestem omnes diligenter inspiciunt. Erat autem summa mollicie, candore eximio, micanti purpura, nec tamen cuius esset generis aut uelleris, poterat agnosci. Curiosius tamen oculis, aut digitis attrectata, non aliud, quàm uestis uidebat. Interea Clarus fratres admonet orationi insistere, ut manifestius eis dominus, quid nam esset, ostenderet. Itaque reliquum noctis hymnis psalmisq́; consumitur. At ubi illuxit dies, apprehensum dextera trahere ad Martinum uolebant, bene conscij, illudi illum diaboli arte nõ posse. Tunc uerò reniti ac reclamare miser cœpit, interdictumq́; sibi esse dicebat, ne se Martino ostenderet. Cumq́; inuitum eum ire compellerent, inter trahentium manus uestis euanuit. Vnde quis dubitet, hanc etiam Martini fuisse uirtutem, ut phantasiam suam diabolus, cum erat Martini oculis ingerenda, dissimulare diutius aut tegere non posset.

Animaduersum est tamem eodem ferè tempore fuisse in Hispanijs iuuenem, qui cum sibi multis signis auctoritatem parauisset, eousq́; elatus est, ut se Heliam profiteretur. Quod cũ plerisq́; temere credidissent, addidit, ut se Christum esse diceret. In quo etiam adeo illusit, ut eum quidam episcopus Ruffus nomine, ut dominũ adoraret propter quod eum postea ab episcopatu deiectum uidimus. Plerisq́; etiam nobis è fratribus retulerunt, eodem tempore in oriente quendam extitisse, qui se Ioannem esse iactitaret. Ex quo conijcere possumus, istiusmodi pseudoprophetis existentibus Antichristi aduentum imminere, qui iam in istis mysterium iniquitatis operatur.

Nec enim prætereundum uidetur, quanta Martinum sub ijsdem diebus diabolus arte tentauerit. Quadam enim die præmissa prece, & circumiectus ipsa luce purpurea, quo facilius claritate assumpti fulgoris illuderet, ueste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroq́; redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, ut nihil minus quàm diabolus putaretur, oranti in cellula astitit. Cumq́; Martinus primo aspectu eius fuisset hebetatus, diu multumq́; ambo silentiũ tenuerunt. Tum prior diabolus: Agnosce, inquit, Martine quẽ cernis, Christus ego sum. Descẽsurus ad terras, prius me manifestare tibi uolui. Ad hęc cũ Martinus taceret, nec quicquam responsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciam: Martine, quid dubitas credere, cũ uideas? Christus ego sum. Tum ille reuelante sibi spiritu, ut intelligeret diabolum esse, non deum: non se inquit, dominus Iesus purpuratum, & diademate renitentem uenturum esse prædixit. Ego Christum, nisi in eo habitu & forma, qua passus est, nisi Crucis stigmata proferentem, uenisse non credam. Ad hanc ille uocem statim ut fumus euanuit, & cellulam tanto fetore

tore compleuit, ut idubia indicia relinqueret diabolum se fuisse. Hoc ita gestum, ut supra retulimus, ex ipsius Martini ore cognoui, ne quis forte existimet fabulosum. Nam cum olim audita fide eius uita, atq; uirtutibus desiderio illius æstuaremus, gratam nobis ad uidendum eum peregrinationem suscepimus. Simul, quia iam ardebat animus illius scribere uitã, partim ab ipso, inquantum ille interrogari potuit, sciscitati sumus, partim ab ijs qui interfuerant, uel sciebant, cognouimus. Quo quidem tempore credi non potest, qua me humilitate, qua benignitate susceperit, congratulatus plurimum & gauisus in domino, quòd tanti esset habitus à nobis, quem peregrinatione suscepta expetissemus. Miserum me, penè nõ audeo confiteri, cum me sancto conuiuio suo dignatus est adhibere. Aquam manibus nostris ipse obtulit, ad uesperum aũt ipse nobis pedes abluit. Nec reniti aut contraire constantia fuit. Ita illius auctoritate oppressus sum, ut nefas putarem si non acquieuissem. Sermo aũt illius non alius apud nos fuit, quàm mundi huius illecebras, & sæculi onera relinquenda, ut dominum Iesum liberi expeditiq; sequeremur. Præstantissimumq; nobis præsentium temporum illustris uiri Paulini, cuius supra mentionem fecimus, exemplum igerebat, qui summis opibus abiectis Christum secutus, solus penè his temporibus euangelica præcepta complesset. Illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum, beatumq; esse præsens seculum tantæ fidei, uirtutisq; documento, cum secundum sententiam domini diues & possidens multa, uendendo omnia, & dando pauperibus, quod erat factu impossibile, possibile fecisset exemplo. Iam uero in uerbis & confabulatione eius, quanta grauitas, quanta dignitas erat? Quàm alacer, q; efficax, q; in exsoluendis scripturarum quæstionibus promptus, & facilis? Et quia multos ad hanc partem incredulos scio, quippe quos uiderim, me ipso etiam referente, non credere, Iesum testor, spemq; cõmunem, me ex nullius unq; ore tantum scientiæ, tantum ingenij, tam boni, & tam puri sermonis audisse. Quanq; in Martini uirtutibus quantula est ista laudatio? Nisi q mirũ est, homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuisse. Sed iam finem liber postulat, sermo claudendus est. Non quòd omnia, quę de Martino fuerant dicenda, defecerint, sed quia nos ut inertes poetæ, extremo in opere negligentes, uicti materiæ mole succumbimus. Nam & si facta illius explicari uerbis utcũq; potuerunt, interiorem uitam illius, & quotidianam conuersationem, & animum cœlo semper intentum. Nulla unquã (uere profiteor) nulla explicat oratio, illam scilicet perseuerantiam, & temperamentum in abstinentia, & ieiunijs, potentiã in uigilijs, & orationibus, noctesq; ab eo perinde ac dies actas, nullumq; uacuũ ab opere Dei tempus, quo uel ocio indulserit, uel negocio, sed ne cibo, aut somno quidem: nisi inquantum naturæ cogebat necessitas. Vere fatebor non si ipse (ut aiut) ab inferis Homerus emergeret, posset exponere, adeo omnia maiora

nia maiora in Martino sunt, quàm ut uerbis concipi queant. Nunquam hora ulla momentumq́ præterijt, quod non aut orationi incumberet, aut insisteret lectioni, quanq́ etiam inter legendũ, aut si quid aliud forte agebat, nunq́ animum ab oratione laxabat. Nimirum ut fabris ferrarijs moris est, qui inter operandum pro quodam laboris leuamine incudem suam feriunt, ita Martinus etiam dum aliud agere uideretur semper orabat. O uere beatus, in quo dolus non fuit, neminem iudicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens. Tantam quippe aduersum omnes iniurias patientiam assumpserat, ut cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur, nec propter id eos aut loco unquam amouerit, aut à sua, quantum in ipso fuit charitate, repulerit. Nemo unquam illum uidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem. Vnus idemq́ semper cœlestem quodãmodo lætitiam uultu præferens extra naturam hominis uidebatur. Nunquam in illius ore nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Plerunq́ etiam pro eorum, qui obtrectatores illius uidebantur, solebat flere peccatis, qui remotum, & quietum uenenatis linguis, & uipereo ore carpebant. Et uere nonnullos experti sumus inuidos uirtutibus uitæq́ eius, qui in illo oderant, quod in se non uidebant, & quod imitari non ualebant. Atq́ ô nephas dolendum, & ingemescendum, non alij fuère insectatores eius, licet pauci admodum, non alij tamen, quàm episcopi ferebantur. Nec uero quenq́ nominare necesse est, licet nosmetipsos plerique circumlatrent. Sufficit, ut si quis ex ijs hæc legerit, & agnouerit, erubescat. Nam si irascitur, de seipso dictum fatebitur, cum fortasse nos de alijs senserimus. Non refugimus autem, ut si qui eiusmodi sunt, nos quoq́ cum tali uiro oderint. Illud facile confido, omnibus sanctis opusculum istud gratum fore. De cætero si quis hæc infideliter legerit, ipse peccabit. Ego mihi conscius sum, me rerum fide, & amore Christi impulsum ut scriberem, manifesta exposuisse, & uera dixisse. Paratumq́ (ut spero) habebit à Deo præmium, nõ quicunq́ legerit, sed quicunq́ crediderit.

DE S. MARTINO.

Ex Fortunato Presbyt.

DEniq́ cum tunicam sacer ipse dedisset egenti,
  Ac sibi pars tunicæ reddita parua foret,
Quod non texerunt manicæ per brachia curtæ,
  Visa tegi gemmis est manus illa uiri.
O nimium fœlix, cui contigit inuice lanæ
  Nobilium lapidum lumine membra tegi.
Vt cum adhuc cinere aspersus foret atq́ fauillis,
  Artifice angelico gemmeus iret homo. &c.

S. Brixius

S. BRIXIVS EPISC. TVRONENSIS.

BRixius diui Martini diaconus fuit, postea successit illi in episcopali cathedra, homo primis quidem uitæ suæ temporibus parum laudatus, sed episcopus factus, multis uirtutibus clarescere cœpit. Hoc iuuene exercita fuit Martini patientia, & probata longanimitas. Nam crebris conuitijs sanctum uirum discerpsit, delirum ac stollidum caput appellans, indignisq; irridens modis. Atq; hoc scilicet premij prestitit ei à quo fuerat tot officijs ab ipsa statim pueritia subleuatus. Nostræ hic ecclesiæ Socrates quidam, quippe qui domi pati didicit, ut foris pati possit. Ad eum propè modum exercuit S. Paulum Ioannes Marcus & Demas, ac Hilarionem Adrianus discipulus, domestica hæc nostri Adæ flagella. Verum progressu temporis multum aduersitatis illum pertulisse, & de adflictato Martino pœnas dedisse tradunt. Subscribam de Brixio nonnihil ex Seuero Sulpitio. Quodam itidem die, dum in area, quæ parua admodum tabernaculum illius ambiebat, in illo suo, quod nostis omnes, sedili ligneo resedisset, uidit duos dæmones in excelsa illa, quæ monasterio supereminet, rupe consistere, inde alacres, ac lætos uocem istiusmodi adhortationis emittere: Eia te Brixi, eia te Brixi. Credo, cernebant miserum eminus propinquantem, conscij quantam illi rabiem spiritus suscitassent. Nec mora Brixius furibundus irrupit, ibi plenus insania euomuit in Martinum mille cõuitia. Obiurgatus em̃ pridie ab eo fuerat, cur, qui nihil unq; ante clericatum, quippe qui in monasterio ab ipso Martino nutritus, habuisset, equos aleret, mancipia compararet? Nam illo tempore arguebatur à multis, quòd nõ solum pueros, sed etiam puellas scitis uultibus coëmisset. Quibus rebus infelicissimus, insano felle commotus, & (ut credo) præcipue dæmonum illorum agitatus instinctu, Martinum ita agressus est, ut uix manibus temperaret. Cum quidem sanctus uultu placido, mente tranquilla infelicis amentiã per mitia uerba cohiberet. Sed ita in eo nequam spiritus redundabat, ut ne sua quidem illi quamuis uana admodũ mens subesset, trementibus labijs, incertoq; uultu decolor præ furore rotabat uerba peccati, se asserens sanctiorem, quippe qui à primis annis in monasterio inter sacras ecclesiæ disciplinas, ipso Martino educante creuisset, Martinum uero à principio, quod ipse diffiteri non posset, militiæ artibus sorduisse, & nunc per inanes superstitiones, & phantasmatica usionum ridicula prorsus inter deliramenta senuisse. Hæc cum multa, atque alia etiam, quæ reticere melius est, acerbiora uomuisset, egressus tandem furore satiato, quasi qui se penitus uindicasset, rapidus ea parte, qua uenerat, recurrebat. Cum interea (credo per Martini orationes, fugatis ab illius corde dæmonibus) reductus in pœnitentiam mox reuertitur, atq; ad Martini se genua prosternit, ueniam poscens fatetur errorẽ, nec sine

Georg. Vuicelij.

dæmone se fuisse tandem sanior confitetur. Non erat apud Martinum labor iste difficilis, ut ignosceret supplicanti. Tum & ipsi, & nobis omnibus exposuit, qualiter illum uidisset à dæmonibus agitari, se conuitijs non moueri, quæ magis illi, à quo essent effusa, nocuissent. Exinde cum idem Brixius multis apud eum magnisq; criminibus persæpe premeretur, cogi non potuit, ut eum à presbyterio summoueret, ne suam persequi uideretur iniuriam, illud sæpe cõmemorans. Si Christus Iudam passus est, cur ego non patiar Brixium? Raph. Volater. lib. xiiij. Anthropolog. Frontinus Britius, inquit, pręsul Turonensis, Martino successit, cui aliquando aduersarius fuit diaconus: deinde sanctitate emicuit, &c. Antho. Sabellic. lib. x. hoc exempli de Brixio describit: Pari infamia perfusus Brixius Turonensis antistes primo pueri nondum menstrui usus est testimonio, qui Christi nomine rogatus, negauit Brixium esse patrem, ascribere prodigiosum affatum æmuli magicæ arti, ardentem prunam pius antistes in sinum collectam per populum impune circumtulit, neq; id miraculum obstitit, quo minus dignitate priuaretur, &c.

S. ELISABETH REGINVLA.

Georg. Vuicelij.

HOc optimũ spolium ex Hungaria retulit ecclesia nostra Christoq; sponso grata reddidit. Atq; ô Hungariam uel hoc uno nomine celeberrimam, quę Germanis nobis talem thesaurum protulit. Hæc demum erat materia, de qua sibi spiritus Domini tam sanctum templum fabricauit. Fuit hæc Elisabeth filia regis Hungarici Andreæ, filij Bele Tertij. Mater huius Gertrudis, natione Germana. Mirũ uerò dictu, q intra ipsos pueritiæ annos, præclarum pietatis specimen dederit. Quinquennis etiamdum prælusit ad illud disciplinæ fastigium, in quo iam adulta clarissimis operibus emicuit. A' ludis nugisq; puerilibus abstinuit, & uix quoq; aulico animaduertente, paulatim rebus serijs assueuit, pręter ętatis morẽ. Inerant in puellulę pectusculo scintillę quędam cœlestis spiritus, quibus accensa, nullis aulæ regiæ uoluptatibus capiebatur. Septennis cœpit esse religiosula, quotidie penè templi limina terens, humi prostrata Deo supplicans ad nocturnam obsecrationem uigilans, & delicatis illis manusculis donariola mendicis obtrudens. Nec sat habuit, quòd ipsa religiose Deum coleret, nisi coætaneas etiam ac socias puellas hortaretur eò. Inter illas cum esset aliquando ducenda chorea, non potuit induci, ut uno plures circuitus faceret. Vnum, inquiens, mundo placando dedi, reliquos honorando Deo intermittam. Quo suo exemplo complusculas à lasciuę saltationis consuetudine auocauit. Iam adultior, quippe nubilis, & principi Duringię Germanorum Ludeuico in uxorem data, morem gerit parentibus, ac demigrat ad nos Teutonas, principis futura coniunx, ut Christo, quem habebat sponso

chariorem,prolem lętam gigneret. Et ô sacrum coniugium,in quo probæ matrona mentis omni orbi tot uirtutibus innotuit. Vitæ statum mutauit,non affectũ. Hungarica uirgo Dei Opt. Max. seruitio mirum in modum antehac addicta fuit, nunc fœmina Duringica, ultro quàm credi queat,eidem Deo nostro, qui est benedictus super omnia,totis uiribus,tota anima,totoq; corde seruiuit:nec quid omnium prius habuit, q̃ maiestati tanti regis placere. Saluo matrimonij iure,atq; adeo consentiente marito,de nocte ad preces surgere consueuit,quam ob rem sæpenumero secubuit. Precibus addebat lachrymas, quo penetrantiores essent eæ,diuinisq; digniores auribus. In publicis rogationibus incedebat discalciata, in stationibus inter pauperculos ambiebat locum. Et ipsa sibi mulctam indixerat,sicubi foret in quotidiano Dei cultu segnior. Cæterum quod ad mundum muliebrem attinet,nulla conditionis etiam infimæ fœmina uilius uestita fuit:maxime à uiri obitu. Et illo tam abiecto uestitu,non hypocriticè,sed euangelicè usa, hoc sæculum nequam pudefecit. Nullus in hoc gynæcio fastui, aut ornatui illecebroso locus, nulla hîc pompæ cura,cessarant aulæ leges,exularat amor spectaculorum. In esu ac potu hac principe fœmina nihil frugalius,nihil moderatius. Quin studiose etiam uitauit lautiores cibos, interim plebeis edulijs uescens. Tum uerò magis abhorrebat à conuiuijs opiparis,quoties secum reputauit,principes subditorum laniatu ditescere,& pinguescere sudore alieno. Nec tulit, ut gynæcium ulla asotiæ & popinationis istius aulicæ, non enim dicam diabolicæ macula infamaretur, nimirum disciplinæ à Thrasybulo monacho suo traditæ retinentissima. Maluit enim mendico monacho, q̃ diuiti episcopo, pietatis magistro, ac ergodiocta præstrenuo in lubricitate uitæ huius uti. Inedia corpus macerare,egregium semper fuit in ecclesia. Iam si quæras,quomodo se erga proximum suum gesserit,in confesso est,non uixisse mulierem,quæ in benefaciendo pręcellentior extiterit. Neq; enim temerè mater pauperum uocata est. Nudos quoscunq; uspiam cõspexit,texit, atq; id de suis interdum uestibus, quoties ad manum nõ erat, unde daret dilectione feruentissima mulier. Exhausit aliquoties granarium, dum prospicit famelicis, dum curat, ne egeant pauperum infantes,desolatæ uiduæ,ægroti mercenarij. His colligendis extruxit ptochodochium Isennachi in decliui mõtis cuiusdam, ubi arx sita est, à specula nomen ducens. Nam eo in castro cum Lodouico principe coniuge suo uitam egit. Quo loco paucis ante annis uetus monumentum, uidelicet fontem bonitate celebrem uidimus, quo Elisabetham languidorum capita lauisse hodie cõstans ac perpetua fama est apud incolas eius prouinciæ. Nunc inuersa illic religione,templum eo loci memoriæ tam piæ principissę sacrum in bouile uersum est. Huc autem solebat frequentissime descendere, pauperes suos reuisere, & quod maius est in tanta fœmina,ulcerosos Lazaritas lauare, tergere,

fouere,ijs insuper ministrare, quando ad mensam accumberet. Nec sine dei peculiari dispẽsatione factũ est, ꝙ maritus huic tam raro uitę generi, hoc est, tã firmæ atq; admirandæ uxoris pietati, neq; sermone, neq; ullo facto restitit: sed reliquit illã suo ingenio, nolens in ea spiritũ extinguere. Annis aliq̃t exactis ꝓfectus est princeps Lodouicus in Palæstinam, siue ut illic oraret ad sepulchrũ Dominicũ, siue ut aduersus Sarracenos pugnaret, pro focis arisq; Christiani populi. Verũ accidit, ut peregre moreretur. Cuius rei fama simulatq; peruasisset ad Vuarteburgensem aulã, ingens luctus obortus est. Quo cõpleto, cœpit innouari tota regionis administratio. Ilico cooriuntur in Elisabetham inimici proceres, qui uiuo principe amicos præ se tulerant. Ab his infelix uidua castro pellitur, non aliter ac si fuisset ancillarum contemptissima. Sic, sic inquam uerum fit, quod ait Apostolus: Omnes qui in Christo uiuere uolũt, afflictionẽ pati oportere. Tum uerò quid esse poterat calamitosius sancta illa matrona? orba uiro, spoliata domo, terrenis exuta bonis passim exulabat: & quæ in omnes fuerat munificentissima, à nemine tecto etiam recipiebatur. Nec est in hunc usq; diem è uulgi sermone oblitteratum, quanta cum inhumanitatę miseram tractarint Duringi. Quo factum, ut eam quasi illinc profligatam aliò concedere oportuerit. Accessit ad calamitatem hoc quoq;, quòd præsul Brandenburgensis auunculus illi renubendum suaderet, cum nollet alteri misceri uiro, dum uiueret, utpote potestatem habens propriæ uoluntatis, sicut Apostolus inquit. Tandem consulente pio Thrasybulo, relictis ingratis ciuibus, et liberis suis necessario cuidam ad alendum commissis, Marpurgum Hessiæ petijt, ubi, si unquam aliàs, pauperum curam cupidissime suscepit, constructis in hoc ptochodochijs, ut de magnifico templo nihil dicam. Hìc quotidie magis ac magis seipsam uicit humilitate, contemptu mundi, amore Dei. Quicquid supererat tam de regia dote, quàm de residuo aulæ Duringicæ, id omne dispersit inter egenos. Deo tota dedita noctu diuq; uigilabat ad obsequium maiestatis eius, iam altera Maria contemplando, iam altera Martha operando. Ipsa suis manibus nunc nebat, nunc suebat, non tam parandi uictus, quàm uitandi ocij caussa. Nihil erat tam abiectum, exiguumq; et uulgare, cuius faciendi ipsam puduerit, si modo non inhonestum erat. Recusabat audire ab ancillis domina, ut quæ superbam istam usurpationem dominij illicitam putaret Christo sacratis hominibus. Precationes energiticas ac operantes effundere, seu iaculari potius ad altissimum sæpe solebat, nec non uisiones uidere. Breuiter sic gessit Elisabeth, ut nihil in ea uel uirgine, uel coniuge, uel uidua desyderare possis, nimirum homo Dei existens omnibus numeris absoluta. Postremo uita ad finem pie ducta, febre corripitur, qua & mortua est in Domino, Anno M.CC.XXVI.

Facit huius Elisabethæ mentionem & Platina Cremonensis in Gregorio

gorio IX. Legi meretur etiam, quod de hac diua carmine scripsit H. Eobanus Hessus, in epist. sanctarum Heroidum. Antho. Sabellicus sic de hac heroide scribit: Helisabeth regia domo orta, post uiri interitũ, opibusq́ bene consumptis, quum palliolo penè lacero amiceretur, omnibusq́ despicatissima occurreret, temerariæ mulieris occursu, quam integra fortuna, benigne iuuerat, fouerat q́ multa benignitate, ad terrã deiecta, cœnoq́ resperſa, non modo non grauiter tulit, sed subridẽs statuit se leniter in pedes: et quòd contemptui fuisset spectantibus, tacite gauisa est. Idem Sabellicus de eadem: Helisabeth, quæ tam humiliter uixit, quàm clara est inter homines & illustris, regia fortuna, in qua orta fuerat, aut lanam carpere ab oratione, aut texere, aut certè aliud serio operari, ne per ocium & quietem ullum sibi tempus elaberetur, nullam (ut credere æquum est) maiorem iacturam arbitrata, quàm temporis, in quo sita est uillicationis ratio, quam Euangelica celebrat historia. Item: Vix meretur hæc quæ fando audierit, aut legerit aliquando ab Elisabethæ regis filia abduci solitas in secretũ domesticas ancillas, hisq́ herile corpus atrociter uerberandum præbuisse, fuitq́ illud haud uno modo proficere, nam & castitatem per hæc tueri, & patientiæ assuescere.

Elisabethæ huic sociã par est Flacillam Augustam, Gręcis φιλόπτωχον dictam, eo quòd mendicos tam enixe foueret. Adnectam de hac uerba Ecclesiasticæ historiæ. lib. ix. cap. xxxj. Habebat igitur imperator & aliam utilitatis occasionẽ, per quam de bonis operibus triumpharet. Cõiunx enim eius de diuinis legibus eum sæpius admonebat, seipsam tamẽ perfecte prius erudiens. Non enim regni fastigijs eleuata est, sed potius diuino amore succensa. Beneficij namq́ magnitudo maiorem ei amorem benefactoris excitabat. Repente ergo ut uenit ad purpuram, claudorũ atq́ debilium maximam habebat curam, non seruis, non alijs ministris utens, sed per seipsam agens, & ad eorũ habitacula ueniens, & unicuiq́ quod opus haberet, præbens. Sic etiã per ecclesiarũ xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorũ tergens, ius gustans, offerens coclearia, panem frangens, cibosq́ ministrans, calices abluens, & alia cuncta faciens, quæ seruis & ancillis mos est solenniter operari. Illis autem, qui ei tales res nitebantur prohibere, dicebat: Aurum distribuere opus imperij est: ego aũt pro ipso imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Nam uiro suo sæpe dicebat: Oportet te semper marite cogitare, quid pridem fueris, quid modo sis. Hæc si semper cogitaueris, ingratus benefactori non eris: sed imperium, quod suscepisti, legittime gubernabis, & harum rerum placabis autorem, &c̃. An nõ hæc Flacilla & nostra Isabella eodem spiritu indutæ fuerũt? Quibus rectissime adiũxeris Marcellam uiduam, de qua Hieronymus noster ad Principiam uirginem in hunc modum scribit: Neq́ uerò Marcellam tuam, imò meam, & ut uerius loquar, nostram, omniumq́ sanctorum; et pro

prie Romanæ urbis inclytum decus institutis Rhetorum prędicabo, ut exponam illustrem familiam, alti sanguinis decus, & stemmata per proconsules & præfectos prætorio decurrentia. Nihil in illa laudabo, nisi quod proprium est, & eo nobilius, quod opibus & nobilitate contempta, facta est paupertate et humilitate nobilior. Orba patris morte, uiro quoque post nuptias septimo mense priuata est, &c.

Nec prætercurrere debeo Pulcheriam imperatricem, de qua Nicephorus Græcus historiographus sic prodidit: Pulcheria beata & pia dormiuit in Christo, quæ multa bona fecit, & omnia sua pauperibus dereliquit, quæ Martianus cum multa essent, alacriter dedit. Construxit autem eadem & multa oratoria, domosque pauperibus ac hospitibus, nec non sepulchra peregrinis ædificauit, inter quæ S. Laurentij martyris templum construxit. Hæc Nicephorus.

Erat & alia Elisabeth, dicta Saxonica, ordinis Monachici, sanctitatis opinione decantata, quæ scriptos quoque libros post se reliquisse fertur. Ni fallor, est hæc illa Elisabeth, cuius librum de arcanis uisionib. D. Iacobus Stapulensis, Hermæ apostolici reuelationi adiũctum, in publicum ędi curauit, quibus etiam additæ sunt Apocalypses Vguetini, Roberti, Hildegardis, Mechtildis, &c.

Præter has prima omnium Elisabeth Iudæa uxor sancti sacerdotis, & Ioannis Baptistę mater, uerbis amplissimis prædicanda est in omnibus ecclesijs. Huius sanctissimæ matrisfamilias uitam pauculis depinxit S. Lucas Euangelista. Mulieres opulentæ auditæ, & facite secundũ has tres, unaquæque pro mensura gratiæ sibi datæ diuinitus.

S. CHRYSOGONVS MARTYR.

Ex Quignonio Ro.



Chrysogonus Diocletiani Imperatoris iussu propterea, quod esset Christianus, Romę iam biennium uinculis premebatur, sancta Anastasia ipsi, & multis alijs Christianis alimenta suggerente: Quum Diocletianus ex Aquileia Romam scripsit, ut cæteris Christianis, qui uincti custodiebantur interfectis, Chrysogonus ad se remitteretur. Aquileiam igitur delatus, Cæsari præfecturas & magnos honores sibi (si deos adoraret) pollicenti, respondit: Vnum deũ mente colo, ueneror & adoro: ista deorum simulachra, tanquam malorum dæmonum thecas execror, & abominor. Tum imperatoris iussu ad locũ, cui nomen erat Aquægradatæ, ductus. Ibidem decollatus est VIII. Calend. Decembris. Cuius corpus in mare proiectũ, et postea in possessione, quæ dicitur ad Saltum, à Zoilo presbytero inuentum, in domo sua sepultum est.

De alio quodam Chrysogono legimus etiam, Aquileiæ monacho uidelicet, ad quem S. Hieronymus Epistolium scripsit.

Anastasia

ANASTASIA CVM SORORIB.



Nastasia Romanæ familiæ, patre ethnico, matre uerò Christiana, catechista, seu institutore Chrysogono fidem Euangelicam bellè edocta, & agendo & patiendo declarauit, se timere deum cœli. Verum ut nonnullis aliis, ita huic quoque Anastasiæ connubium impar, nec ita stabile, supplicii occasio fuit. Nam Publio gentili homini, iubente patre, coniuncta, & nihilo minus officiis Christianæ religionis functa honestissima mulier, summũ mariti odium incurrit. Bonum opus operata est Anastasia, ob id male tractatur à uiro. Quæris: quidnam operis? Solebat Chrysogonum suum, cumque hoc plures Christianos carceratos inuisere & pascere. Puduit Publium impium piissimi facinoris huius, nec ferre potuit beneficam uxorem. Coniicit ergo in carcerẽ, quæ carceratis ministrarat. Eam uerò in uinculis immanissimis cœlestis pater haudquaquam dereliquit, nec deseruit. Leguntur epistolia Chrysogoni ad Anastasiam, & huius ad illam, quibus alterutrum cum consolantur in eadem afflictione carceris, tum exhortantur ad patiendũ grauiora. Interea sorores eius Agapa, Thea, Irena, capite plectũtur, propter cõfessionem Christi Iesu. Felices ter, & amplius, animulas, quæ obdurare potuerunt in tanto agone. Publio tandẽ mortuo, liberatur Anastasia carcere, & uictrix iam uehementius solito incumbit in bene operandi studiũ. Crux repetitur, fœmina constans est. Dynastes iubet adorare, iubet sactificare, Anastasia non facit. Alius tyrannus iubet sibi dari opes, utpote quas habere uetuisset Christus. Illa respondente: Ergo ne tibi opulento, & non potius egenis dederim? Commotus ira, Christianam mulierem, continua inedia cruciandam in uincula protrusit. Dein ad palam religatæ ignem admouit, & corpus occidit, animam occidere non potuit. Eodem temporis spacio alii cõplusculi è Christianorũ numero uariis suppliciis perimuntur. Inter quos unus alacrior, quum uidisset opes sibi omnes eripi, elata uoce dixisse scribitur: Heus uiri, quod unum potestis auferre hinc, licet hoc quidem per me: tantũmodo Christum Iesum à me non auferatis. Facta sunt tempore Diocletiani. Georg. Vuicelij.

Apud Nicephorum legitur de corpore sanctæ Anastasiæ, à Sirmio Constantinopolim delato, & reposito in templum eius in porticib. domini. De eodem ibidem habentur hæc uerba: Vasto incendio Constantinopoli facto, Marcianus œconomus ascendens super tegulas sanctæ Anastasiæ, tenens Euangelium, orationibus & lachrymis illæsam domum seruauit. Historiæ Tripart. lib. ix. cap. viii. & ix. scribit Sozomenus de templo Anastasiæ apud Constantinopolim: Nimirum, quod ab Anastasi, hoc est, à resurrectione isto nomine uocitetur. Eo enim loco Orthodoxia tanquã à mortuis resurrexerit, Arianismo deuicto, prætterquàm quòd ibi mortua puerpera, ui catholicæ precationis, reuixit.

Præsen-

PRÆSENTATIO DEIPARÆ VIRGINIS.

Ex Baptista Mantuano.

MOs erat antiquis longum seruatus in æuum,
Æde puellares annos includere sacra,
Ætatemq́ deo teneram, primumq́ dicare
Virgineæ florem uitæ, & generare pudoris
Ingenui curam, sanctosq́ inducere mores.
Mox ubi uestitum prima lanugine tempus
Venerat, in thalamos ibant, Hymenæaq́ tecta,
Coniunctæq́ uiris, proli indulgere solebant.
Propterea legum memores, & moris auiti,
Venturi Solymam trima cum prole parentes
Deseruere solum, Galileaq́ Nazaret arua
Floribus intextis & odoro gramine cinxit
Virginis ora parens, stellatæ lumina frontis
Hærebant cœlo, teneroq́ in pectore clausum
Numen erat, niueo tunicæ talaris amictu
Albebant humeri, quam circumtextus oliuæ
Laureus ambibat torques, ad colla per imas
In strophium flexis palma ibat frondibus oras,
Matris opus, mollıq́ sinus uariauerat auro.
Ventum erat ad magni templum sublime Tonantis,
Quò ducunt ter quinq; gradus de marmore uiuo,
Et iam porrectis curuabat prona lacertis
Serua manus, summum ad limen latura puellam,
Cum mox uirgineo conceptum pectore numen
Affluit, & retrahens promptæ sinuata ministræ
Brachia, debilibus plantis, animoq́ uigorem
Addidit, & supra ætatem fiducia creuit.
Protulit audaces sublata Cyclade passus
In sublime uolans uirgo, turbamq́ relinquens.
Sicut ubi multæ uolitant ad littora puppes:
Ocius illa subit portum, quę mole minori
Labitur, & melius uelis & remige fertur.
Vertice iam summo magni penes atria templi
Stabat, ubi ascensu fessos solata parentes
Risit, & æternum curuato poplite numen
Cum nuribus uenerata pijs, in claustra recessit
Virgineæ secreta domus: fleuere parentes,
Cognatæq́ nurus, gemitumq́ dedere ministræ,
Quando è conspectu uultus abitura nitentes
Vertit, & induxit sublatam in tecta sacerdos.

Iamq; uigil primam uirgo perceperat artem,
Assiduis ueterum studijs, oracula diuûm
Peruigiliq; legens cura, Mosemq;, piumq;
Esaiam, mœstisq; uirum qui uersibus urbem
Plorat, ab ingenio curas, à lumine somnus
Sedula pellebat: paruo sua uota sacello
Supplicibus palmis narrabat & ore supino
Ocia nulla die carpens: nulla ocia nocte.
Cura cibi, somniq; breuis, quæ pasceret artus.
Pauperibus mensis genium fraudabat, & ora,
Et castigato tolerans ieiunia uentre.
Carmina discebat, sanctiq; poëmata regis,
Qui tetricis olim fidibus cantabat ad aras,
Sacraq; fatidico psallebat ad orgia cantu.
Quicquid habent sacræ diuina uolumina legis
Lustrarat.
Nunc lænam pingebat acu, nunc pensa trahebat
Serica, & immissis per Licia pendula filis.
Vela sacerdotum sacros texebat in usus,
Terrenum nihil ore sonans, inclusa, latensq;
Plena deo pectus, toti gratissima cœlo.
Non robusta nimis, teneros neq; debilis artus:
Incolumis, morboq; carens: non mole sepulti
Corporea sensus: crines, caput, ora, sinusq;,
Brachia, colla, manus, postremaq; membra ligarat
Solerti compage Deus: promptissima menti
Ingenioq; acies, atq; insuperabile robur:
Neruosæq; animo uires, semperq; uoluntas
Iustitiæ, rectiq; memor, moderamine certo
Discordes animæ motus, luxumq; domabat.

ADOLESCENTIA MARIÆ uirginis.

TVnc igitur Solymas arces, charamq; reuisens
Progeniem mater, sic est affata puellam:
Nata, meo quondam suauissima pondera uentri,
Dulce patris summi donum: mea summa uoluptas:
Postq; parua lares nostros, & limina nota
Liquisti, nunq; ne tuæ te cura parentis,
Vlla ne te patriæ mouit pietatis imago?
Optasti ne sinus nostros intrare? senemq;
Cernere, quem longæua grauant iam membra parentẽ?
Debilitat uires, sensus obtundit, amorem

Ex eodẽ Vergilio Christiano.

Diluit, & nobis affert obliuia tempus.
Ipse pater sacra postq; te clausimus æde
Quotidie menses digitis percurrit, & annos.
Hæc duo lustra putat duo sæcula: sustinet ęgre
Tam longæ tormenta moræ: iam uidimus, inquit,
Æquæuas Mariæ thalamos intrasse puellas.
Et quia maiores ætas tua uenit ad annos.
Nam tibi: ni fallor: bis septima uoluitur ætas.
Propterea natosq; uiro, nobisq; nepotes,
Cultoresq; deo debes: satis æde morata es
Nata redi, nostræq; libens succurre senectæ.

ANNÆ MATRI RESPONdet filia Maria.

Thalamum fortasse subire,
Atq; maritales potero coniungere tædas,
Non poterit maculare meum Venus ulla cubile,
Virgineumq; decus: custodiet ipse pudorem,
Qui dedit hæc mihi uota pater, castiq; nitorem
Corporis, & mentem nullum mihi polluet æuum:
Sic stat, & immotum tenet hæc sententia pectus.

CECILIA VIRGO ET MARTYR.

Georg. Vuicelij.

ROmana hæc & bene nata Cecilia Christi Iesu discipula, sanctum Euangelium in corde gestans, ad cōfessionem oris semper gestijt inter medios idolatras patriæ suæ. Hæc desponsata Valeriano generoso iuueni, anxie cauit sibi, ne cum illo commixta inquinaretur, atq; id tuendæ uirginitatis proposito, prçterq; quòd à consortio ethnici coniugis abhorruit, cui haud dubiè præter uoluntatē suam à parentibus dicata, seu uerius adacta fuit, ut dextrę dextram iungeret. Fidem quidem coniugalem seruauit sponsa sponso, & est ueteri de more domum ducta, sed à congressu atq; contactu mariti pertinaciter abstinuit: atq; hoc non sine exorato consensu mariti. Existimes renouatū Iosephi ac Marię quantumuis rarum exemplum. Talis inquam connubij ueri uirginei occasione primū innotuit Romæ, Ceciliam Christianam non esse modo, sed pridem etiam fuisse, tametsi dissimulatius. Etem apparatis perq; splendide nuptijs, ac amicis undiq; gratulātibus, lętoq; clamore omnia implentibus, nuces spargentibus, ipsa Celilia Christum cogitat. Et ne uideretur inciuilior, uestitur holosericis, callide tegens cilicinum indusiū, noua Esther. Atq; ita sponsa sæculi cultu exteriore præ se fert, interiore discipulam Christi. Illi enim soli consecrarat cor, quippe potiorem sui partem, Alia alijs agentibus, cecinit Cecilia apud animum suum

suum illud ex octonarijs Dauidicis: Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar. Hanc uerò pietatem crebris precibus, ieiunijsque testabatur, & munita talibus armis, sponsum sub primam statim noctem efficaci persuasione flexit in assensum, inque dei metum. Iuuenis arcano audito, repente fit alius. Restabat, ut plenius edoceretur Christianę fidei negocium, dein Ecclesiæ lauacro purgaretur. Mittit ergo nympha nymphium in Christo nunc amantissimum ad Vrbanum eo tempore Romanę urbis episcopum, huius nominis primo, ut is euangelizaret iuueni, simul et credentem baptizaret. Quo facto redijt Valerianus Christianus iam, & Ceciliæ non tam coniunx, quàm frater: Nec ea res sine uisionibus misticis transacta est, quibus neophytum confirmari conueniebat. Non procul absunt angelici spiritus, ubi ad spiritalem Ecclesiæ structuram uiui lapides adduntur. Cæterum Valeriano germanus erat, nomine Tiburtius: hunc protinus cœlestium beneficiorum ac gaudiorum participem facere cupiens, non quieuit, quoad usque ille eidē Christo nomen daret. Negociū dei, urgente spiritu, leui opera transigitur. Adest ꝑperè Tiburtius, audit admirabiles sermones, iam ex Valeriano fratre, iam ex affine Cecilia. Hic uelut è suggesto ꝓdicabat in scelestissimam Romanorum idololatriam, & huius pedissequam, totius uitæ turpitudinem. Quo lolio ex mente catechumeni reuulso, plantatur unius dei cognitio, inseritur Euangelium. De ter sacra Triade docet Cecilia tanta dexteritate, ut à rudiusculo percontatore omnes scrupos eximeret. Quemadmodū, inquit, in una hominis sapientia tria sunt, uidelicet, ingenium, memoria, intellectus: sic quoque in una diuinitatis essentia tria hęc, pater, filius, spiritus. Post hęc speciatim differit de incarnatione, natiuitate, cōuersatione, passione, resurrectione filij, his quidem uerbis: Vnigenitus Dei Hierosolymis hostiliter uinctus est, ut genus humanū peccatis obuinctum liberè dimittatur. Benedictus maledicebatur, ut homo maledictus benedicatur, &c. In hanc sententiam multa cōtionatrix uirgo hinc perorabat: Illinc neophytus frater fratrem subdubitantem adhuc & metuentem uerbis idoneis fulciebat. Nam id temporis sæuiebatur passim per Italiam in Christianorum corpora. Quapropter Vrbanus episcopus fugitare sæuitiam, & latitare in cœmiterijs semet nimirum seruans publicis fratrum ac sororum commodis. Verbum Dei capit in auditore. E' cœlis incrementum datur, adeo, ut catechumenus de caussa longe certissimus in eiusmodi uocē erumperet: Hæc qui non credit, pecus sit oportet. Qua uoce maiorem in modum delectata Cecilia, opusculum libauit dulcissimo leuiro. Quid multis? Ducitur Tiburtius à Valeriano ad Vrbanū, à quo initiatur baptismi mysterijs. En tibi igitur par Christianorum haud uulgare. Reliquum erat, ut zelotæ bonorum operum, cognito redemptori Christo Iesu toto uitæ tempore deseruirent, ne gratiam in uacuū accepisse uiderentur. Quare cum deo am-

bulant, sæcularia desyderia à se coërcent, cõcupiscentijs iuuenilibus non indulgent, ieiunant, uigilant, orant, dispensant, uisitant, & nihil horum omittunt, quibus fides ostendi, & Christiana professio ornari solet. Vis audire seruis dei quid acciderit? Persecutio est in foribus, ut semper post se pietas crucem trahit. Allomachus præfectus fratres in ius uocat. Ipse & accusator & iudex, pro sui animi libidine ethnismi causam agit. Odiũ Christiani nominis maligno homini calumniandi & blasphemandi materiam abunde suggerit. Accusantur pij fratres de cura mortuorũ. Crimen est: Sepelierunt interfectorum Christianorum corpora. Hos falsus iudex propter flagitia damnatos fuisse pronunciat. Fratres respondent pro fratribus, ut se decuit, & os impudens Allomachi oportune redarguunt: confutatis omnibus, quæcunq; tutandis idolis in medium afferret. In summa proponitur, ut aut ad aram eant, aut ad custodiam. Itur ad custodiam, tanquam ad mensam regaliter instructam. Qua fortitudine cõplures, Tragœdiæ istius spectatores, permoti, cooperante spiritu dei, consenserunt Euangelio. Postea fortissimi cœli milites Valerianus & Tiburtius tanquam homicidæ ac fures educti ad aliquot lapides ab urbe, pro Euangelica atq; catholica fide conscelerato carnificis ense decollantur: Nec hoc solum, uerumetiam bona eorum conuasata diripiuntur. Cui tyrannidi quidnam addi possit? Superest Cecilia, quæ castissimum sponsum sequi nihil timuit: illius enim apophthegma erat: Melius est fœliciter mori, quàm infœliciter uiuere. Cum ea præfectus ob id aliquanto cunctatius egit, suppliciumque destinatum prorogauit, ut uel metu mortis, uel amore uitæ reducta, Christi nomen pernegaret. Sed spe inani ludiur. Subornat Allomachus, qui uario sermonis genere constantem deijciant, inq; diuersum sensum retrahant. Sed hac quoque ratione nihil agitur. Virgo prudens & eadem magnanima egregijs sermonibus aduersarios deuicit, docens omnia esse posthabenda cœlesti hęreditati. Qua exhortatione aliquot boni homines attracti spiritu, fidem nostram professi sunt, & ab Vrbano Baptismate donati. Videbatur præfecto superbiuscula Cecilia, quod confidenter pro se responderet: sed eam cõfidentiam illi peperit conscientia bona, & fides minime ficta. Nec superbiam, sed constantiam esse, quòd tam fortiter resisteret blasphemanti, ipsa quoq; affirmabat. Et tam falsum q; uerum est, quòd Imperatorię potestatis titulo turgens Allomachus à Cecilia uelut extusum audit: Potestas tua est quasi uter uento repletus, quem si quis acu pungat, protinus flaccescit. Verum uerbis ultro citroq; iactatis, succedũt uerbera. Sancta puella mergitur feruentibus aquis, atq; in his detruncat, nõ sine crebris ictibus. Hic pietatis honos hoc in mũdo. Passa est anno Dñi CCXXXIII. Tenellũ ac succulentũ corpus uirginis humatũ ab Vrbano, opes in egenorum manus reconditæ. Diuus Ambrosius sic refert in libro Præfat. Sancta Cecilia cœlesti dono repleta, ut martyrij palmã

rij palmā assumeret, ipsum mūdum est cum thalamis execrata. Testis est Valeriani coniugis & Tiburtij prouocata confessio, quos domine angelica manu odoriferis floribus coronasti. Viros uirgo duxit ad gloriā. Mundus cognouit, quantum ualeat deuotio castitatis. Herman. Contractus de his ad eum modum annotat: Aurelij Imper. tempore coronantur Romæ Calistus & Vrbanus Papæ, Cecilia uirgo, Tiburtius & Valerianus, Calepodius presbyter, Palmarius consul cum uxore & filijs, & Simplicius senator. Anthonius Sabellicus de S. Cecilia sic scriptum reliquit: Magnum & Ceciliæ uirginis exemplum in hac relatione, quæ Valariano desponsa, ne in nuptiali quidem ornatu cilicium deposuit, sic duobus sponsis placitura, cœlesti interiore, hoc alteri, qui in terris erat cultu exteriore.

CLEMENS ROM. PONTIFEX.

Clemens patria Romanus de regione Cęlij montis, patre Faustino, Domitiani temporibus fuit: qui ab Augusto nonus Tito successit, Neroni aut Caligulę similior, quàm patri Vespasiano, aut fratri: moderatior tamen primis annis est habitus. Mox in ingentia uitia prorupit, libidinis, desidiæ, iracundiæ, crudelitatis, quibus criminibus tantum odij in se concitauit, ut penè patris ac fratris nomen aboleuerit. Multos autem ex nobilitate interfecit, plerosq; in exilium misit, eoq; in loco trucidari iussit. Tantæ uero desidiæ fuit, ut in cubiculo solus muscas præacuto stylo configeret. Vnde quidam prodiens interrogatus: esset'ne quispiam cum Cæsare? Respondit per iocum: Ne musca quidem. Eo præterea dementiæ & iactantiæ uenit, ut se dominū ac deum uocari, scribi, coliq; iusserit. Hic autē secundus post Neronem Christianos persequitur. Exquiri quoq; quæstionibus & tormentis genus Dauid inter Iudęos mandauit, conquisitumq; funditus perdi ac deleri. Tandem uero diuina superueniente ultione, in palatio à suis interficitur, anno imperij decimoquinto. Huius uero cadauer per uespiliones delatum ignominiose sepelitur. Philix enim in suburbano suo Latina uiā illud funerauit. Clemens autem quartus (ut dixi) tum erat Romæ post Petrum episcopus. Nam Linus secundus est habitus, tertius Cletus, tametsi pleriq; Latinorum secundum post Petrum putauerint Clementem fuisse: quod etiam Epistola ad Iacobum Hierosolymitanum episcopum planè significat. Simon Petrus ubi finem uitæ suæ adesse sensit, in corona fratrum positus, apprehēsa manu mea, Hunc (inquit) urbis episcopum constituo, qui mihi in rebus omnibus posteaq; Romam ueni, comes fuit. Subterfugiebam ego tantum onus: tum ille, tibi tantummodo consules, populum Dei in fluctibus ambulantē deseres, cum periclitanti subuenire possis? Verum hic omniū modestissimus (ut dixi) Linum & Cletum sponte sibi in tanto honore prætulit. Scripsit item Ex Platina.

Romanæ ecclesiæ nomine ad Corinthios epistolam quidē perutilē, nec characteri epistolæ differentē, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur. Legitur hæc publicè à nōnullis: Extat & secunda eius nomine, quā ueteres nō adeo ꝓbarūt. Disputationē quoqꝫ Petri et Appionis longo sermone ab eodem cōscriptam Eusebius in tertio historię suę uolumine coarguit. Peruenisse aūt ad hæc usqꝫ tempora Ioannē apostolū constat Zebedæi filium Iacobi fratrem. Hic uerò omniū nouissimus Euangeliū scripsit, ac ea confirmauit, quæ à Matthæo, Marco, Luca conscripta fuerant. Ferunt & id ob eam rem à Iohanne postremo factum, quò Ebionitarum dogma consurgens infringeret, qui asserebant & impudenter quidem, Christum ante Mariam nō fuisse: eius enim diuinam naturam Iohannes explicat. Scripsit & alia multa, tum uero Apocalypsim, relegatus à Domitiano in Pathmos insulam, quo postea interempto, & actis eius ob nimiam crudelitatem à senatu rescissis, imperante Nerua Ephesum rediјt: ibiqꝫ usqꝫ ad Traianum principem consilio & scriptis ecclesias Asiæ sustentans, senio confectus, sexagesimooctauo post passionem Christi anno in Domino quieuit. Clemens autem pietate, religione, doctrina multos ad fidem Christi quotidie traducebat. Quam ob rem P. Tarquinius sacrorum princeps cum Mamertino urbis præfecto Traianum in Christianos cōcitat. Cuius imperio in insulam Clemens deportatur, ubi ad duo milia Christianorum ad secanda marmora damnatorum inuenit. Dum ibi uero aquæ penuria laboraretur, quam sexto miliario repetebant, Clemens collem haud longe positum conscendens, agnum uidit, sub cuius dextro pede fons diuinitus abundantem aquam scaturiebat, qua quidem & recreati omnes sunt, & multi ad fidem Christi conuersi. Hanc ob rem motus Traianus ex satellitibus suis quosdam mittit, qui Clementem in mare praeijcerent, alligata ad collum ancora, cuius sacratissimum corpus nō ita multo pòst ad littus delatum est, atqꝫ eo loci sepultum extructo templo, uude fons diuinitus emanauerat. Hoc aūt factum narrat XIX. calendas Decembris, anno tertio Traiani principis. Sedem uerò Petri retinens annis nouem, mensibus duobus, diebus decem, & regiones septem notarijs diuisit, qui diligenter res gestas martyrum scriberent: & habitis quoque de more sacris ordinibus, decembri mense presbyteros decem, diaconos duos, episcopos quindecim creat.

CATHARINA VIRGO ET Martyr.

Ex Romano breuiario.



Atharina uirgo Alexandrina claris natalbius orta, liberalib. disciplinis ab in eunte ætate, & sanctis moribus instituta, in eā sanctitatis & doctrinæ magnitudinem euasit, ut annos nata decem & octo doctissimos etiam uiros & grauissimos superaret: tanto studio flagrans Christianæ pietatis, ut quum Maxentij sæuitia multos

Christia-

Christianorum ad supplicia & necem abstrahi animaduerteret, non dubitauerit ipsum adire, eidemq́ immanitatem impietatemq́ grauissimis & doctissimis uerbis improperare. Cuius sapientiam & cõstantiam demiratus Maxentius asseruari eam iubet, & ex uarijs regionibus uiros doctissimos conuocari, magno premio proposito, si quis Catharinam conuicisset, & à religione Christianorum auertisset. Quod longe secus euenit. Habita enim longa cum quinquaginta, qui conuenerant, doctissimis philosophis disputatione, omnes superatos ad Christi fidem conuertit, & sic in fide confirmauit, ut pro ea mori non dubitauerint. Tunc Maxentius ad blanditias conuersus, magnis pollicitationibus Catharinam aggreditur. Quas cum uirgo repudiasset, plumbatis scuticis crudelissime cæsa in carcerem obscurissimum detruditur, & undecim diebus continuis fame & siti cruciata, ad gladiorum rota extrahitur excarnificanda. Rota autem continuo ad ipsius preces confracta & comminuta est. Quo miraculo multi sunt ad Christi fidem conuersi. Sed quum hæc omnia supplicia magno animo diuina ope superasset, iubente Maxentio, cuius erat obstinatus animus, capite plectitur ad VII. Calend. Decembris. Eius autem corpus in Sina monte Arabiæ ministerio angelorum conditum est.

DE S. BENNONE EPISCOPO Misnensi historia.

EXcelsus dominus militantem ecclesiam preciosorum lapidum uiuorum ipsi summo angulari lapidi Christo Iesu unitorum, ornatissima uarietate decoratam, structura mirabili fundare disposuit, atque ab initio uineam suam, pijs cultoribus, iuxta sanctam promissionem suam uisitauit, firmauit & auxit, sicq́ semper ad illam suæ protectionis auxilium multipliciter impartitur, & eandem uineam more solito uisitans uirum fortem ad huius uineæ culturã adduxit, gloriosum scilicet confessorem B. Bennonem, superno cœtui iamiam indubie sociatum.

Qui inter cæteros Christi athletas, suis meritis & exemplis, ipsam sanctam ecclesiam diuina cooperãte gratia, multipliciter decorauit, præsentisq́ temporis caliginẽ, suæ lampadis fulgore mirabiliter illustrauit. Ipse enim aduersus mundum, carnem & dæmonem fortiter dimicauit. Et in odorem altissimi currens, copiosam utriusq́ sexus Christifidelium multitudinem salubriter post se traxit, ac uelut effusam super faciem terræ, religiosam professionis suæ generationem dereliquit, ut ad illuminationem gentium celebri memoria tanq́ rutilum sidus, in ecclesiæ firmamamento seruaretur.

Siquidem Fredericus Bultenburgensis, uir nobili loco natus, pater fuit B. Bennonis, quẽ ex Bezela pia eius uxore susceperat. Cumq́ in B. Bennone ab ineunte ætate, bona indoles eluceret. Ne illa æqualium studijs malis

dijs malis moribus ac deprauatis opinionibus, ut illa ætas assolet corrumperetur: magnopere sibi prouidendum existimauit. Et eum ut primum ex infantia excessit, diuo Bernwardo episcopo Hildesemensi commendauit & tradidit.

Qui cum negocium sibi commissum attenderet, ut puer ad uirtutem recte informaretur, illum primum ad amorem Dei Opt. Maximiq; induxit. Deinde uerò cum uir prudens intelligeret utile esse si literę cum uirtute coniungerentur: beatum Bennonem à Bigario bono sanè uiro & docto, instituendum curauit, sub quo magnos ille progressus fecit: quamobrem ineunte iam adolescentia, cum ad bene beateq; uiuendum satis instructus esset, monasticam uitæ rationem suscepit. Monachus itaq; cum esset, reiectis uoluptatibus omnem uitæ cursum in uirtute confecit. Quod cum fratres, cum quibus uiuebat, probassent, defuncto eorum Abbate, cunctis ferè suffragijs Abbatiam ei detulerunt. Verum B. Benno ut erat ab omni ambitione alienus, oblatū honorem recusauit: sed quo ille uehementius recusabat, eo magis monachorum studia incendebantur. Vrgentes igitur et instantes B. Bennonem uel inuitum ad dignitatem rapiunt, quam ipse tertio pòst mense deposuit, seq; ad pristinam uitam, & bene quidem institutam retulit.

Cœpitq; eum claræ memoriæ Henricus tertius Imperator diligere plurimum, qui cum uideret sanctissimum hominem, ad rempub. bene gerendam natum esse, tantum uirum in cœnobij angulis ætatem consumere passus non est. Sed cum à fœlicis recordationis Leone papa nono prædecessore nostro, assensum obtinuisset, illum magnopere repugnantem, è monasterio eduxit. Ac ꝑpositurae ecclesię Goslareñ. Hildesemeñ. dioecesis præfecit. In ea uero cum usq; ad ingrauescentē ætatem, integre casteq; cōuersaretur, Canonici ecclesię Misnensi, fama eius inducti, uenerandum senem, qui tunc LVI. annos natus erat Ecclesiæ suæ præesse uoluerunt. In qua cum omnia præclare, tum hoc præclarissime egit, quòd Vandalos de religione Christiana male sentientes, ex pernicioso errore eripuit, eoq; traduxit, ut unà cū catholica ecclesia pari studio fidē Christianam tuerentur.

Cumq; iam multis annis beatus præsul, fama, uita, & miraculis, superna dei gratia clarus uixisset, tandem ad uitæ cursum fœliciter consumandum, plenus dierum attigisset, uir beatus ægrotare cœpit, & breui futurum sperans, ut ex hac uita ad superos, quorum consuetudo dulcis est, adq; ęterna migraret. Paulò ante q̄ moreretur, Canonicos suos adhortatus est, ut eam charitatē, quam nos Christus docuit, studiose complecterentur: deinde Eucharistiam, cibum illum diuinum, magna pietate suscepit. Et cum orationes ad Deum Opt. Maximumq; habuisset, è uita excessit. Et id quidem quadragesimo Pontificatus sui anno: post Christum autem natum millesimo centesimo sexto.

PLVRA DE BENNONE, EX Biblioth. Fulden.

SEd ex his omnibus episcopis, qui uel damnati fuerant uel depositi, unus tantum scilicet Benno Misnensis episcopus uenit ad sedem Apostolicã pro errore suo petiturus ueniam, quam & promeruit accipere. Ergo Clemens Papa poenitentem benigne suscepit & confessum pro errore suo honorifice tractauit, abeuntemq; cum literis Apostol. sedis ad Henrichum Imperatorem misit, quem & ipse libenter accipiens correctum dimisit libere abire in Episcopatũ suum &c.

S. BVRCHARDVS EPISCOPVS Vuirceburgensis.

BRitannus is natus, in Germaniam se contulit simulac comperisset, hãc nostram nationem Euangelio passim dare manus. Eo tempore prefuit Moguntinensi ecclesiæ S. Bonifacius maximum totius Germaniæ iubar. Ad hunc Burchardus adolescens adhuc, tàm uidendum q̃ audiendum uenit. Mox ille Burchardum diuinat episcopum Franciæ futurum, Kiliani seu Chiliani successorem. Proinde nõn grauatur Bonifacius cum Burchardo Romam adire, ut illic à pontifice Zacharia confirmationem episcopatus huius noui impetraret. Pontifex de rudimentis Christianæ religionis in Germania pro sollicitudine pastorali accurrate disquirit, diuus Bonifacius respondet: Euangelij quidem sementem passim inter Barbaros populos germinare, sed deesse operarios aliquot, quorum opera Francia orientalis, in uerbo Dei per Kilianum adnunciato, retineretur. Cæterum nonnullis sermonibus ultro citroq; habitis de cura episcopali, deq; pauperum necessitate subleuanda, creatur simul & confirmatur Burchardus in Episco. Herbipolitanum, ut qui ea cathedra sit tàm dignus, quàm aptus obeundę sanctæ functioni. Abeuntes à se Zaccharias pontifex religiosissimus, his uerbis prosequitur: Ite fratres charissimi cooperatores diuini seminis, Crescat fructus uestri laboris, nec ualeat inimicus uobis torpentibus in agro dominico serere, quod tempore messis debeat incendio tradi. Et comitetur uos auxilium diuinæ protectionis, qua Ianitor cœlestis aulæ defensus est, ne à satana ueluti triticum cribaretur. Iam Vuirciburgum ingressi sic excipiuntur à pijs ciuibus: Venite patres, uenite serui Dei excelsi, uenite liberatores animarum nostrarum: Augite diuini uerbi semina, à beato Chiliano nobis olim præbita &c. Quibus auditis uterq; præsul præ gaudio lachrymas fudisse memoratur. Ab illo die cœpit Burchardus sedula meditatione perquirere, qua ratione commissas sibi oues bene pascere, inq; extremo examine superni Iudicis, dominicum Euge promereri posset. Historia subiungit nõnihil de S. Chiliani & sociorum eius corporibus refossis, & digniore loco conditis à Burchardo bono pastore, uero præsule, honorando Heroë.

Georg. Vuicelij.

Historiæ uerba.

S. VVICBERTVS CONFESSOR.

Georg. Vuicelij.

HVnc haud incelebrem religionis nostræ uirum Anglosaxonem natione fuisse lego, uenisse uerò in Germaniam, beneficentissimi Bonifacij fama attractum. Quem is, ut rectæ tum fidei tum uitæ uirum, primum in oppidum, cui Friteslar nomen, dein in Ordorff amandauit, non docendi tantum, uerumetiam cœnobitas pie instituendi corrigendiúe gratia. Verum mortui in Domino corpus (qua nimirum tempestate Saxones passim uagabantur, omnia depopulantes) nunc huc nunc illuc transportatum est. Resedisse dicunt in pago Geismar, anteq̃ curante Lullo Mogunt. præsule & Albino suffraganeo transferretur in ciuitatem Heresfeld: Quo tempore in monasterio illo celeberr. uixerunt monachi Ernestus, Batericus & Vuolfus. Multa miracula, hoc est, beneficia Dei in ægrotos ferunt apud diui huius Vuicberti cineres in Heresfeldensi monasterio facta fuisse.

S. BENEDICTVS CHRISTIANISsimus Abbas.

Ex lib. S. Gregorij.

FVit uir uitę uenerabilis, gratia benedictus & nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens, nulli uoluptati animum dedit: sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè uti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore. Qui liberiori genere ex prouincia Mirsiæ exortus, Romę liberalibus literarum studijs traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta uitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoq; in immane præcipitium totus iret. Despectis itaq; literarum studijs, relicta domo rebusq; patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit. Recessit igitur scienter nesciens & sapienter indoctus. Huius ergo omnia gesta non didici: sed pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnoui: Constantino scilicet reuerendissimo ualde uiro, qui ei in monasterij regimine successit. Valentiniano quoq;, qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit. Simplicia, qui congregationem illius post eum tertius rexit. Honorato etiam, qui nunc adhuc cellæ eius in qua prius conuersatus fuerat, præest.

Hic itaq; cum iam relictis literarum studijs petere deserta decreuisset: nutrix quæ hunc arctius amabat sola secuta est. Cumq; ad locum uenisset qui dicitur Enside, multisq; honestioribus uiris pro charitate se illic detinentibus in beati Petri ecclesia demorarentur: prædicta nutrix illius ad purgandum triticum à uicinis mulieribus præstari sibi capisterium petijt, quod super mensam incautè derelictum, casu accidente fractum est, sic ut in duabus partibus inueniretur diuisum. Quod mox rediens

nutrix

nutrix illius, ut ita inuenit, uehementissime flere cœpit: quia uas quod præstitum acceperat, fractum uidebat. Benedictus autem religiosus & pius puer cum nutricem suam flere conspiceret, eius dolore compassus ablatis secũ utrisq; fracti capisterij partibus, sese cũ lachrymis in orationem dedit: qui ab oratione surgens, ita iuxta se uas sanum reperit, ut in eo inueniri fracturæ nulla uestigia potuissent: moxq; nutricem suam blandè cõsolatus, ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quæ res in eodem loco à cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, ut hoc ipsum capisterium eius loci incolæ in Ecclesiæ ingressu suspenderent, quatenus præsentes et secuturi omnes agnoscerent, à quanta Benedictus puer conuersationis gratia perfectione cœpisset, quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & usq; ad hæc Longobardorum tempora super fores ecclesiæ pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, q̃ laudes: & pro deo laboribus fatigari, q̃ uitæ huius fauore extolli, nutricem suam occultè fugiens, deserti loci secessum petijt, cui Sublacus uocabulum est, qui ab Romana urbe XL. ferè milibus distans, frigidas atq; perspicuas emanat aquas: Quæ illic uidelicet aquarum abundantia in extenso prius loco colligitur: ad extremum uero in amnem deriuantur. Quò dum fugiens pergeret, monachus quidam Romanus nomine, hunc euntem reperit: quò tenderet, requisiuit. Cuius cum desiderium cognouisset, & secretum tenuit, & adiutorium impendit, eiq; sanctæ cõuersationis habitum tradidit, & inquantum licuit, ministrauit. Vir autem dei ad eundem locum perueniens, in arctissimum specum se tradidit, & tribus annis, excepto Romano monacho, hominibus ibi incognitus mansit: qui uidelicet Romanus non longe in monasterio sub Theodaci patris regula degebat. Sed piè eiusdem patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem uerò specum à Romani cella iter non erat, quia excelsa desuper rupes eminebat: sed ex eadem rupe in longissimo fune ligatum Romanus deponere panem consueuerat, in qua etiam resti paruum tintinabulum inseruit, ut ad eius sonum uir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet, quem exigens acciperet. Sed antiquus hostis unius charitati inuidens, alterius refectioni, cum quadã die submitti panẽ cõspiceret, iactauit lapidẽ, & tintinabulũ fregit. Romanus tamen modis congruentibus ministrare non desijt. Cum uerò iam Deus omnipotens & Romanum uellet à labore quiescere, & Benedicti uitam in exemplum hominibus demonstrare, ut posita supra candelabrum lucerna claresceret, quatenus omnibus qui in domo Dei sunt luceret: cuidam presbytero longius manenti, qui refectionem sibi in paschali festiuitate parauerat, per uisum dominus apparere dignatus est, dicens: Tu tibi delitias præparas, & seruus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit, atq; in ipsa

 solennitate

solennitate paschali cum alimentis, quæ sibi parauerat, ad locum tetendit, & uirum Dei per abrupta montium, per concaua uallium, per defossa terrarum quæsiuit, eumque latere in specu reperit. Cumque oratione facta, benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia uitæ colloquia is qui aduenerat presbyter dixit: Surge sumamus cibum, quia hodie pascha est. Cui uir Dei respondit, dicens: Scio quia pascha est, quia hodie uidere te merui. Longè quippe ab hominibus positus, quia die eodem paschalis solennitas esset, ignorabat. Venerabilis autem presbyter rursus asseruit, dicens: Veraciter hodie resurrectionis Dominicæ paschalis dies est, abstinere tibi minime cõgruit, quia & ego ad hoc missus sum, ut omnipotentis dona Dei pariter sumamus. Benedicentes igitur Dominum sumpserunt cibum. Expleta itaque refectione & colloquio, ad ecclesiam suam presbyter recessit. Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores inuenerunt: quem dum uestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquã bestiam esse crediderunt: sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt. Nomen itaque eius per uicina loca innotuit cũctis. Factumque est, ut ex illo iam tempore à multis frequentari cœpisset: qui cum ei cibũ afferrent corporis, ab eius ore in suo pectore alimenta referebant uitæ.

Reliqua legat pius presbyter apud ipsum Gregorium lib. 2. Dialog.

S. CANTVS, CANTIANVS, ET CANtianilla martyres Christi Iesu.

Ex S. Ambrosio.



HOdie beatissimorum Canti, Cantiani, & Cantianillæ natalis est: quàm bene & iocũde tres martyres uno penè uocabulo nuncupantur. Nec mirum, si similes sunt nomine, qui sunt similes passione: Si una est illis apud homines appellatio, quibus apud deum est una uocatio. Vniter enim uocati sunt à domino, non interposito tempore aliter & aliter passi, sed omnes eodem ictu pariter martyrium pertulerunt. Quod quidem illis parentiua quadam à Christo affectione concessum est, ut congruerent meritis, qui uocabulis concordabant: & qui erant consanguinitate fratres, fierent etiam sanctitate germani: & quorum membra unius corporis substantia uegetabat, eorum animas eiusdem fidei confessio coronaret. Refert autem de beatis supradictis historia, quòd tẽpore passionis, cum eos persecutor inquireret, ascenso uehiculo iunctis mulabus eos secedere uoluisse: & cum non longe ab urbis mœnibus iter agerent, unũ animal de subiunctis subito corruisse, atque ita illos à persecutoribus cõprehensos tentos ad pœnam. Quod factum quàm gloriosum sit, & à diuinitate dispositũ, debemus aduertere. Semper enim deus quos eligit, hos uictores subuectione sublimi in aulã regni cœlestis inducit. Nam sicut Helias curru applicato quasi ascendit ad

cœlum

coelum, ita & isti uehiculo admoto ad martyrium peruenerunt: & quadriga sicut illũ euexit ad requiẽ, ita hos portauit ad gloriam. Et quamuis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior non habenda est: quia illa unum gestauit prophetam, hæc tres martyres sustentauit. Sed dicet aliquis: Gloriosius est gestari quadriga ignea, quã terrena. Nec hoc planè defuit sanctis uiris. Nam sicut Heliam ignea quadriga portabat, ita & martyres fides ignea iam ferebat. Ferebat, inquã, illos Christus, qui lumẽ est, qui ignis est, de quo scriptũ est: Dominus noster ignis cõsumens est. Ergo cum beatos, de quibus loquimur, persecutor urgeret, uehiculũ conscenderũt. Qua causa? Vt fugerent? Absit. Non ut fugerent, sed ut ad martyrium citius peruenirent: non ut latitarent, sed ut Christianos se cunctis transeuntibus manifestius approbarent. Cæterũ occultius inter plures in ciuitate latere potuerant tutius per diuersa singuli fugæ præsidium cõmendare. At uero ubi quis congregatione habita stratis uehiculis, apparatu disposito, per aggerem publicum egreditur, illic non fuga dicenda est, sed profectus est. Sancti enim uiri hoc facto uelut in triumphali curru positi contestabantur, dicentes: Ecce persecutor, ecce proficiscimur, ecce præcedimus, quid resides? quid moraris? Subsequere nostra uestigia. Nolumus enim uideri inuiti ducti ad pœnam, qui præcedere nos profitemur ad gloriam.

NATALIS SANCTORVM MARTYRVM, Octauij, Aduentitij & Solutoris Tauricorum.



CVm omnium sanctorum martyrum fratres deuotissime natalem celebrare debemus, tum pręcipue eorũ solennitas tota nobis ueneratione curanda est, qui in nostris domicilijs proprium sanguinem profuderunt. Nam licet uniuersi sancti ubiq; sint, & omnibus ꝓsint, specialiter illi tamen pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulêre pro nobis. Martyr eñ cum patitur, non sibi tantũ patitur, sed & ciuibus. Sibi enim patitur ad præmium, ciuibus ad exemplũ. Sibi patitur ad requiem, ciuibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus, Christo credere, didicimus contumelijs uitam æternam quęrere, mortẽ didicimus nõ timere. Videte ergo, quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, ut alius saluaretur: alter carnificẽ ꝑtulit, ut Christum alter agnosceret: Alter morti addictus est, ut alius uita potiretur ęterna: & ad postremum sanctus occisus est, ut peccator euaderet. Beati igitur martyres nec sibi uixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerũt bene uiuendo cõuersationis, tolerando fortiter passionis. Nam ideo dominus per totũ mundũ diuersis in locis pati martyres uoluit, ut tanq; idonei testes nos pręsenti quodã fidei exemplo suæ confessionis urgerent, ut humana fragilitas, quæ prædicationis dominicæ *Ex S. Ambrosio episcopo.*

aditu longiore uix credit, uel præsenti oculorum testimonio martyrio crederet beatorum. Cuncti igitur martyres deuotissime percolendi sunt: sed specialiter ij uenerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant: isti etiam adiuuãt passione. Cum his autem nobis familiaritas est: semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur: hoc est, & in corpore nos uiuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes assumat: ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideo hoc à maioribus prouisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dũ illis Christus illuminat, nobis tenebrarũ caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescẽtes euadimus inferi tenebras eorum proprijs meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualerunt ei. Si ergo Apostolo et martyri Petro inferni porta nõ præualet, quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nam uidemus eos utiq; iam regnare. Cernimus enim ab ijs frequenter obsessos immundissimis dæmonibus homines liberari, ita ut cœlesti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus uinculis igneis alligatus producatur de sua captiuitate captiuus, ut qui prædam paulò ante cœperat, ipse subdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est. Et ideo fratres ueneremur eos in sęculo, quos defensores habere possumus in futuro. Et sicut eis ossibus parentum nostrorum iungimur, ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione, q̃ corpore.

INNOCENS MVLIER SEPTIES A carnifice percussa.

Ex lib. S. Hieronymi.



SÆpe à me, Innocenti charissime, postulasti, ut de eius rei miraculo, quæ nostra ætate acciderat, non tacerem. Cumq; ego id uerecunde & uere, ut nunc experior, negarem, meq; assequi posse diffiderem: siue quia omnis sermo humanus inferior esset laude cœlesti, siue quia ocium quasi quædam ingenij rubigo, paruulam licet facultatem, pristini siccasset eloquij. Tu è contrario afferebas, in Dei rebus non possibilitatem inspici debere, sed animũ: neq; posse eum uerba deficere, qui credidisset in uerbo. Quid igitur faciam? Quod implere non possum, negare non audeo. Super onerariam nauẽ rudis uector imponor. Et homo qui necdum scalmum in lacu rexi, Euxini maris credor fragoribus. Nunc mihi euanescentibus terris, cœlum undiq;, & undiq; pontus: nunc unda tenebris inhorrescens, & cæca nocte nimborũ spumei fluctus canescũt. Hortaris, ut tumida malo uela suspendam, rudentes

dentes explicem, clauum regam. Pareo iam iubenti: & quia charitas omnia potest, spiritusancto cursum ꝓsequente confidã, habiturus in utraq; parte solatiũ. Si me ad optatos portus æstus appulerit, gubernator putabor. Si inter asperos orationis anfractus impolitus sermo substiterit, facultatem forsitan requires, uoluntatem certe flagitare non poteris. Igitur Vercellæ Ligurum ciuitas haud procul à radicibus alpium sita, olim potens, nunc raro est habitatore semiruta. Hanc cum ex more consularis inuiseret, oblatam sibi quandam mulierculã unà cum adultero, nam hoc crimen maritus impegerat, pœnali carceris horrore circũdedit. Neq; multo pòst, cum liuidas carnes ungula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus dolor quæreret ueritatem, infœlicissimus iuuenis uolens compendio mortis longos cruciatus uitare, dum in suum mentitur sanguinem, accusauit alienum: solusq; omnium miser, merito iussus est percuti, qui non reliquit innoxiæ, unde posset negare. At uerò mulier sexu fortior suo, cum eculeus corpus extenderet, & sordidas fœtore carceris manus post tergum uincula cohiberent, oculis quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cœlum, & uolutis per ora lachrymis: Tu, inquit, testis es domine Iesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis & cordis: non ideo me negare uelle, ne peream, sed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes? Equidẽ & ipsa cupio mori, cupio inuisum hoc corpus exuere, sed non quasi adultera. Præsto iugulum, micantẽ intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Non moritur, quisquis uicturus occiditur. Igitur consularis pastis cruore luminibus, ut fera, quæ gustatum semel sanguinẽ semper sitit, duplicari tormenta iubet, & sæuũ dentibus frendens, similem carnifici minatus est pœnam, nisi confiteretur sexus infirmior, quod nõ poterat robur uirile reticere. Succurre domine Iesu, ad unum hominẽ tuum complura sunt inuenta supplicia. Crines ligantur ad stipitẽ, & toto corpore ad eculeum fortius alligato, uicinus pedibus ignis apponitur, utrunq; latus carnifex fodit, nec papillis dantur induciæ: immota mulier manet, & à dolore corporis spiritu separato, dum cõscientiæ bono fruitur, uetuit circa se sæuire tormenta, iudex crudelis, quasi superatus attollitur: illa deum deprecatur: soluuntur membra cõpagibus: illa oculos ad cœlum tendit, quasi de cõmuni scelere alius confitetur: illa pro confitente negat, & periclitans ipsa, aliũ uendicat periclitãtem. Vna interim uox est: Cęde, ure, lacera, non feci. Si dictis tollitur fides, ueniet dies, quę hoc crimen diligenter discutiat: habeo iudicem meum. Iam lassus tortor suspirabat, ingemit: nec erat nouo uulneri locus. Iam uicta sæuitia, corpus quod laniarat, horrebat. Extemplo ira excitus cõsularis: Quid miramini, inquit, circũstantes, si torqueri mulier mauult, quàm perire? Adulterium certè sine duobus committi non potuit; & esse credibilius reor, noxiam ream negare de scelere, quàm innocentem

tem iuuenem confiteri. Pari igitur prolata in utrunq; sententia, damnatos carnifex trahit, totus ad spectaculum populus effunditur, ut prorsus quasi migrare ciuitas putaretur, stipatis proruens portis turba densatur. Et quidem miserrimi iuuenis ad primum statim ictum amputatur gladio caput, truncumq; in suo sanguine uolutatur cadauer. Postquam uero ad foeminam uentum est, & flexis in terram poplitibus, super trementem ceruicem micans eleuatus est gladius, & exertam carnifex dexteram totis uiribus concitauit, ad primum corporis tactum stetit mucro letalis, & leuiter perstringens cutem, rasurę modicæ sanguinem aspersit, imbellem manum percussor expauit, & uictam dexteram gladio marcescente miratus, in secundos impetus torquet. Languidus rursus in foeminam mucro delabitur, & quasi ferrum eam timeret attingere, circa ceruicem torpet innoxiam. Itaq; furens & anhelans lictor, paludamento in ceruicem retorto, dum totas expedit uires, fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit, ignarusq; rei, ensem librabat in uulnus. En tibi, ait mulier, ex humero aurum ruit: collige multo quæsitum labore, ne pereat. Proh rogo quæ est ista securitas? Impendentem non timet mortem: lætatur percussa, carnifex pallet: oculi gladium non uidentes, fibulam uident. Et ne parum esset, quod non formidabat interitum, præstat beneficium sęuienti. Iam igitur & tertius ictus sacramentum frustratus erat trinitatis. Iam spiculator exterritus & non credens ferro, mucronem aptabat in iugulum, ut qui secare non poterat, saltem premente manu corpori conderetur. O omnibus res inaudita sæculis: Ad capulum gladius reflectitur, & uelut dominum suum uictus aspiciens, confessus est se ferire non posse. Huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos ædidere pro fletibus, circa quorum sararaballa sanctamq; cæsariem, innoxium lusit incendium. Huc beati Danielis reuocetur historia, iuxta quē adulantibus candis, prædam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna nobilis fide, omnium subeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio, spiritu sancto puerum replente saluata est. Ecce non dispar in utraq; misericordia domini. Illa liberata per iudicem, ne iret ad gladium: hæc à iudice damnata, absoluta per gladium est. Tandem ergo ad foeminam uindicandam populus armatur. Omnis ætas, omnis sexus carnificem fugat, & coetu in circulum coëunte exclamat. Non credit penè unusquisq; quod uidet. Turbatur tali nuncio urbs propinqua, & tota lictorum turma glomeratur. E quibus medius, ad quem damnatorum cura pertinebat, erumpens, et caniciem immundam perfuso puluere turpans: Quin meum, inquit, ô ciues petitis caput? me illi uicarium datis? Si estis misericordes, si clementes estis, si uultis seruare damnatam, innocens certe perire non debeo. Quo fletu uulgi concussus est animus, moestusq; se per omnes torpor insinuat, & mirum in modum uoluntate mutata, cum pietatis fuisset

quod

quod ante defenderant, pietatis uisum est genus ut paterentur occidi. Nouus igitur ensis, nouus percussor apponitur. Stat uictima, Christo tantū fauente munita. Semel percussa concutitur, iterum repetita quassatur, tertio uulnerata prosternitur. O diuinæ potentiæ sublimanda maiestas: quæ prius fuerat quarto percussa, nec læsa, ideo post paulum uisa est mori, ne pro ea periret innoxius. Clerici quibus id officij erat cruentum linteo cadauer obuoluunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant. Festinato sol cursu occasum petit, & misericordia Domini, celeriore cursu naturæ nox aduenit. Subito fœminæ palpitat pectus, & oculis quærentibus lumen, corpus animatur ad uitam. Iam spirat, iam uidet, iam subleuatur, & loquitur. Iam in illam potest uocem erumpere: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo. Anus interim quædam, quæ ecclesiæ sustentabatur opibus, debitum cœlo spiritum reddidit, & quasi de industria ordine currente rerum, uicarium tumulo corpus operitur. Dubia adhuc luce, in litore diabolus occurrit, quærit cadauer occisæ, sepulchrum sibi monstrari petit: uiuere putat, quã mori potuisse miratur. Recens à clericis cespes ostenditur, & dudum superiecta humus, cum his uocibus ingeritur flagitanti: Erue scilicet ossa iam condita: Infer nouum sepulchro bellum, & si hoc parum est, auibus ferisq; lanianda membra discerpe. Septies percussa, debet aliquid plus morte perpeti. Tali ergo inuidia carnifice confuso, clàm domi mulier refocillatur. Et ne forte creber medici ad ecclesiam commeatus suspitionis panderet uiam, cum quibusdam uirginibus ad secretiorem uillulam secto crine transmittitur. Ibi paulatim uirili habitu ueste mutata, in cicatricem uulnus obducitur. Et ô uere ius summum, summa malicia: post tanta miracula adhuc sæuiunt leges. En quo me gestorum ordo pertraxit. Iam enim ad Euagrij nostri nomen peruenimus: Cuius ego pro Christo laborem, si arbitrer à me dici posse, non sapiam: si penitus iacere uelim, uoce in gaudium erumpente non possim. Quis enim ualeat digno canere præconio, Auxentium Mediolanis incubantem, huius excubijs sepultum, pené anteq; mortuum? Romanum episcopum iam pené factionis laqueis irretitum, & uicisse aduersarios, & non nocuisse superatis? Verum hæc ipse equidem spacijs exclusus iniquis prætereo, atq; alijs post me memoranda relinquo. Præsentis tantum rei fine contentus sum. Imperatorem de industria adit, precibus fatigat, merito lenit, solicitudine promeretur, ut redditam uitæ redderet libertati.

DEDICATIO SEV FESTVM ECCLEsiæ. S. Augustini concio.


Rectè festa Ecclesię colũt, qui se ecclesię filios esse recognoscũt. Hæc enim omniũ credentium mater est: quæ natos à morte regenerat ad salutem. Hæc est post synagogam quidem uo-

cata, sed ante synagogam promissa. Hæc enim iam in primo homine præfigurata est. Nam sicut ex Adæ latere fabricata est Eua, ita ex Christi corpore & uulnere redempta creuit Ecclesia. Hæc intra arcam diluuio exundante seruata: crucis beneficium & baptismatis mysterium præsignauit. Hanc Sara sterilis & desperata in senectute unico pignore fœcundata præcinit, quod ecclesia unicum, id est, dilectissimum Deo populum sæculo iam senescente progenuit. Hæc est regina illa, de qua ad Dominum dicitur: Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato circumamicta uarietate, id est, diuersarum circundata precioso decore uirtutum. Hęc est illa regina, quę uenit à partibus Æthiopiæ audire sapientiam Salomonis. Sed hæc non tam ex una regione quàm ex uniuersis mundi partibus reges paritura conuenit: sicut etiam Euangelista commemorat: Regina Austri uenit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Venit Ecclesia ad redemptorem & eruditorem suum, ut de stulticia erroris doctrinam perciperet ueritatis. De qua plenius sicut audiuimus regnorum scribit historia, ita dicens: Et ingressa regina Hierusalem cum multo comitatu & diuitijs, cum camelis portantibus aromata & aurum infinitum nimis & gemmas preciosas, uenit ad Salomonem: & locuta est ei uniuersa quæ habebat in corde suo. Ergo in figura reginæ huius ecclesia uenit ex gentibus, & à finibus terræ, imponens finem cupiditatibus uitijsq; terrenis: ut audiret sapientiam Salomonis, id est, ueri pacifici Domini nostri Iesu Christi: qui fecit utraq; unum, soluens inimicitias inter Deum & hominem in carne sua. Venit post ueteres & prophanas superstitiones audire & discere de fidei illuminatione & iudicio futuro: de animæ immortalitate: de spe resurrectionis & gloriæ. Venit ergo in Hierusalem cum multo comitatu, id est, non iam cum una gente Iudęorum, sicut prius synagoga solos habuit Hebręos, sed totius mundi gentibus diuersisq; nationibus. Venit ergo exhibens munera digna Christo: aurum & gemmas preciosas, & hoc camelis portantibus, id est, ex gentili populo uenientibus, qui prius fuerant uitiorum fœditate distorti, & malorum onere curui, ac peccatorum prauitate deformes. Cum his tanq; muneribus regina hæc ingreditur ad pacificum regem Christum, exhibens fidei aurum, puritatis incensa preciosa, splendoresq; gemmarum, morum scilicet insignia & ornamenta uirtutum: & locuta est ei uniuersa quę habebat in corde suo, id est, aperuit ei cor suũ, manifestauit ei occulta conscientiæ suæ in confessione & pœnitudine præcedentium delictorum. Videamus quid agat hæc regina. Videns inquam regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensę eius, & holocausta quæ offerebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum. Quid erat rationis, ut præpotens regina domus expensas, & cibos regios tantopere miraretur? Ergo hoc loco aliqua maiora nos oportet inquirere. Vidit ergo ecclesia ex gentibus con

bus con

bus cōgregata sapientiā Christi, id est, post carnalia instituta gentilium, post humanam & animalem doctrinam philosophorum, accepit intellectum salutis, & uitæ inspexit spiritalium membra bonorum, agnouit uerum fabricatorem cœli & terræ, & pontentissimum humani generis condidorem, de cuius sapientia dicitur: Omnia in mensura & pondere & numero constituisti. Vidit & domum quam ædificauerat, id est, incarnationem hominis assumpti, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vidit & cibos mensæ Salomonis, id est, illos de quibus dominus dicebat: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui me misit patris. Cibus enim Christi est salus nostra: reficitur cœlestibus epulis, profectibus nostris. Cibus eius sumus, dum acquisiti Ecclesiæ in membra eius corpusq; transimus. Vel cibus eius altaris sacramenta cœlestia sunt, de quibus dicitur: Panem cœli dedit eis: panem angelorum manducauit homo. Vidit & holocausta eius: orationum sine dubio supplicationumq; mysteria: & obstupuit ubi uidit inæstimabiles diuitias domui sui. Dixitq; ad regem: Verus sermo est quem audieram in terra mea super sermonibus tuis & super sapientia tua: & nō credebam narrantibus, donec ipsa ueni & uidi occulis meis, & probaui, quòd media pars nunciata mihi non fuisset. Maiora sunt sapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui. Cum ergo peruenerit regina hæc siue Ecclesia siue quæcunq; anima sancta in æternam Hierusalem, id est, uisionem pacis, & ingressa fuerit beatam requiem & gloriam cœlestium promissorum, multò plura & magnificentiora perspiciet, quàm ei sunt in hac terrra per sacra eloquia, per prophetas atq; apostolos nunciata. Nunc enim tanq; in speculo & in ęnigmate, tunc autem oculis suis uidebit, id est, facie ad faciem. Tunc beata & illustris anima inter stupendas remuneratoris sui constituta diuitias, ineffabilibus reginæ huius uerbis uti ad Deum poterit, dicens: Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis: maiora sunt opera tua quàm rumor quem audiui. Et reuera id quod parat Deus diligentibus se, fide non comprehenditur, spe non tangitur, charitate non capitur, desideria & uota transgreditur. Aquiri potest, æstimari non potest. Habet de perceptione fructū, non habet de satietate fastidium: Ad quæ uos bona perducat, qui uiuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNVS IN FESTVM CATHOlicæ Ecclesiæ.

Adam de S. Victore.

QVàm dilecta tabernacula
Domini uirtutum: & atria.
Quàm electi architecti,
Tuta ædificia.
Quæ non mouent, imò fouent
Ventus, flumen, pluuia.
Quàm decora fundamenta,
Per concinna sacramenta
Vmbræ præcurrentia.
Latus Adæ dormientis

Euam fudit, in manentis
Copulæ primordia.
Arca ligno fabricata
Noë seruat gubernata
Per mundi diluuium.
Próle sera tandem foeta
Anus Sara ridet læta
Nostrum lactans gaudium.
Seruus bibit qui legatur:
Et camelus adaquatur
Ex Rebeccæ hydria.
Hæc in aures & armillas
Aptat sibi, ut per illas
Viro fiat cóngrua.
Synagoga supplantatur
A' Iacob, dum diuagatur
Nimis freta literæ.
Lippam Liam latent multa:
Quibus uidens Rachel fulta,
Pari nubit foedere.
In biuio tegens unda,
Germinos parit ex Iuda
Thamar diu uidua.
Hîc Moyses à puella
Dum se lauat, in fiscilla
Reperitur scirpea.
Hîc mas agnus immolatur,
Quo Israël satiatur:
Tinctus eius sanguine.
Hîc transitur rubens unda,
Ægyptios sub profunda
Obruens uoragine.
Hîc est urna manna plena,
Hîc mandata legis dena,
Sed in arca foederis,
Hîc sunt ædis ornamenta.
Hîc Aaron indumenta,
Quæ præcedit poderis.
Hîc Vrias uiduatur.
Bersabeæ sublimatur,
Sedis consors regiæ.
Hæc regis uarietate
Vestis astat deauratæ,
Sicut regum filiæ.
Huc uenit austri regina,
Salomonis quam diuina
Condit sapientia.
Hæc est nigra sed formosa,
Myrrhæ & thuris fumosa
Virga pigmentaria.
Hæc futura, quæ figura
Obumbrauit, reserauit
Nobis dies gratiæ.
Iam in lecto cum dilecto
Quiescamus, psallimus:
Assunt enim nuptiæ,
Quarum tonat initium
In tubis epulantium,
Et finis per psalterium.
Sponsum millena millia
Vna laudant melodia,
Sine fine dicentia: haleluia.

EX ANTHROPOLOGIA VOLAterrani.



Chillas Statius Alexandrinus scripsit de Leucippo & Clitophonte, aliáque amatoria: postea Christianus factus præsul eiusdem urbis ordinatur, omnimodam deinde historiam ædidit, aliáque complura.

Hadrianus Martyr sub Maximiano apud Nicomediam, cuius festum vj. Idus Septemb.

Heliodorus præsul Tricensis, quæ ciuitas est Thessalæ, tempore Theodosij, scripsit græcè Æthiopicam historiam.

Aliu'

Alius item Heliodorus presbyter, deinde præsul Altinensis.

Agatho Martyr sub Decio apud Alexandriam.

Agapetus puer xiij. annorum apud Preneste sub Aureliano principe passus.

Agricola & Vitalis eius seruus martyres sub Maximiano Bononiæ passi & sepulti à beato Ambrosio, qui eorum corpora diuinitus ei patefacta, in eadem urbe tumulauit, ut ipse testatur.

Alexis Romanus, quē Alexium uocant, filius Euphemiani magni uiri, Honorij Imp. tempore, nobilis adolescens, patrióq; unicus, diuino instigatus spiritu clàm relictis omnibus, atq; etiam uxore, quæ paulò ante ei pacta fuerat, Edessam Mesopotaniæ urbem petijt, ubi inter mendicos hominum misericordia uictitabat: post annos uerò xij. cum Laodiceam se conferre uellet, uento Ostiæ littus impulsus est. Mansit reliquum uitæ tempus ignotus peregrini habitu ac pauperis in domo paterna in Auentino, ubi nobile nunc ipsius cernitur templum &c.

Ansanus Romanus martyr Senensium patronus.

Anastasius martyr & monachus Persa genere, tempore Heraclij. Alter item monachus & confessor Ro. ecclesię: huius meminit Gregor. iij. Dialogorum

Anselmus præsul Cantuariensis, Normādus genere, ac monachus apud Anglos, magna doctrinæ fama temporibus Paschalis ij. pontif. & Henrici iij. Imper. circa salutis annos M. LVIII. scripsit &c.

Anselmus alius eodem ferè tempore præsul Lucensis, author ut Matildis Comitissa, quæ tunc Lucæ dominabatur, cœnobium S. Benedicti apud Mantuam ædificaret &c.

Aphrodisius pręsul Bituricēsis Petri discipulus, genere Ægyptius: iacet apud Bituriges.

Arsenius è stirpe senatoria, Honorij Imper. aulicus, ac beatæ uitæ cupidus, quū diuinitus audisset: Fuge, tace, & quiesce, ad cœnobiū properauit relictis omnibus &c. Fuit & alius Arsenius martyr sub Decio.

Artemius præfectus cum Candida uxore & Paulina filia, martyres sub Adriano, iacent in uia Aurelia. Hic Marcellinum prisbyterum & Petrum exorcistam in carcere custodiebat, à quibus & ipse Christianus factus, iugulatus postremo est, uxor autem & filia lapidibus obrutæ.

B.

Bassus martyr sub Decio, patria Nicenus, clauis ferreis confixus.

Bassianus martyr Syracus. sub Claudio.

Bibiana uirgo Romana & martyr sub Iuliano, quę unà cum parentibus martyrū corpora tumulabat: sepulta apud Palatium Lucianium.

Beda natione Anglicus, ob uitæ modestiam Venerabilis cognomentum adeptus: claruit sub Ioanne sexto pontifice. Cum Sarraceni ex

Aphrica soluentes Hispaniam inuaserunt: ex quo Beda literis principes ad eam recuperandam sollicitauit: Græcè latineq́ eruditus fuisse traditur. Scripsit in Actus Apostolorũ: in Lucam: ædidit & librum de temporibus, & Homilias quibus Gallici sacerdotes frequenter utuntur. Fratres habuit Strabonem & Aymonem doctos etiam uiros, quorum alter homilias quasdam non ineruditas, alter in Genesim scripsit. Depositum Bedæ Genuæ uisitur.

Bernardus abbas inter Burgundos nobili ortus genere anno ferè uigesimo secundo ætatis sub abbate Stephano qui tertius fuerat in cœnobio Cistertiensi: paulo ante instituto, unà cum xxx. socijs monachũ professus, doctrinæ, uitæq́ laudatæ fama adeo profecit, ut Claræuellensi cœnobio tunc primum Roberti uiri illustris impensa constructo, prępositus sit: Cui annos triginta sex pręfuit. Plura reliquit scripta: cõmentarios in Cantica: Consyderationes diuinæ contemplationis ad Eugenium pontificem. Vnde pontificij muneris ratio ducatur: Varias quoq́ epistolas, sermones &c̃.

Bonifacij uiri sancti plures: primus Romanus apud Tharsum Aglaes diuitis uiduæ res procurabat, cum qua rem habebat, ebrietate cæteris moribus infamis. Factus repente alius: martyrium sub Diocletiano subijt: relatusq́ deinde à seruis Romam, eiq́ templum in Auentino dicatum, quod & Alexio postea commune fuit. Alius Britannicus natione, præsul Moguntinus apud Phrisios: & ipse martyr, quòd iussu Stephani II. Pont. Pipinum Caroli patrem in regem oleo sacro perunxerit. Alius præsul Carthaginensis Zenone imperante. Alius præsul Ferentinas: ambo confessores. Quintus item martyr Bosnensis, Othonis tertij consanguineus.

Bonus presbyter Romanus simul cum Fausto & Mauro diaconis Romæ sub Valeriano passus: sepulti omnes in uia Latina.

C.

Cassius præsul Narniensis tempore Totilę, cui occurrens animum placauit, ne ciuibus noceret. Meminit huius Gregorius iij. Dialog.

Cassianus martyr apud forum Cornelij, ubi & iacet, & quo *uenerat* peregrinationis gratia, è Brixina urbe Germaniæ, cuius erat *ciuis &* præsul: quumq́ foro Cornelij doceret, iussu Iuliani, qui prohibuerat Christianos docere, stilis discipulorum confossus est. Alius Cassianus monachus, tempore Honorij ab hæretic. Hierosoly. eiectus Massiliam uenit, ubi duo condidit cœnobia: Scripsit.

Cassiodorus Rauennas præceptor Theodorici regis Gothorum, primum senator, deinde monachus factus, nonnullos scripsit Psalmorum locos apertius &c̃. Extant & eius epistolæ ad Theodoricum.

Celsus puer Gallicus ix. annorum, unà cum Nazario apud Mediolanum martyr sub Nerone.

Cyrilli duo, alter Alexandrinus præsul, qui scripsit contra Iulian. alter Hierosolymitanus, sepe expulsus & receptus tempore Theodosij.

Cyriaci duo, alter diaconus cum Smaragdo, Largo & Sisinnio, Marcello sedente, sub Diocletiano passi: qui Saturninum iam senem ad fodiendam arenam pro thermis damnatum, opera iuuarent. Sepulti in uia Salaria, translati in Ostiensem &c. Alter Cyriacus siue Quiriacus præsul Hierosolymitanus, sub Iuliano passus, deinde translatus Anconam. Is enim Iudas fuit, qui cum Helena Christi crucem repperit.

Cyrinus Romanus cum Basilide & Nabore sub Dioclet. passus.

Claudij martyres vij. diuersis in locis fuere, inter quos Claudius tribunus cum Hilaria uxore & filijs Mauro & Iasone, ac militibus lxx. à Chrysante & Daria instructus in fide, quibus ille custos adhibitus, à Numeriano Imperat. fuerat, sepulti in uia Salaria. Numerantur etiam tres Claudij apud Petrum de Natalibus.

Crispinus & Crispinianus ex urbe Roma Suessionem in Galliam profecti, peregrinationis gratia ex arte sua sutoria calceis pauperes iuuabant, multosq; ad fidem deducebant. Sub Maximiano deinde interfecti, templum etiam apud posteros in eadem urbe meruerunt.

Christophorus genere Iudæus, patria Cananæus: cum esset ingenti corpore ac nobilis, dominum quæritabat supremum. Cumq; diabolo humana specie deceptus seruisset, animaduertit quòd Saluatoris ille imaginem expauesceret: quapropter Christo ueluti maiori deinceps seruiuit, cuius causa ad fluuium quendam humeris peregrinos transuehebat, inter quos & Christus pueri specie fuit. Tandem & ipse adfectus martyrio occubuit.

Dionysij Areopag. socius Rusticus & Eleutherius: Suidas consentit illum esse, quem nos.

Euphrosyna apud Alexandriam uirgo nobilis: nuptias aufugit in quoddam cœnobium ubi pater degebat: ingnota habitu uirili, in quo perseuerauit usq; ad extremum, annos uidelicet xxxvj. In morte tantum se patri manifestauit, quæ se Smaragdum appellabat. Altera uirgo Romana & martyr in Domicilla dicitur. Aliam quoque uirginem ac martyrē nostri tradunt ex hac stirpe fuisse, Domitiani ex sorore neptem ac Aurelio Flauij Clementis Domitiani fratris filio pactam: quæ à Nereo & Archileo eunuchis & custodibus eius Petri discipuli ad fidem simul et uirginitatem seruandam deducta est, & à Clemente presbytero abluta: quare de eunuchis suppliciū sumptum, ipsa in Pontiam insulam missa: demum à uiro Terracinam reuocata, per Theodoram & Euphrosynam collectaneas nullo modo auerti potuit: sed illæ potius ad fidem ab ea conuersæ, ex quo omnes in uno cubiculo atq; eadē urbe crematæ.

Donatus grammaticus præceptor diui Hieronymi, scripsit artem quæ in manibus extat puerorum, quanq; in epitomen redactam. Commentarios

mentarios item in Terentium & Virgilium ædidit. Donatus à quo Donatiani sub Constante & Constantino principibus, asseuerabat à nostris scripturas in persecutione ethnicis traditas, totamq́; penè Aphricem ac Iudæam sua persuasione decepit: reliquit scripta ad suam sectam facientia. Hieronymus.

Donatus item martyr præsul Arretinus, sub Iuliano principe: quē parentibus ob fidem interfectis ipse Arretinum aufugit unà cum Hilariano monacho uiro sancto, simulq́; securi percussus, atq; in eodem loco sepultus est. Sunt & plures alij huius nominis martyres.

Numerat unà ad supplicium sub Nerone, Dorotheam, Euphemiam, Teclam & Erasinam uirgines.

Hiacynthus & Protus eunuchi Eugeniæ filiæ Philippi præfecti, sub Maximiano martyres, cum ea sepulti in cœmiterio Priscillæ. Alter iugulatus apud Terracinam.

Ianuarius præsul Beneuentanus, martyr sub Dioclet. unà cum Acacio, Desyderio, Proculo & Festo socijs, apud urbem Puteolos.

Hippolitus Romanus martyr, discipulus Laurentij, sub Decio principe, ductus extra portam Tiburtinam, & equis indomitis alligatus atq; discerptus, primi Hippoliti fatū felicius ac sanctius imitatus est.

Iphigenia uirgo sancta, filia regis Ægypti prædicatur, ab Apostolo Matthæo facta Christiana, quæ cœnobium Virginum instituit.

Iulia comes Eulaliæ martyris, sub præside Daciano capite truncata apud Barcinonem. Item alia Iulia martyr. Item tres.

Iustinas duas martyres uirgines. Altera Patauina genere & nomine, Vitiliani regis filia, à S. Prodocino præsule Patauino Christiana facta: deinde sub Maximiano gladio transfixa. Cuius Paduæ uenerabile templum & eius nomine congregatio. Altera Antiochena gladio etiam petita, unà cum Cypriano præsule Antiocheno, Romam deinde translata, postremo Placentiam, ubi nunc requiescit.

Longinus miles simul cum Megisto & Acesto ad Christi fidem inductus à Paulo Apostolo ad supplicium proficiscente. Ante hunc dicitur & ex militibus unus extitisse, qui Iesum crucifixum hasta percussit, & ob signa & prodigia subsecuta Christianus factus, postremo martyr. Habeo autorem qui dicat hoc nomen ab illius officio græce uocatum fuisse, ob hæc uerba, ἀλλ᾽ ἐις τῶν στρατίων λόγχη ἀυτῶν τὴν πλευράν ἔνυξε. qui pro Lonche, id est, hasta Longinum putent dictum. Hic est quem Mantuæ sepultum esse dicunt, quo sanguinem ille dominicum ex humo delectum tulerat.

Lucianus presbyter & martyr, Apostolorū discipulus, in Galliam unà cum Dionysio missus, & ab eodem Beluacensis præsul factus. Lucianus alter uir disertissimus, presbyter Antiochenus, scriptor &c.

Marcia uirgo & martyr cum Ruffino apud Syracusas. Alia apud Nicomediam cum plurimis alijs.

Martini

Martini martyres plures, unus apud Atinam ciuitatem simul cum Nicandro, ubi etiam quiescit, sub Diocletiano. Alius cum Aquilino & Gemino in Aphrica in persecutione Vandalica. Alius præsul Terdonensis sub Adriano.

Martiana uirgo & martyr sub Diocletiano apud Cæsaream.

Martiales plures martyres &c.

Margarita uirgo Antiochena in patria sub Olibrio præfecto post multa supplicia, capite truncatur, annorum xv. ibidemque sepulta.

Menius præsul Catalaunensis, à Petro institutus, & cum Dionysio iu Galliam missus.

Menas uir Ægyptius & martyr sub Diocletiano in Phrygiæ partibus, ubi sub Agricolao duce merebat.

Modestus & Amonius infantes martyres Alexandriæ sub Diocletiano.

Pantaleon apud Nicomediam patriam sub Maximiano martyr, Christianus ab Hermolao presbytero Nicomediense factus.

Patricius præsul apud Scotos, regem Scotorum ad fidem reduxit.

Petronilla Petri Apostoli filia uirgo, Romæ decessit & iacet. Huic febricitanti, cur non succurreret, sicut alijs, interrogatus Petrus, respondit: Hoc ei præstare.

Pudens senator Rom. sub Anthonino Imperatore à Pio pontifice cum tota domo Christianus factus. Filios habuit Pudentianam, Praxedem, & Nouatum, omnes inter sanctos unà cum patre relatos. Hæ sorores post mortem parentum ex eorum facultatibus sanctis ministrabant, martyres sepeliebant &c.

Lucretia Christiana, uirgo Hispana & martyr apud Emeritam Hispaniæ ciuitatem sub præside Datiano Maximiani tempore passa est.

Romanus nomine ac patria, arte miles, à Laurentio deductus ad fidem, quem in custodia iussu Imperatoris Decij seruabat, martyr & ipse sub eodem: sepultus in agri Verani crypta.

Rufinus & Valerius martyres apud Suessiones sub Maximiano.

Rufina & Secunda uirgines, patre Asterio, & matre Aurelia, martyres sub Valeriano.

Sabinus martyr ac præsul apud Assisium unà cum Exuperantio & Marcello diaconis sub Diocletiano.

Symphorosa uxor Getulij martyris, filios Tibure sub Adriano martyres lęta conspexit, stipitibus per membra uarijs modis transfixos, quorum nomina Crescens, Iulianus, Nemesius, Primitius, Iustinus, Stacteus, Eugenius: Sepulti uia Tiburtina ix. ab urbe miliario. Parem filiorum numerum Felicitas Romana matrona in hac palma sub Anthonino uidit: Ianuarium, Felicem, Philippum, Syluanum, Alexandrium, Vitalem, Martialem, uarijs necatos supplicijs. Syluanus etiã de alta

trepidine præcipitatus, quos paulopost mater etiam martyrio secuta est. Sepulti Romæ omnes. Idem quoque Dormientium numerus legitur fuisse Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion & Constantius, Hi namq; socij apud Ephesum Parthenius & Calocerus, eunuchi Tryphoniæ uxoris Decij Imperatoris, martyres sub eodem principe.

Saturninus martyr sub Maximiano, damnatus ad extruendas thermas Diocletianas, fodiendamq; arenam.

Tecla uirgo & martyr apud Iconium sub Nerone, Pauli Apostoli discipula.

Theodulus martyr, qui Imp. Iuliano sub Amachio prefecto minoris Asiæ passus est. Quem dicunt illud, dum ureretur pronunciasse: Volue igitur si uis, degustare iam coctum. Hæc Suidas.

Thryphon, Respicius, & Nympha uirgo in Saxonia sub Decio martyres. Prior enim anseres pascebat, cuius exemplo Respicius tribunus militum, et deinde Nympha uestalis permoti sunt. Tryphonia uxor ipsius Decij ponitur & in hac palma.

Valerij sancti uiri, duo præsules non prætereundi: alter Cæsaraugustanus & ciuis & episcopus, Maximiani tempore sub Datiano præside, una cum Vincentio martyre captus. Alter præsul Hipponensis fuit, cui successit Augustinus. Est & Valeria uirgo & martyr in Aphrica cũ Cornelia item uirgine. Altera Valeria martyr uxor S. Vitalis.

Valerianus præsul in Aphrica martyr sub Genserico rege.

Victoria uirgo Trebulana & martyr in patria sub Decio.

Vrsitinus martyr apud Rauennam sub Nerone.

Sophia mater fœliciss. tres filias, Fidem, Spem & Charitatem sub, Adriano pro Christi nomine iugulatas alacriter uidit sepeliuitq; xviij. ab urbe miliario. Iacob Perganeñ scribit uocatas eas græcè, Elpis, Pisis, Agape: Et uult templum Sophiæ Constantinopoli uocatum ab hac Sophia.

Simon puer Tridentinus sub Sixto iiij. die Veneris à Iudæis clàm, comprehensus, & omnibus cruciatibus prius adfectus, demum cruci affixus est. Ex quo templum ei ueluti martyri dicatum.

Syluanus Troadis præsul Maximiani tempore Rhetor, ab initio Troili Sophistæ discipulus, Christianus uitã monachi dilexit &c. li. xix.

S. PROTASIVS ET GERuasius Marty. Mediola.

Ex lib. S. Ambrosij



HESTERNO tractaui Versiculum, Dies diei eructat uerbum, prout nostri tulit caput ingenij, hodie mihi non solum superiore tempore, Sed præsenti quoq; prophetasse uidetur scriptura diuina. Nam cum diebus ac noctibus con

bus cōtinuatam uideā sanctitatis uestræ celebritatem, istos esse dies prophetici carminis, oracula declarare hesternum atque hodiernum, de quibus oportunissime dicitur: Dies diei eructat, uerbum, & istas noctes de quibus aptissime disputatur, quia nox nocti indicat Scientiam. Quid enim aliud hoc biduo nisi uerbum dei intimo eructastis affectu, & scientiam uos habere fidei probauistis? Cui tamen celebritati uestræ qui solent, inuident. Et quia celebritatem uestram inuidis animis ferre non possunt, causam celebretatis odore, atq; amentiæ in tantum prodeunt, ut negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones cōfitentur. Sed hoc non mirum. Siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli confessio. Dicebat enim diabolus: Iesu fili dei uiui quid uenisti ante tempus torquere nos? Et cum hæc audirent Iudæi, ipsi tamen dei filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones & confitentes martyribus quod pæuas ferre non possint, & dicentes: Quid uenistis ut ante tempus nos tam grauiter torqueatis. Et Arriani dicunt: Non sunt isti martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta dæmouum ipsorum uoce probentur, & beneficia martyrum, remedijs cæcorum, & absolutorum indicijs declarentur. Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat, se sanatum. Ille dicit: Video qui non uidebam. Ille dicit: cæcus esse desiui, & probat facto. Isti beneficium negant factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cum ualeret mancipatus obsequijs, Seuerus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines quorum ante sustentabatur obsequijs. Eos indices suæ uisitationis accersit, quos habebat testes & arbitros cæcitatis. Clamat, quia ut contigit frimbriam de ueste martyrum, qua sacræ reliquiæ uestiuntur, redditum sibi lumen sit. Nonne simile illud est, atq; illud quod in Euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus autoris, nec interest utrum opus sit an munus, cum et muneret in opere, & operetur in munere. Quod enim alijs faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eius operatur. Legimus ergo in Euangelio, Iudæos cum uiderent in illo cæco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium. Interrogabant quomodo uidet filius uester, cum ille diceret, cæcus cum essem, modo uideo. Hoc & iste dicit: Cæcus fui & modo uideo, Interrogate alios si mihi non creditis, interrogate ex traneos, ne astipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum quàm Iudæorum pertinacia. Illi cum dubitarent, uel parentes interrogabant, Iste occulte interrogant, palam negant, iam non operi increduli, Sed autori. Sed quæro qui non credant, utrum à martyribus possint aliqui uisitari, hoc est Christo non credere, Ipse enim dixit: Et maiora his facietis: an ab istis martyribus quorum merita iamdudum uigent corpora, dudum reperta sunt. Quæro hic, utrum mihi an sanctis martyribus inuideant? Si mihi,

nunquid à me aliquę uirtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi in uident quod meum nō est? Si martyribus, restat enim ut si mihi non inuident, martyribus inuideantur, ostendunt alterius fidei fuisse martyres, quàm ipsi credunt. Neq; enim aliter eorum operibus inuiderent, nisi fidem in his fuisse eam quam isti non habent iudicarent. Fidem illam maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt, sed Arriani negant. Audiuimus hodie dicentes eos quibus manus imponebatur, neminem posse esse saluum, qui patrem & filium, & spiritum sanctum negaret, qui trinitatis omnipotentem uirtutem nō crederet. Confitetur hoc diabolus. Sed Arriani nolunt fateri. Dicit enim diabolus, sic torqueatur quemadmodum ipse à martyribus torquebatur qui spiritus sancti deitatem negarit. Non accipio à diabolo testimonium, sed confessionem. Inuitus dixit diadolus, sed exactus & tortus. Quod nequitia supprimit, extorquet iniuria, cedit diabolus plagis, & ad huc cedere nesciunt Arriani. Quanta perpessi sunt, & quemadmodum Pharao malis suis indurantur. Dicebat diabolus, ut scriptum legimus, Scio te quis sis. Tu es filius dei uiui. Dicebant Iudæi: Nescimus quis sit. Dicebant hodie & superiore die uel nocte dæmones, Scimus quia martyres estis, Et Arriani dicunt: Nescimus: Nolumus intelligere, noluimus credere. Dicunt dæmones martyribus: uenistis perdere nos. Arriani dicunt, Non sunt dæmonum uera tormenta, sed ficta & composita ludibria. Audiui multa componi, hoc nemo unquàm fingere ponit, ut dæmoniacum se esse simularet. Quid illud quod ita exagitari eos uidemus, quibus manus imponitur, ubi hic locus fraudi est, ubi suspitio simulandi, sed non ego ad suffragium martyrum usurpo uocem dæmoniorum. Beneficijs sacra passio suis comprobetur. Habet iudices sed purgatos, habet testes, sed absolutos. Melior uox est quam sanitas loquitur eorum qui debiles aduenerunt. Melior uox est quam sanguis emittit. Habet enim sanguis. Vocem canoram quæ de terris ad cælum peruenit. Legistis dicente domino: Sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic sanguis clamat coloris indicio: Sanguis clamat operationis præconio: Sanguis clamat passionis triumpho. Satis factum est petitioni uestræ, ut cōdendas hesterno in hodiernum diem differremus reliquias.

S. GREGORIVS NAZIanzenus Thel. & Episco.

Bilibaldus Byrckheymer



INCIPIAM Vnde incipere est cōuenientissimum, nempe à patria illius, quæ ciuitas fuit Nazianzensis, inter cappadoces dignitate secunda: quę tanti uiri natiuitate adeo est illustrata, ut ad ultimos orbis fines per eum sit cognita, siquidem nequaquam pella per Alexandrum adeo splendida est facta, nec Persæ per Cyrum tam uehemen-

ter sunt

ter sunt exaltati, quanquantum. Nazianzum per Gregorium, quod oppidum iuxta meam opinionem, propter uiri tanti uirtutes, ex diametro inter Indos & Britannos est situm, quo utrinque redderetur insigne. Parentes autem eius generosi fuere & iusti, magisque animarum quam corporum puritate in separabiles, exquibus pater, tanquam alius Abraham paternam reliquit terram & idola, peregrinatusque est ad religionem, siquidē deposita infelicitate, & abiecto Hypsistariorum errore, legitimus gratiæ factus est mystes: primo quidem ouis, deinde ob summam eruditionem in Nazianzensis etiam ecclesiæ assumptus est pastorem. Matrem uero sortitus est sanctam, & ex sanctis maioribus ortam, quæ inter cætera pietatem quoque hereditario quasi iure acquisiuit. Sanè quum iam ad pubertatem peruenisset, ac eloquentiæ teneretur desiderio. Cęsaream perrexit, ubi & cū optimis conuersatus, est præceptoribus, doctrinamque hanc paruam est adeptus, hinc in Palæstinam nauigauit, ut ibi rhetoricæ operam daret, quo & eloquentia excellere, & hominum illorum mores perdiscere ualeret, inde Alexandriam perrexit, et ad Pharum, ita ut multas ciuitates uideret, & multorum hominum prudentiam, pro sapientia acquirenda addisceret: quemadmodum ex sapientibus quidam inquit, quumque plurimum utilitatis ibi fuisset consecutus, ad matrem sermonum Athenas naue Æginetica transfretauit. Quum uero non multum effluxisset temporis, uenit Athenas à Byzantio Basilius magnus, eiusdē doctrinæ causa, Sodales igitur & contubernales sunt facti proinde corpora à iuuentute omni exercuerunt abstinentia, contenti necessarijs, Heliæ instar & Ioannis, qui ex arborum uiuebant fructibus: quæ uero ad uentris delicias, nec non ad gulæ pertinerent irritamenta, penitus contempserunt, uoluptatesque longe ualere iusserunt, quid autem de castitate dicam? quam in omni uita pure ac illibate deo conseruarunt, ita ut minus redargui possent, quàm xenocrates ille & Polemon: Porro honestis tantum incumbebant studijs, siquidem in Grammatica nihil eos latebat, ex Rhetorica autem solum modo eloquentiæ decerpebant florem, reliquas uero nugas dimittebant. Philosophiam autem moralem &c. Primum igitur diuinum suscepit Baptismum, cuius uirtute iam antea erat illuminatus, terminumque sibi ipsi statuit, ne unquàm iuraret, donec in hac uita ageret, quem etiam ad finem usque seruauit. Sæpius igitur Christum manifeste in somno uidit, nec non in meditatione nocturna, & hanc retributionem pro illa accepit puritate, nam ut liber inquit sacer, Beati puri corde, quoniam deum uidebunt, siquidem illum purū uocat dominus. qui instar Gregorij magni ciuitates, forum, theatra, sophistarum fastum, principum arrogantiam, iudicum citationes, litigantium contentiones, rhetorum nugas, furum insidias, mercatorum insacrabilitatem, cauponum periuria, diuitum superbiam, inopum maleficia, satietatem nauseantem, ebrietatem petulantem, gloriam labilem; uestes præciosas, uasa ex

argento & auro elaborata, domus picturis & marmorum crustis ac lapillis sumptuose exornatas, nec non alia cuncta derelinquit, quoniam puras mentes perturbare solent, quo minus purissimo lumini concedatur ingressus, & hæc noster egit Gregorius, quum adhuc in flore iuuentutis esset constitutus, postquam autem pater filium ad sacerdotium promouisset, ac in presbyterum elegisset, uixq; eum & uix ad sententiam suã perduxisset. Interea res accidit talis: quum hęresis Ariana, per spiritus malitiæ ecclesiam infestaret, multi ciuitatũ episcopi in exilium sunt pulsi, ac multipliciter tam ui quam calumnijs agitati, sacerdotes uero & populi multitudo ita affligebantur, ut congregationes suas sub æthere facere cogerentur, non enim domus habebant in quibus orarent, neq; contra leges & iustitiam impijs communicare uolebant, quum hæresis omnes ferè terrarum occupasset fines, manu ac impietate regia audaciam sortita. Quum autem pater eius Gregorius (ita enim & ipse uocabatur) uitã cum morte permutasset, ipse patrem oratione honorauit funebri, nam deo acceptam matrẽ. Nonnam adhuc uiuentem laudauerat, pie ac sancte faciens, & quemadmodum patris & matris, nec non Christi amatorem decebat, curam igitur eius in uiduitate constitutæ gessit, quum in senectute longæua auxilio egeret & quiete. Verum post eius obitum, ecclesia excessit, ac seleuciã est profectus, ibiq; apud uirginum Sancte Teclæ domicilium habitauit, tempus tribuens, ut episcopus aliquis Nazianzo præficeretur. Basilius domos ædificauit ingentes, ex prouentibusq; quos ab opulentioribus colligebat, inopes alebat, illos enim sermonibus prudentibus ad distributionem hortabatur, ac omnes debiles ad domus illas, quas pauperum uocabat receptacula, colligebat, reperit autem ecclesiam tanquam nauis malum in monte erectum, uel sicut uiæ, signum in colle, ut propheticæ loquar, constitutum, exiguam, attenuatam, & delitescentem, ac per uim omni loquendi libertate priuatam.
Sacras uero domus cunctas dereptas & ui occupatas, adeo ut sola Anastasia sancta, orthodoxis esset relicta, forsitan quia tum propter ambitus contempta esset Augustiam, quemadmodum norunt ij. qui templũ uiderunt antiquum. Quũ igitur discipuli, Apollinaris assidue populi aures obtunderent, & sancti patris accusarent facta, præualuit tandem calumnia, gutta enim assidue distillans, saxum etiam tandem excauat, & quia talia multorum auditu sublimiora erant, qui nequaquam despensationis profunditatem intelligere poterant, lupis credebatur, pastor autem qui ueritatem docebat, suspicioni obnoxius erat, qui igitur pro Apollinaris pugnabant opinione, tanquam apri Syluestres, quũ iam pridem iram accuissent, perturbationemq; & calumniam, quæ Gregorio ex Apollinarij opinionum censoribus concitabantur, in auxilium sumpsissent, populum ementitis concitarunt sermonibus, ut uirum, quemadmodum olim Iudæi Stephanum lapidarent, nisi quod ictibus aberrarunt,

runt, quum deus suum protegeret propugnatorem, comprehendentes autem illum tanquam seditiosum quendam, & pacis turbatorem, ad cõsulis pertraxerunt tribunal; Proh impudentia, proh mendacij uiolentia. Gregorius de talibus iudicatur, qui alienæ iræ & turbationis mitissimus erat medicus, qui pacis erat dispensator, qui Christi erat discipulus, clementis illius & humilis, & qui mansuetudinem lege statuisset, at ipse quãuis talibus oppressus esset difficultatibus, solummodo hæc in ore habuit, propter nomen tuum Christe, etiam si ambulauero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es, mox sine uerberibus & supplicio est dimissus, martyr absq; corporis afflictione, & sine tibicibus coronatus. Cæterum in omni doctrinarum genere, præcipue uero Theologica profunditate, tantũ eminuit, ut licet tempore multo, multi extitissent uiri in Theologica sapientia præstantissimi, famaq; & nominis celebritate clarissimi, solus tamen iste, post Ioannem Euangelistam Theologi nomine sit insignitus, appellationemq; hanc tanquam præcipuam sortitus. Gregorius autem clerum & populi conuocauit præcipuos, ipsosq; adhortatus est, ut fidei custodirent depositũ, & dei mandata seruarent. Deinde illis ualedixit, & quum omnibus lachrymarum fontem excussisset ab urbe discessit, contulit autem se ad agrum Arianzum, quem ex hæreditate paterna in Capadocia possidebat. Tandem necessarium duxit, quum post regressionem suam in Arianzo quiesceret, ac à negocijs feriatus ocium ageret, ut & ipse carmina scriberet. Vnde mihi plurima argumenti deprehenditur materia. Dehinc per aliquod quieuit, philosophia uitam expurgans, quumq; iam contemplationi maiori immersus esset, fragilem hanc uitam, cum conditione meliori & sublimiori in multa permutauit senectute; cuius hic uix simulachrum aliquod deprehenderat.

S. ADELBERTVS SEV ALbertus Episcopus.



SOLICITE disquirenti mihi, duo Adelberti (præter illum uulgo notum Scriptorem Parisiensem, Præsulem Ratisbonensem, in Sueuia natum, Coloniæ sepultum) diuersis in libris occurrerunt, quorum alter discipulus fuerat Ecberti in Phrysia defuncti, alter Pragensis Præsul, in Polonia martyrij laurea condecoratus. Hic floruit ante annos fermè 600, Ille uero ante 700. De priore scripsit Roggerus Fuldensis ante 400. annos. De posteriore autem nuper Equilinus Venetus, de utroq; habet ne unum quidem uerbum (quod demiror) historia Lombardica, Ratisbonensis omnibus in ore est propter Theologiam istam Sorbonicam, in qua Sueuus ille longe præcelluit. Reliquorum duorum uix ulla apud plerosq; mentio. Ipse sepulchrum S. Adelberti Martyris in templo primario Pragæ admirabundus uidi.

Honorem inusitatum adhuc Bohemi suo illi diuo habent, quemadmodum Venceslao quoque & Ludimillæ, quæ fœmina Episcopi Methodij doctrina Christo lucrifacta fuit. Prior Adelbertus ætate Pipini Francorum ducis uixisse, & in Hibernia Ecbertum Ecclesiæ doctorem una cum alijs Anglis ac Scotis audiuisse memoratur. Vnde ad prædicandum uerbum Dei incredulis gentibus una cum Vuigberto & Vuillibrordo presbyteris missus, mirandum in modum auxit Ecclesiasticum ubique gregem. Fertur admirabili quadam morum suauitate, ingeniique lenitate fuisse Adelbertus, & illud in primis studuisse, ut doctrinæ parem uitam exigeret, in medio Nationis prauæ; Euangelizarat primum exteris, deinde per occasionem suis quoque conterraneis, à quibus ubi suo fuisset officio perfunctus, ad exteros inuictus concionator rediit. Quando autem libitum fuit domino, atque uir ille spiritu sapientiæ repletus, bonis operibus ornatus, dissolutionis cupientissimus, certamē suum egregie consummasset, in Phrysia apud Eggo suum dulcissimum amicum, animam in pace Deo reddidit, tumulato corpori miraculorum uirtute diuinitus relicta. Cæterū posterior Adelbertus Selauus, à Parthenopolitano Episcopo liberaliter educatus, deinde Imperatoris. Othonis I. filiorum pædagogus, Post, ex aulico miles Cæsareus, rem bellicam strenue gessit. Postremo prodigiose in Pragensem Episcopum electus, ab obitu uidelicet Ditimari primi ibidem Præsulis, diuinis operibus uacabat, ac prædicationi iugiter insistebat. Hæc enim Equilini uerba sunt, uerum uehementer offensus incorrigibilibus Bohemorum uitijs, episcopa deserta, concilij capiundi gratia Romam accessit. Mox montem Cassinum inuisens, Monachisimum amplectebatur, facultatibus in Egenorum manus dispersis. Solitarium uero ac sibi Deoque tantum uiuentem Pontifex Leo viij. non ferens, ut Bohemiam suam repeteret, monuit. Gessit illi quidem morem Adelbertus, sed denuò pristinorum flagitiorū turpitudine fugatus, assumpto Gaudentio fratre, in Poloniam & Hungariam properauit, illisque populis Euangelium adnuncians, tandem ab impio Pagano lancea transfoditur. Alibi lego Stephanū Hungariæ regem ab hoc uiro fidem Christi Iesu edoctum, sacrum accepisse baptisma. Eius corpus Pragam translatum, hactenus ab hostium infestatione tutum quiescit.

S. VVOLPHGANGVS
Episcopus.



ORTVS in Germania nostra, Christum crucifixum ab ipsis incunabilis mirifice sitiuit, Mundum præstigiosum fastidijt. Vitæ se, sacerdos primum existens, Monasticæ addixit, ut minus peccans, maiorem operam deo colendo nauare posset. Verum oraculo quodam noctu monitus, ac auulsus à cœnobio, apud Noricos Euangeli-

zare

zare cœpit, idq; ad ipsos usq; pannoniæ fines. Assueuerat in primis annis, quum apud archiepiscopos Coloniensem & Treuerensem, uitam aliquantum per egisset, docendi laboribus. Quo factum, ut Ottone secundo & Pilgrino Patauiensi episcopo uolente ac urgente, præsunt Ratisbonensis crearetur. Sed mirum dictu, quantopere Vuolfgangus eam administrandi prouinciam suscipere recusarit, uereri se dictitans, ne non esset uoluntas dei, quæ istorum esset hominum uoluntas, præterea, multos religiones prætextu ad uitia prolabi. Tandē Pilgrini hortatur crebro uictus Vuolfgangus dixisse fertur. Ecce seruus domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Rara modestia Monachus, post episcopus summa pietate. De iacto bipenni fabulam perridiculam, nuspiam legi. Vixit circa Anno domini M.

DIES SACROSANCTIS. Paschatis.

Ex S. Hieron.



EXVLTA cœlum, & in lætitia esto terra: dies iste amplius nobis ex sepulchro radiauit quàm de sole refulsit. Ouet infernus, quia resolutus est: gaudeat, quia uisitatus est: resultet, quia ignotam lucem post secula longa uidit, & in profundæ noctis caligine respirauit. O pulchra lux quæ de candido cæli fastigio promicasti: & interfluenta purpurea sedentes in tenebris, & in umbra mortis subita claritate uestisti. Confestim igitur æterna nox infernorum Christo descendente resplenduit: siluit stridor ille lugentium, dirupta ceciderunt uincula damnatorum: attonitæ mentes obstupuere tortorum: omnis simul officina impia contremuit, cum Christum repente in suis sedibus uidit. Mox igitur ferruginei ianitores descendēte Christo, talia inter se cæci per umbrosa silentia cum umbra submurmurant. Qui suam est iste terribilis, & miro splendore coruscus. Nunquam talem noster excepit tartarus. Nunquam in nostra cauerna talem euomuit mundus, inuasor est iste, non debitor, & factor est non precator, iudicem uidemus, non supplicem, pugnare uenit, non succumbere, eripere, non manere.

PRAECONIVM MARIAE DEI PARAE VIRGInis, ex antiquissimis Ecclesiæ Patribus congestum.



DE Maria sacratissima Dei ancilla Nonus Panopolitanus in his uerbis est: Virgo Dei para, Christi mater, uirgo, inquam, Regem Christum filium progenerans, cubilis uiri fugitans, semper uirginitatis florem illibatum conseruans, &c. Hieronymus supra Epistolam ad Titum: Nobilis seruitus, de qua & Dauid ad deum loquitur:

Ego

Ego seruus tuus, & filius Ancillæ tuæ. Et beata Maria ad Angelũ: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Hanc seruitutem habuit & Moyses, &c. Idem supra Ephesios, de Maria sic: Gloria Dei illuminans suo fulgore mundum, templum sibi de utero uirginali fabricata est. Idem supra Galathas, de Maria matre Dei, in hanc sententiam scribit: Quòd aũt sanctã & beatã matrẽ Domini mulierem, non uirginem nominauit Paulus, hoc idem & in Euangelio κατὰ μαθθαῖον scriptum est, quando uxor appellatur Ioseph, & ab ipso Domino, quasi mulier increpatur. Non enim necesse erat, semper quasi cautè & timidè uirginem dicere, cum mulier, sexũ magis significet, quàm copulam uiri, & secundum intelligentiam græcitatis γυνὴ tam uxor, quàm mulier ualeat interpretari, &c. Idem supra Matth. xxvij. Potest autem & nouum sepulchrum Mariæ uirginalẽ uterum demonstrare, saxumq; ostio appositũ, & saxum magnũ ostendere, absq; auxilio plurimorũ sepulchrũ non potuisse reserari, &c. Rursum D. Hieronymus contra Heluid. Si cui autem scrupulus commouetur, quare desponsata, & non potius sine sponso (siue, ut scriptura appellat, marito) uirgo conceperit, sciat triplicem fuisse rationem: Primò, ut per genealogiã Ioseph, cui Maria cognata erat, origo quoq; Mariæ monstraretur. Secundò, ne iuxta legem Moysi, ut adultera lapidaretur à populo. Tertiò, ut ad AEgyptum fugiens, haberet solatium custodis potius, quàm mariti, &c. Idem ibidem de Maria: Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularũ sedulitas intercessit, ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa & mater & obstetrix fuit. Iterum D. Hieronymus contra Iouinia. lib. I. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Quòd clausum est atq; signatum, similitudinem habet matris Domini, matris & uirginis. Vnde et in sepulchro Saluatoris nouo, quod in petra purissima fuerat excisum, nec antea, nec postea quisquam positus est: Et tamen hæc uirgo perpetua, multarum est mater uirginum. Facit item Hieronymus Mariam illam nostram, fontem irrigatum, portam orientalem, portam Ezechielis clausam, Prophetissam de radice Iessæ, non habentem fruticem cohærentem, cuius uirginitas ineffabilis, quia Christo de terra inuia, &c. Idem Ecclesiæ doctor ad Lætam de institutione filiæ: Imitetur Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo repperit, & ideò forsitan timore perterrita est, quia uirum, quem non solebat, aspexit. De uirgineo Mariæ partu, uide, cum alibi apud Hieronymum, tum supra Micheam, capite. v. Ad principiam uirginem ita quoq; Hieronymus: Nam & sancta maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur. Ad Fabiolam sic memoriæ tradidit: Nec mirum, si in illo numeri quadragenarij sacramento perueniamus ad regna coelorum sub quo Dominus atq; Saluator à primo Patriarcha peruenit ad uirginem mariam, quasi ad Iordanem, quæ pleno gurgite fluens, spiritus san

cti gratijs redundabat, &c. De sancta Maria diuus Augustinus, in Ser. vj. Natal. domini: Nonne in figura Mariæ, typum uidemus esse sanctæ Ecclesiæ? Ad hanc utique sanctus descendit spiritus, huic uirtus obumbrauit Altissimi, hinc potens uirtute Christus egreditur. Hæc est immaculata concubitu, fœcunda partu, uirgo & casta perpetuò, hæc cõcepit, non uiro, sed spiritu: hæc parit, non dolore, sed gaudio. &c. D. Ambrosius de Maria. lib. I. Offic. cap. xviij. Pudor primus in ipso cognitionis ingressu, matrem Domini Mariam cõmendat legentibus, & tanquàm testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur, astruit, quòd in cubiculo, quot sola, quot salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu eius, quòd ad uirilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus uirginis. Itaque quàmuis esset humilis, præ uerecundia tamen non resalutauit: nec ullum responsum rettulit, nisi ubi de suscipienda domini generatione cognouit, ut qualitatem effectus disceret, non ut sermonem refelleret, &c. Idem Ambrosius lib. ij. de uirginitate, uitam beatissimæ Mariæ matris & uirginis, breuibus sic perstringit: Sit igitur uobis tanquàm in imagine descripta uirginitas uitaque beatæ Mariæ, de qua, uelut speculo, refulget species castitatis, & forma uirtutis. Hinc sumatis licet exempla uiuendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus descende ardor, Nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Nam de cæteris eius uirtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu, syncerum adulteraret affectum. Corde humilis, uerbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens. Intenta operi, uerecunda sermone, arbitrũ mentis solita non hominem, sed Deum quærere. Non lædere reos, benè uelle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare uirtutem. Quando ista uultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando uitauit inopem, eos solos solita cætos uirorũ inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret uerecundia? Nihil toruum in oculis, nihil in uerbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non uox petulantior: ut ipsa corporis species simulachrum fuerit mẽtis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso uestibulo debet agnosci ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum, ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita, foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse? illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos

ieiunio

ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset uoluntas, cibus plerunque obuius, qui mortem arceret, non delitias ministraret. Dormire non prius cupiditas quàm necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, uigilaret animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prenunciat. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quàm seipsa, quae incessu affectuque uenerabilis, non tam uestigium pedis tolleret, quàm gradum uirtutis attolleret: & tamen alios habeat uirgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quae uirtutes magistras habet, quia quicquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à plurimis moueretur, sic implebat omnia uirtutis officia, ut non tam disceret quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus repperit, talem spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei praedicauerint, quae digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur? Haec ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites foeminas desiderabat, quae bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola uidebatur, cum sola esset. Nam quemadmodũ sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetae? Denique & Gabriel eam ubi reuisere solebat inuenit, & angelum Maria quasi uiri specie mota, trepida, quasi non incognitum, audito nomine recognouit, &c. Haec est imago uirginitatis. Talis enim fuit Maria, ut eius unius uita omnium disciplina sit. De eadem Deipara Maria semper uirgine diuus Cyprianus in Sermon. de Natiuitate Christi, sic concionatur: Veniunt in Bethlehem, quem praedixit Gabriel, inuenitur Emanuel, ciuitas parua, domus paupercula, suppellex exigua. Nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo, mater in foeno, filius in praesepio: tale elegit fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delicias sacrae uirginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciuiae congeruntur, genetrix est obstetrix, & deuotam dilectae soboli exhibet diem telam: attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio, nullus dolus, nulla naturę contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis & inops mensa excludit. Nullum domus arcta diuersorium occultabat, nec secreti recessus erãt illius casulae, in castraturam tectum, & soli parietes per circuitum uestiebant. Nec locus ibi erat lauacris, quae solent puerperis praeparari, quippe nec aliqua naturae iniuria matrem domini laeserat: quoniam sine tormento peperit, quae in conceptione caruit uoluptate: & tamen consuetudinem sequens,

sequens, ut legi satisfaceret, quasi cum alijs mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa oblatę quieti paruit: & in diebus separationis non se à thoro Ioseph, qui eam nunquam tetigit, sed ab ingressu templi, & cæteris quæ lex prohibebat, continuit. Vltrò maturus ab arbore baiula fructus elapsus est: nec opportuit uellicari, quod sponte prodibat. Nihil in hac re petijt ultrò: nec præcedens delectatio aliquam petijt pænarum usuram, spiritu sancto obumbrāte, incendium originale extinctum est: ideoq́ innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia, ut illud uas electionis communibus lassaretur iniurijs: quoniam plurimum à cæteris differens, natura cōmunicabat, non culpa. Eratq́ ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum nec antè, nec deinceps meruit obtinerę, quod erat simul mater & uirgo singulis titulis insignita. Vnde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & uirgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali intus & extra Christi præsentia fruebatur, &c. Subiungam Ioannis Damasceni quoque uerba, de Maria matre Iesu, ex cap. xv. lib. iiij. Orthodoxæ fidei:

De sancta & superlaudabili semper uirgine & Deipara Maria, in prætactis mediocriter tractauimus, & quod maximè opportunum uisum est, repræsentauimus, quod propriè & uerè Deipara & est, & nominatur: nunc reliqua compleamus. Ipsa enim ante secula præcognitiuo Dei consilio prædiffinita est, & diuersis similitudinibus, & oraculis Prophetarum per spiritum sanctum figurata & prædicata, in prædiffinitio tempore ex Dauidica radice pullulauit, propter factas ad ipsum repromissiones. Iurauit enim (inquit) Dominus Dauid ueritatem, & non frustrabitur eum, de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Et rursus: Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit: & thronus eius ut Sol in conspectu meo, & ut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Et Esaias: Egreditur uirga de radice Iesse, & flos ex radice eius ascendet. Enimuero, quòd Ioseph ex Dauidica tribu descenderit, Matthæus & Lucas, sacratissimi Euangelistæ, dilucidè monstrarunt. Sed Matthæus quidem ex Dauid per Salomonem deduxit Ioseph, Lucas autem per Nathan. Sanctæ uerò uirginis generationem ambo siluerūt. Decet autem scire non fuisse morem Hebræis, neq́ diuinæ scripturæ genealogias texere mulierum. Nam lex fuit tribum non desponsare ex alia tribu. Atqui Ioseph ex Dauidica descendit, & iustus erat. Hoc enim de ipso diuinum testatur Euangelium. Non igitur præter legem sanctam uirginem ad desponsationem duxisset, nisi ex eius sceptro descendisset. Cum igitur ostenderit Euangelista descensum Ioseph, satis factum esse putandum est. Præterea id nequaquam latere par est, quòd lex erat: Viro morięte sine prole, fratrem eius defuncti, cōiugem sibi nuptijs copulare, & suscitare semen fratri. Quòd

igitur partu ædebatur secundum naturam secundi .i. illius qui genuit, erat. Secundum uerò legem, eius qui obierat diem. Ex serie igitur Nathan filij Dauid, Leui genuit Melchi & Panthera. Panther genuit Barpanthera, sic ab eo denominatum. Hic Barpanther genuit Ioachim. Ioachim uerò genuit sanctam Deiparam. Ex serie Salomonis filij Dauid, Matthan duxit uxorem, ex qua genuit Iacob. Mortuo autem Matthan, Melchi, qui erat ex tribu Nathan filius Leui, frater uerò Pantheris, nupsit uxori Matthan, matri quidem Iacob, & genuit ex ea Heli. Erant igitur fratres uterini Iacob & Heli: Iacob quidem ex tribu Salomonis, Heli uerò ex tribu Nathan. Defuncto autem Heli ex tribu Nathan sine liberis, accepit Iacob frater eius ex tribu Salomonis uxorem eius, & suscitauit semen fratri suo, & genuit Ioseph. Ioseph igitur natura quidem est filius Iacob, ex descensu à Salomone. Secundum uerò legem filius Heli ex Nathan. Ioachim ergo uenerandam & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum uetus Anna sterilis facta, per uotum & repromissionem genuit Samuelem: hunc in modum & hæc per supplicationem & repromissionem à Deo Deiparam profert, ut & in hoc nulla illustrium & gloriosarum posterior habeatur. Parit ergo gratia. Anna enim interpretatur domina, quod profecto indicat Mariæ nomen: nam reuera domina facta est omnium creaturarum, cum conditoris omnium effecta est mater. Aditur partu in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templũ. Deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, uelutį oliua fructifera, omnis uirtutis habitaculum facta est, ab omni seculari uita & carnali concupiscentia procul mentem sequestrãs, & sic uirginem animam cum corpore conseruans, ut decebat eam, quæ in sinu Deum susceptura esset. Sanctus enim existens, in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, & templum sanctum & admirabile altiss. Dei dignè demonstratur, &c. Reliqua Christo deuotus Mysta ex ipso Damasc. petat. Nec omittendum, quod de benedicta inter mulieres Maria, & eadem ab omnibus generationibus beatificanda Ecclesiastica historia tradit. Refertur id uerò inter miracula haud uulgaria: Ante Nicopolim seu Emaus, ubi in triuio Christus cum Cleopha post resurrectionem noscitur ambulasse, tanquàm ad alium uicum iturus, fons quidam est salutaris, in quo morbi hominum abluuntur, et alia pariter animalia diuersis detenta languoribus emundantur. Quod, ut ita contingat, traditur ex quodam itinere uisum esse Christum apud fontem cum discipulis suis, & lauisse pedes, ex quo aqua facta diuersarum curatrix passinum. Fertur etiam, quòd in Hermopoli Thebaidos, arbor quæ uocatur Perseidis, multorum morbos abegerit, si fructus, aut folium, aut pars eius corticis collo ægrotantium ligaretur. De hac enim arbore ferunt, quòd cùm apud Ægyptum Ioseph cum Christo & Maria uirgine sancta fugisset Herodẽ, uenissetq; ad Hermopolim ciuitatẽ, mox

mox ut ingrediebatur urbem, non ferens hæc arbor maximum Christi salutaris aduentum, inclinata est usq; ad terram, & eum suppliciter adorauit. Hæc ego de ista arbore à multis audiens narraui. Reor autem hoc signum fuisse factum ciuibus diuinæ præsentiæ, aut certè quia ritu Paganorum hæc arbor propter magnitudinem atq; pulchritudinem colebatur, mota est, non ferens Christi diuinitatem, dæmonibus utiq; contremiscentibus, cum uiderent rerum talium destructorem (nec non omnibus simulachris Ægyptiorum, secundum Esaiæ prophetiam) fugatoq; dæmonio pro testimonio Christi uacuam remansisse. Igitur apud Ægyptios & Palæstinos gestorum testimonia cõseruantur. Ad ultimum adferam nonnihil ex diuo Augustino, is de longè gloriosissima Maria, in lib. iij. capite. iiij. Symboli ad Cathechumenos in hunc modum scribit:

Adam superbus, humilis Christus: per fœminam mors, per fœminam uita: per Euam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta secuta est seductorem, hæc integra peperit Saluatorem, Illa poculum à serpente propinatum libenter accepit, & uiro tradidit, ex quo simul mererentur occidi: hæc gratia cœlesti desuper infusa, uitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis est qui hæc operatus est, nisi uirginis filius, & uirginum sponsus: qui attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit uirginitatem? Quod contulit matri suæ, hoc donauit & sponsæ suæ. Deniq; sancta Ecclesia, qua illi integro integra coniuncta est, quotidie parit membra eius, & uirgo est. Addamus aliquid de diua uirgine, & Dei genitrice Maria, ex Epiphanio Epis. Cyprio. Is lib. iij. contra Hæreses, errorem Hæreticorum (quos Collyridianos uocant) eruditè taxat, ut qui Mariam Dei loco coluerunt, sic uocati, & Mariæ in die quadam anni stata, Collyridem quandam offerebant. Quo pacto Collyridiani nimium ad dexteram declinabant, sicut Antidicomarianitæ nimium ad sinistram. Verba Epiphanij Epis. hæc sequentia sunt:

Maria digna facta est suscipere in proprijs finibus uniuersorum regem deum, cœlestem filium Dei: cuius uterus templum factum est, ac domicilium ad Domini in carne dispensationem, per Dei benignitatem, & admirandum mysterium præparatus est.

Mox ibidem Epiphanius: Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Reuera uirgo erat ipsa uirgo & honorata, sed non ad adorationem nobis data: sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa, carne genitus est, de cœlis uerò ex finibus paternis accessit: Et propterea Euangelium munit nos, dicens, quod ipse dominus dixerit: Quid mihi & tibi cum est mulier? nondum uenit hora mea: quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam uirginem, mulierem eam appellauit: uelut prophetans quæ futura essent in terra, sectarum seu hæreseon gratia: ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresim, eiusq; deliramenta delabantur. Est enim ludibrium tota res, & anicularum fabula, ut ita di-

cam, tota hæresis tractatio. Quæ uerò scriptura de hoc narrauit? Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est uas, sed mulier, & nihil à natura immutata, uerum & intellectu & sensu in honore honorata, uelut corpora sanctorum, & si quid amplius ad glorificationem dixerim, sicut Helias ex matre uirgo, & sic manens in perpetuum, & translatus, & mortem non conspicatus, sicut Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, quem diligebat Iesus, sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterij, qua digna facta est. Sed neque Helias adorandus est, etiamsi in uiuis sit, neque Ioannes adorandus, quanquàm per preces suas proprias dormitionem suam admirandam effecerit, imò potius ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, ut relinquamus uiuentem, & adoremus ea quæ ab ipso facta sunt. Coluerunt enim & adorauerunt creaturam, præter creatorem, & stulti facti sunt. Si enim Angelos adorari non uult, quantò magis eam quæ genita est ab Anna, quæ ex Ioachim donata est Annæ, quæ per preces & omnem diligentiã secundum promissionem patri ac matri data est, non tamen aliter genita est præter hominũ naturam, sed sicut omnes ex semine uiri et utero mulieris. Tametsi enim historia Mariæ & traditiones habent, quòd dictum est patri ipsius Ioachim in deserto: Vxor tua concepit, tamen non quòd sine coniugio hoc factum, neque sine semine uiri, sed futurum Angelus missus prænunciatus est, ut ne qua hæsitatio fieret, propter id quod in ueritate factum est, & iam ex Deo ordinatum, & iusto promissum.

Ex eodem Epiphanio: Sit in honore Maria. Pater & Filius, & Spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imò neque uirum, Deo debetur hoc mysterium. Neque angeli capiunt talem glorificationem. Deleantur quæ malè scripta sunt in corde deceptorum. Tollatur ex oculis cupiditas ligni. Conuertatur rursus figmentum ad Dominum. Reuereatur Eua cum Adam, ut Deum colat solum, ne seducatur serpentis uoce, sed permaneat in Dei præcepto: Ne comedas de ligno. Et erat lignum non error, sed per ipsum lignum facta est *inobedientia* erroris. Ne comedat quis de errore, qui est propter S. Maram. Nam & si pulchrum est lignum, sed tamen non ad cibum. *Etsi* pulcherrima est Maria, sancta & honorata, at non adorationem. Hactenus Epipha. His adijciat catholicus Lector, quæ de Mariæ laudibus collegi in opere, quod Quadragesimale uocamus, Nimirũ Feria. iiij. post Dominicam Inuocauit. Dominus tecum amice Frater.

EX PRI-

EX PRIMO LIB. ACTII SYNceri Samazarij de partu Virginis.

AVE MARIA, OCVLIS SALVE Lux debita nostris.


Ampridem notum cœlo iubar, optima Virgo,
Cui sese tot dona, tot explicuere merenti
Diuitiæ Superûm, quicquid rectiq; probiq;
Æterna de mente fluit, purissima quicquid
Ad terras summo ueniens Sapientia cœlo
Fert secum, & plenis exundans Gratia riuis:
Te genitor stabili firmam sibi lege sacrauit,
Perpetuos genitor cursus qui dirigit astris;
Mansuramq; tuo fixit sub pectore sedem,
Idcirco cœtus inter ueneranda pudicos
Vna es, quam latis cœli in regionibus olim
Tot Diuum celebrent uoces, pro gaudia terris
Quanta dabis!

EX EODEM POEMATE doctissimi Itali.

MAGNIFICAT ANIMA mea Dominum.

ILLA sub hæc: Miranda alti quis facta Tonantis
O Mater, meritas cœlo quæ tollere laudes
Vox queat? exultant dulci mea pectora motu
Authore tantorum Operum, qui me ima tenentem
Indignamq; humilemq; suis respexit ab astris.
Munere quo gentes felix ecce una per omnes
Iam dicar, nec uana fides, ingentia quando
Ipse mihi ingenti cumulauit munera dextra
Omnipotens, sectumq; eius per sæcula Nomen,
Et quæ per magnas clementia dedita terras
Exundat, qua passim omnes sua iussa uerentes
Vsq; fouens, nullo neglectos deserit æuo.
Tum fortem exertans humerum, dextramq; coruscam
Insanos longè factus, mentesq; superbas
Dispulit, afflixitq; super, solioq; potentes
Deturbans dedit in præceps, & ad ima repressit,
Extollensq; humiles aliena in sede locauit.
Pauperiemq; famemq; fugans, impleuit egenos
Diuitijs, uacuos contra nudosq; reliquit,
Qui nullas opibus metas posuere parandis.

Postremò sobolem(neq; enim dare maius habebat)
Æternam genitor sobolem, seclisq; priorem
Omnibus,æqualemq; sibi,de sanguine fidi
Suscepit pueri, tantis quod honoribus unum
Deerat adhuc, non ille animi, morumq; suorum
Oblitus, quippe id meditans promiserat olim
Sacrificis proauorum attauis, stirpiq; nepotum
Hæc Virgo.

SALVTATIO CATHOLICA AD eandem Virginem matrem, per Erasmum Roterod.

AVE Maria prudentium uirginum regina, quæ nobis Euæ fatuæ uirginis maledictionem uertisti in benedictionem. Salue matrum pudicarum decus,quæ salutem omnibus peperisti. Gaude Angelorum & Hominum gloria,quæ cœlestium gaudiorum fontem citra uirginitatis iacturam enixa es.Cuius modestissima pudicitia tam grata fuit supremo Numini, ut ex tot uirginũ milibus te singulariter adamarit, unamq; iudicarit idoneam, è cuius castissimis uisceribus Dei filius orbi redimendo nasceretur. Eximij fauoris illud est argumentum,quòd quum Deus adsit omnibus pijs, nulli tamen sese propius, aut mirabilius copulauit, quàm tibi. Pater te sibi Sponsam delegit, Spiritus cœlestis te totam impleuit,Filius è uirginei corporis tui substantia,corpus humanum assumere dignatus est,in uteri tui latebris menses tres gestari,tuo lacte pasci,tuo confoueri sinu: quumq; Deus esset, ac Dei filius, tamen uirginis filius, tum esse, tum dici sustinet. Quemadmodum autem Dominus singulari modo tecum fuit, ita per te nobiscum etiam peculiariter esse cœpit. Primùm plusquàm triginta annis in terris uisus, & homo cum hominibus conuersatus, nunc per spiritum suum inhabitans corda piorum, nosq; sua uiua carne reficiens, & sacrosancto sanguine potans, in Eucharistia. Agnoscit orbis uniuersus & quãto honore te dignatus sit Deus,& quãtum ipse bonorum per te acceperit, eoq; duo nomina præ cæteris ueneratur,Iesu filij tui,ad quod sese inflectit omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum: & Mariæ uirginis, ad cuius mentionem hilarescunt ac recreantur omnes animæ, Iesu nomen diligentium. Ille tanquàm sol omnium sanctorũ gloriam suo splendore uelut obscurat. Tu inter uniuersas laudatas mulieres non aliter luces,quàm luna pleno orbe inter minora sydera. Adeò uerò tui nominis splendor cum filij gloria coniunctus est,ut quoties auditur adorandum Iesu nomen, simul occurrat Mariæ beatissimæ matris memoria.Olim filio pro nobis patienti dolorum fuisti particeps:nunc in cœlis regnanti assides,dignitatis & gaudiorum socia Amen.

VLTI-

VLTIMVS MVNDI DIES.

Ex Lactantio Firmiano.

IMminente iam temporum conclusione, propheta magnus mittetur à Deo, qui conuertat homines ad Dei agnitionem, & accipiat potestatem mirabilia faciendi. Vbicunque non au- dierint eum homines claudet coelum, & abstinebit hymbres, & aquam conuertet in sanguinem, & cruciabit illos siti ac fame. Et qui- cunque conabitur eum lædere, procedit ignis de ore eius, atque comburet illū. His prodigijs atque uirtutibus conuertet multos ad Dei cultum: per- actisque operibus eius alter rex orietur ex Syria malo spiritu genitus, euer sor ac proditor generis humani, qui reliquias illius prioris mali cum ipso simul deleat. Hic pugnabit aduersus prophetam Dei, & uincet, & inter- ficiet eum, et insepultum iacere patietur. Sed post diem tertium euiuiscet, atque inspectantibus & mirantibus cunctis rapietur in coelum. Rex ue- rò ille deterrimus erit quidem & ipse, sed mendaciorum propheta, & seipsum constituet ac uocabit deum, & se coli iubebit ut Dei filium. Et dabitur ei potestas, ut faciat signa & prodigia: quibus uisis irretiat homi nes ut adorent eum. Iubebit ignem descendere de coelo, & solem à suis cursibus stare, & imaginem loqui, & fient hæc sub uerbo eius: quibus miraculis etiam sapientium plurimi allicientur ab eo. Tunc eruere Dei templum conabitur, & iustum populum persequetur, & erit pressura & contricio, qualis nunquam fuit à principio mundi. Quicunque credide rint atque accesserint ei, signabuntur ab eo tanquam pecudes. Qui autem recusauerint notam eius, aut in montes fugient, aut comprehensi exqui- sitis cruciatibus necabuntur. Idem iustos homines obuoluet libris pro- phetarum atque ita cremabit: & dabitur ei desolare orbem terræ mensi- bus xlij. Id erit tempus, quo iustitia projicietur, & innocentia odio erit, quo mali bonos hostiliter prædabuntur. Non lex, aut ordo, aut militiæ disciplina seruabitur. Non canos quisquam reuerebitur. Non officium pietatis agnoscet. Non sexus aut infantiæ miserebitur. Confundentur omnia, & miscebuntur, contra fas, contra iura naturæ. Ita quasi uno com muni grauique latrocinio terra uniuersa uastabitur. Cum hæc ita erunt, tunc iusti & sectatores ueritatis segregabunt se à malis, & fugient in soli- tudines. Quo audito ipsius rex inflammatus ira uenit cum exercitu ma- gno, & admotis omnibus copijs circundabit montem in quo iusti mo- rabuntur, ut eos comprehendat. Illi uerò ubi se clausos undique atque ob- sessos uiderint, exclamabunt ad Deum uoce magna, & auxilium coele- ste implorabunt, & exaudiet eos Deus, & mittet regem magnum de coe lo, qui eos eripiat & liberet, omnesque impios ferro igni disperdat. Op- pressi igitur in orbe terræ cum ad destruendam immensarum uirium ty rannidem humanæ opes defecerint (siquidem capto mundo cum ma- gnis latronum exercitibus incubabit) diuino auxilio tanto illa calami-

tas indigebit. Commotus igitur Deus & acipiti periculo, & miseranda comploratione iustorum mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur coelum medium intempesta nocte & tenebrosa, ut orbe toto lumen descendentis Dei tanquàm fulgor appareat: quod Sibylla his uersibus locuta est: Cum uenerit ignis, erunt tenebræ in media nocte obscura. Hæc est nox, quæ à nobis propter aduentum regis ac Dei nostri peruigil celebratur, cuius noctis duplex est ratio: quòd in ea uitam tum recipit cum passus est, & postea orbis terræ regnum recepturus est. Hic est enim liberator & iudex, & ultor, & rex, & Deus, quem nos Christum uocamus, qui priusquam descendat, hoc signum dabit: Cadet repente gladius è coelo, ut sciant iusti ducem. Cadet repente gladius è coelo, irruet in homines terror coelestis. Vnde sanctæ militiæ descensurum & descendet comitantibus angelis in medium terræ, & præcedet eum flamma inextinguibilis, & uirtus angelorum tradet in manus iustorum multitudinem illam, qui montem circumsederit, & concidetur ab hora tertia usque ad uesperum, & fluet sanguis more torrentis, deletisque omnibus copijs, impius solus effugiet, & peribit ab eo uirtus sua. Hic est autem, qui appellatur Antichristus: sed ipse Christum mentietur & contra uerum dimicabit, & uictus effugiet, & bellum sæpe renouabit, & sæpe uincetur: donec quarto prælio confectis omnibus impijs debellatus & captus tandem scelerum suorum luet poenas. Sed & cæteri principes & tyranni, qui contriuerunt orbem, simul cum eo uincti adducentur ad regem, & increpabit eos & coarguet. Et exprobrabit his facinora ipsorum, & damnabit eos ac meritis cruciatibus tradet. Sic extincta malitia & impietate compressa, requiescet orbis, qui per tot sæcula subiectus errori ac sceleri, nefandam pertulit seruitutem. Non colentur ulterius dij manufacti, sed à templis & puluinaribus suis deturbata simulachra igni dabuntur, & cum donis suis mirabilibus ardebunt: quod etiam Sibylla cum prophetis congruens, futurum esse prædixit. Conterent autem simulachra homines & diuitias omnes. Erythrea quoque idem spopondit. Opera autem deorum humanis manibus facta exurentur. Post aperietur inferi, & resurgent mortui, de quibus iudicium magnum ipse idem rex ac Deus faciet, cui summus Pater & iudicandi et regnandi dabit maximam potestatem, de quo iudicio ac regno apud Erythream Sibyllam si inuenitur in græco eloquio. Cum autem dies iste finem fatalem acceperit, & ad mortales iudicium immortalis Dei uenerit, ueniet super homines magnum iudicium & initium. Deinde apud aliam: Tartareum autem chaos tunc ostendet dehiscens terra. Venient autem ad tribunal Dei res omnes. Et alio loco penes eandem: Coelum uoluens terræ latebras aperiam, & tunc leuabo mortuos, fatum soluens & stimulum mortis: posteaque in iudicium ducam iudicans piorum atque impiorum uitam uirorum. Nec tamen uniuersi tunc à Deo iudicabuntur, sed hi tantum,

qui

qui sunt in Dei religione uersati. Nam qui Deum non agnouerũt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, iam iudicati damnatiq; sunt: sanctis literis contestantibus, non resurrecturos esse impios ad iudicium. Iudicabuntur ergo qui Deum scierunt, & facinora eorum in mala opera cum bonis collata ponderabuntur, ut si plura & grauia fuerint bona iustaq;, dentur ad uitam beatam: Si autem mala superauerint, condemnentur ad pœnam, &c.

EX LIB. III. ALCIMI AVITI de diuina sententia.



VLtima cum mundi senium consumpserit ætas,
Cumq; repentinus percusserit omnia fulgor
Cœlorum, clangente tuba, qua nuncius ante
Iudicis aduentum concussit, terreat orbem.
Tunc cum synceros pastor discreuerit agnos,
Hedis disparibus diuersa in parte locatis
Per medium dirimente chao, quod fluctibus implet
Sulphureis, uoluens undosa incendia gurges,
Flammarum stagnante lacu, quo feruida quondam
Dicitur attracto nubes Sodomitica nimbo
Guttatim sparsum fudisse in crimina fulmen.
Cum plueret nox terra focos, cœloq; caduco
Aëra per calidum stillarent undiq; mortes,
Taliter ignifero missa de fonte gehennæ
Fluxerunt tristes aliena in sæcula riui.
At quos terribili iudex decreuerit hora,
Viuere post mortem pœnaq; ardere perenni
Subtrahet optato grauior sententia læto:
Cumq; foret melius dispersis corpora membris
Carpere perpetuum dura sub morte saporem,
Inuitos tamen urna mouet, quis sola uoluntas
Rursus posse mori, sensuq; carere dolendi.
Sed sic accipiet feruentis flamma camini
Ambustura suas ut nunquam finiat escas.

EXHORTATIO D. FRANCISCI Pici Mirandulani ad Imperatorem Maximilianum aduersus Mahometistas, siue Turcas.

Ex Stauro sticho.



QVotquot collegit uitiorum Roma cloacas,
Assyrium Tyberi cum iam admisisset orantem
Mox proprijs opibus, proprijs ruitura sub armis,
Iam dudum excipiunt, insultant Maurus & Afer

Ægyptus, Libyæ ſubſannat, Thracia ridet,
Nec fidei monitis auſcultant, uincimur aiunt,
Colluuies ſcelerum, uitiorum fœtida nubes
Hinc illuc pridem migrauit, perfida turba
In Chriſtum laxant impune repagula nobis
Non impune datum, ſi Chriſtum lingua laceſſat
Virginis & nomen, nobis non ſpernitur almæ,
Sed nec ſacra Dei nobis, nec templa, nec aræ
Venduntur dominis quo tandem cernimus uſq;
Inſultare canes? purgemus noxia, rectum
Firmemus, noſtris opus eſt indicere bellum
Moribus imprimis. mox bella inferre profanis,
Scilicet incaſſum patiemur myſtica cœlo
Delabi, aut ueteres tantum effudiſſe cruoris
Sacratæ fidei proceres? aut deniq; Chriſti
Nil nobis prodeſſe necem patiemur amaram?
Subiectos populos compeſcas inclyte Cæſar
A' uitijs neq; enim tantas regnator Olympi
Virtutes & opes tibi contulit, ut tibi tantum
Prodeſſent, cœlſæ rariſſima munera dextræ,
Dona recognoſcas fortis cœleſtia Cæſar
Sopitam turbis ſacrato pollice barbam
Vellere ne pigeat, tua ſunt hæc munia Cæſar
Stringere conſtantis fidei pro legibus enſem,
Inſcultaq; cruce infidos Maomethis alumnos
Pellere, quæ tibi ſunt iam tradita deſine Cæſar
Alter ut inſumat, te contemnente, miniſtri
Chriſto non deſunt, reges, ne tempora deſunt
Vt mores abigat ſathana impellente nefaſtos,
Et crucis imperium longe lateq; propaget.

Finis rerum uniuerſarum.

THEOBALDVS SPENGEL MOGVN. CANDIDO LECTORI, S.



HABES candidiss. Lector denuò diuorum Ecclesiæ uitas siue historias ex probatissimorum uirorum autoritatibus & auctas & emaculatiores multò. Eas uerò, ob hoc potissimum sub incudem reuocare placuit, ut superno accensus igne, hoc mystico diuinoq́ꝫ uolumine edisce ualeas, ethice, bene, beateq́ꝫ uiuere: illorumq́ꝫ exempla imitare qui pro Christi amore catholicæq́ꝫ religionis defensione, ut libenter, ita & spiritus sancti gratia, constanter sanguinem suum effuderūt. Certum enim est, horum uitas si speculi loco intueris, statum tuum ad melioris uitæ habitum facilè composueris adq́ꝫ meliora pleraq́ꝫ nostra procederent. Hactenus uerò, easdem quòd aspernauimus, Deum & homines aduersus nos, corruptissimiq́ꝫ nostri seculi mores irritauimus, incommodaq́ꝫ subsecuta sunt nobis nostriq́ꝫ humeri penè innumerabilia. Has quocirca sanctorum uitas amice lector, si aliquando attentè legeris, magnam ex ijs nedum iucunditatem, uerum & utilitatem percipies uberrimam. Postremo, ne tibi uacuas obtrudamus cartas, hinc & facilius quo uniuscuiusq́ꝫ sanctorum uitæ historiam inuenire queas, hanc tabulam subijcere uisum est operepreciū. Scias autem per numerum designari folium, per a, faciem folij primā, per b alterā. Cæterū errata, si quæ inter imprimendum acciderunt, tute emendabis, sunt enim minutula & cognobilia, Vale, & laborem hunc Quentelijq́ꝫ promptissimum erga Catholicam & Orthodoxam Ecclesiam animum boni Cōsulito, mutuaq́ꝫ beneuolentia prosequere. Ex ædibus nostris Moguntiæ xvj. Calend. Ianuarij Anno M. D. XLVI.



A

ADam 7.b
Abel eodem
Abraham 8.a
Abrahæ seruus 9.a
Aharon 12.a
Assa 17.a
Apia Salonites 17.b
Azazia 18.a
Abdia 18.b
Aduentus Domini 26.a
Andreas Apostolus 27.a
Agnes uirgo 89.b
Agatha 92.a
Appollonia uirgo 93.a
Amandus episcopus 94.b
Albanus martyr 111.b
Ambrosius episcopus 129.b
Acatius martyrum antesig. 132.a
Athanasius episcopus Alex 134.a
Agricola martyr 139.a
Ascensio Christi 44.& 145.a
Apostolorũ nomina interp. 172.a
Anna Maria mater 177.a
Afra & Hilaria martyr. 183.b
Agapetus.I. 193.a
Augustinus episcopus D. eccle- siæ 195.a
Ammon abbas 198.a
Angeli Dei 210.b
Angeli mali 211.a
Athanasia cum sororibus 244.a

B

BArbara uirgo & martyr 28.a
Basilius magnus 67.a
Brigita uirgo 85.b
Blasius episcopus 87.a
Barlaam & Iosaphat 105.a
Benedictus cõfessor 115.a & 249.b
Bonifacius episcopus et mar. 154.b
Barnabas apostolicus 162.b
Bernhardus abbas 192.a
Barptolomęus Apostolus 195.a
Benon abbas 198.b
Brixius episcopus 141.a
Benno episcopus Misnen. 148.a
Burchardus episcopus VVirtz- burg. 249.a

C

CHristus Dei filius 5.b
Christi resurrectio 126.b
Caleo 10.b
Circuncisio Domini 61.a
Crescens Pauli discipulus & epi- scopus Mogun. 84.a
Cointha mulier 93.b
Cletus primus 138.b
Crux Christi sancta 141.b.& 204.a
Crucis potentia 205.a
Christophorus 177.a
Caroli magni uita 178.b
Ciriacus & socij eius 184.b
Celerinus cum socijs 169.a
Cornelius martyr 202.a
Cyprianus martyr 203.a
Cosmas & Samianus 207.b
Clara uirgo 214.b
Cassianus martyr 130.b
Chrisogonus martyr 143.b
Cecilia uirgo & martyr 245.b
Clemens episcopus Rom. 247.a
Catharina uirgo & martyr. 247.b
Cantus cum socijs 250.b

D

DAuid 15.b
Debora 13.a
Damasus episcopus Rom. 49.a
Dorothea uirgo 87.b
Dominicus confessor 214.a
Dionisius Areopag. episcop. 115.a
Dies cinerum 96.b
Dies palmarum 120.a
Dies paschę 125.b
Dies rogationum siue letanię 143.a

Diuisio apostolorum 172.a
E
ENos 7.b
Enoch 8.a
Eli 13.b
Ezechias 20.a
Esder uirgo 22.a
Esther 23.b
Ezra 21.a
Eulalia uirgo 45.a
Emerentiana uirgo 90.b
Eustachius martyr. 131.b
Eucharius 150.b
Egidius confessor 197.b
Enaristus.I. 209.b
Elizabet regina 141.b
F
FIlij Mathathiæ 24.a
Fabianus episcop. & mar. 89.b
Fœlicitas 113.b
Franciscus confessor 113.a
Fructuosus cum socijs 229.a
Feria quinta magna 121.a
Feria sexta magna 122.b
Festum dominic. pentecos. 150.b
Festum corporis Christi 158.b
Festum dedicationis 252.b
Fratres quinque occisi 232.a
Fœlix martyr 132.a
G
GEnethlicon mundi 1.a
Gedeon 13.b
Gad 17.a
Gregorius.I. 113.b
Georgius martyr 137.b
Gregorius Nazeanzenus 143.b
Gordias martyr 147.a
Geruasius & Prothasius 163.a
H
HEua 7.b
Hanna 14.b
Helia 17.b
Hanani 13.a
Hebisæus 19.a
Hulda προφῆτις 21.a
Hilarius 66.b
Higinius pontifex Rom. 73.a
Helena Constantini mater 91.b
Hieronymus ecclesię presbit. 111.b
Hilarion 119.a
Hemeterius Chelidonius martyres 228.a
ISaac 9.a
Iacob 9.b
Ioseph 10.a
Iosua 10.b
Iudices 13.a
Iael 13.a
Iephtha 13.b
Ionathan 15.a
Ieddi 17.b
Iehu prophet. 17.b
Iehasiel 18.b
Iosaphat eodem
Iosias 20.b
Iob 22.b
Iudith 23.a
Iuliana uirgo 95.b
Iulitta martyr 104.a
Ioseph Mariæ 105.a
Iudas mathathiæ fil. 24.a
Ignatius episcopus & mart. 84.b
Ioannes apostolus & Euang. 56.b
Innocentes Bethlehemitici 59.a
Ioan Chrisostomus 48.a
Ioan. Eleemosinarius 87.a
Ioannes Baptista 164.a
Ioannes decolla. 196.b
Ioannes & Paulus martyres 167.a
Iustinus martyr 171.a
Iacobus apostolus 176.b
K
Kilianus episcopus Vuirtz. 157.a

Lot

L

Lot 8.b
Lucia uirgo & mart. 42.b
Limis.I. 132.b
Lieba 157.a
Luitgerus 157.b
Leo 166.b
Laurentius martyr 188.a
Ludoui Gallorum rex 208.a
Lucas Euangelista 217.b

M

Mundi creatio 3.a
Moses 10.b
Mardocheus 22.a
Mathathias 24.a
Michea 18.a
Mariæ uirginis matris conceptio 44.b
Mariæ uirginis matris purificatio 86.a
Mariæ uirg. matris uisitatio 170.a
Mariȩ uirg. matris assumptio 187.a
Mariæ uirginis matris natiuitas 198.a
Mariæ uirginis matris præsentatio 144.b
Mariæ uirginis matris annunctiatio 115.b
Mariæ uirginis adolescentia 145.a
Magi orientales 62.a
Mauri duo 73.b
Marcellus Pon. Rom. 74.a
Marcellinus.I. 140.a
Mathias apostolus 100.a
Maria Ægyptiaca 118.b
Marcus Euangelista 138.a
Marcus & Marcellianus fratres 163.b
Margaretha uirgo et martyr 175.b
Maria Magdalena 176.a
Martha 181.a
Moneca mater Augustini 198.a
Matthæus apostolus 206.a
Mauricius 206.b
Michaël archangel. 210.a
Marcus papa.I. 112.b
Martinus episcopus 133.a
Mulier innocens septies percussa 251.b

N

Noach 8.a
Naëmi 14.a
Nathan 17.a
Nehemias 21.b
Nicolaus Myrarum episcopus 31.a
Nicasius & Eutropia 46.b
Natalis dominicus 51.a
Nomenclatura lxx. discipulo 173.a
Nemesius & Lucilla 22.a
Nomina sanctorum martyrum ex Eusebio 125.b

O

Odilia uirgo 44.a
Omnia sanctorum memoria 122.b
Omnia animarum memoria 226.a
Osualdus rex 23.b
Octauij & sociorum natalis 251.a

P

Pineas 12.b
Propheta uindictor regis Iehu 19.b
Prophetæ quorum extant monumenta 24.b
Prisca uirgo 74.a
Polycarpus &c. 74.b
Paulus heremita 76.a
Paula uidua 79.a
Pauli apostoli conuersio 82.b
Petri cathedra 108.b
Petri uincula 181.b
Perpetua 113.b
Philippus apostolus 133.a
Pœnitentia signum crucis 142.a

Petrus

Petrus & Paulus apostoli 177.b & 178.
Pius episcopus Rhom. 179.b
Praxedis uirgo 175.a
Petrus Calib. 118.b
Passio sanctorum dei martyrium 223.b

Q

QVirinus martyr 119.b
Quatuor Euangel. 216.a
Quintinus martyr 132.b

R

REbecca 9.b
Rahab 13.a
Ruth 14.b
Reuocatio cuiusdam iuuenis per D. Ioan. Euang. 57.b
Remigius episcopus Rom. 66.a
Remaclus episcopus 156.b

S

SAnctus Spiritus 151.a
Sola monachus presbyter 158.a
Septem fratres martyres 169.a
Symphorosa matrona 175.a
Symplicius & Faustinus 175.b
Stephanus.I. 182.b
Sixtus. II. 183.a
Sixtus. III. 219.b
Seraphia uirgo 198.a
Simon & Iudas 220.b
Sara 8.b
Sambson 14.a
Samuel 15.a
Solomon 17.a
Semaia 17.b
Sabas abbas palest. 48.b
Stephanus diaconus 54.b
Syluester pontifex 60.b
Satyrus & Arcadius 76.a
Sebastianus miles & martyr 188.b
Scholastica monialis 194.a
Sacra quadragesima 94.b
Sancti quagraginta martyres 191.a
Sabbathum Paschæ 125.b

T

TObias 23.a
Thomas apostolus 50.b
Thomas episcopus Anglicus 60.b
Thomas Aquinas 232.b
Telesphorus pont. Rom. 65.b
Timotheus Pauli discipulis 63.b
Tytus Pauli discip. eodem

V

VNitas Trinitasque Dei opt. max. 154.a
Vxor Loth 8.b
Vtriusque Testamenti comprehensio 25.a
Vincentius diacon. & martyr 85.b
Vedastus 95.a
Valentinus episcopus 95.b
Valentinus presbyter 95.a
Victor & corona 110.a
Vitalis martyr 139.a
Vrbanus.I. 144.a
Vitus & modestus 162.b
Vrsula uirgo 218.b
Vltimus mundi dies 267.b

VV

VValtburga uirgo 232.a
VVicbertus confessor 249.b

Z

ZArepthana uidua 18.b
Zacharia 20.a
Zorobabel 21.a

Ezech. IX.

Signa T H A V super frontem gementium & dolentium super cunctis abominationibus.

Vidi praeuaricantes, & tabescebam. Psalm. 118.



Tristitia uestra uertetur in gaudium. Ioan. 16.

Matth. 7.

Beati qui lugent, quia consolationem accipient.